JUSTI LIPSII
ROMA ILLUSTRATA,
SIVE
ANTIQUITATUM ROMANARUM BREVIARUM.
ET
GEORGII FABRICII Chemnicensis
VETERIS ROMÆ
Cum Nova Collatio.

Ex nova Recensione ANTONII THYSII, J. C.
Cui Accesserunt in hâc Editione
JUSTI LIPSII TRACTATUS Peculiares,

VIZ.

De Veterum Latinorum Scriptura.
De Re Pecuniaria.
De Nominibus Romanorum.
De Ritu Conviviorum.
De Censura & Censu.
De Anno deque ejus diversitate item ratione intercalandi.

Cum FIGURIS Æneis

In usum Studiosæ Juventutis, OPUS tam ad Historias, quàm Poetas, cæterosq; Authores Romanos Explicandos, UTILISSIMUM.

LONDINI:
mpensis GULIELMI WHITWOOD, ad Insigne Rosæ Coronatæ in vico dicto *Little Britain*, MDCXCVIII.



I. LIPSIJ ROMA ILLUSTRATA.

Bibliopola Lectori.

Benevole Lector,

Quantus sit hujusce Libelli usus, quantaque opinio, multiplices illius Editiones testantur. Tractatus varios tam Integros quam abbreviatos continet: Integri sunt; Fabricii Roma,

Justi Lipsii de Magistratibus Romanis.

Et Sex ejusdem Tractatus,

De Veterum Latinorum Scriptura.
De Re Pecuniaria.
De Nominibus Romanorum.
De Ritu Conviviorum.
De Censura & Censu.
De Anno, ejus diversitate: item ratione intercalandi.

Qui

15

BIBLIOPOLA LECTORI.

Qui hâc Editione, ut nihil operi tam utili deesſe videatur, acceſſerunt; quique ſuperioribus maximè deſiderantur; neque cuiquam in dubium venire poſſe exiſtimo, quin cæteris, quæ in hoc volumine continebantur, illos junxiſſet *Thyſius*, ſi in manibus unquam habuiſſet: Conſtat enim hoſce non minora quàm illos ad antiquos Romanorum Autores intelligendos adminicula conferre. *De Militiâ*, *De Oppugnatione*, *De Amphitheatro*, *De Magnitudine Romana*, *De Cruce*, *De Veſta & Veſtalibus*, *De Bibliothecis*, denique Breviaria ſunt a *Thyſio*, quem ſupra memoravi, viro *Philologiâ* celeberrimo, ſummo cum judicio facta.

Vale, & Fruere.

JUSTI LIPSI
DE
MAGISTRATIBUS
VETERIS POP. ROM.

CAP. I.

Divisio Honorum. quid Dignitas *proprie*, Poteſtas Magiſtratus. *Etymon nominis.*

DE Magiſtratibus dicturus, ut id dilucide & compoſite poſſim, de *Honore*, ejuſque diſcrimine, quædam libabo. *Honorem* hic *publicum* intelligo; quem *jus* definio, *titulumque ſupra cæteros, lege aut more conceſſum.* Is duplex; *divinus*, aut *humanus*. *Divinus*, qui ad ſuperum cœleſtemque cultum pertinet; cui *pietas* & *religio* finis; quo in genere *Sacerdotes*. *Humanus*, qui curam adminiſtrationemque tangit rerum humanarum; cui *ſalus & utilitas publica* finis. Quo in genere tria cenſentur, *Dignitas*, *Poteſtas*, *Magiſtratus*. *Dignitatem* appello, auctoritatem in ſuadendo, conſulendo, decernendo; qualis *Senatorum & Judicum*. *Poteſtatem*, jus legitimum regendi, jubendique, extra Urbem & ejus fines; ut ſunt *Imperia & Præſidatus*. *Magiſtratum*, ſimile jus, ſed in Urbe ipſa. Hi limites, & diviſio ex veterum mente & uſu: etſi miſceri interdum ſcio, & omnem fere *Honorem* venire in nomen *Magiſtratus*. Ita Ariſtoteles large & laxe ἀρχὰς definit *Politicor. cap.* 15. ὅσοις ἀποδέδοται βουλεύσασθαι τι περί τινων, καὶ κρῖναι, καὶ ἐπιτάξαι, καὶ μάλιστα τοῦτο: id eſt, *Quibus conceſſum eſt conſulere, judicare, jubere, atque iſtud maxime.* Etſi poſtrema parte iterum adſtringens. Et Latini etiam Scriptores confundunt, qui Proconſules & Rectores Provinciarum *Magiſtratus* paſſim appellant. *L.* 2. *ff. de in jus vocando.* Nomen *Magiſtratus* a *Magiſtro* dictum. *l.* 57. *ff. de verbor. ſignif.* *Magiſter* autem, qui magis cæteris poteſt. *Feſtus in voce Magiſter.* Olim *Prætores* dicti videntur ab eo, quod cæteris honore *præirent*. Ita conſul *prætor* dictus: & in priſca lege apud Livium *lib.* 7. *Prætor Maximus clavum pangit.* Itaque non abſurde Varro *libr.* 4. *de lingua Latina*, qui natum *Magiſtratus* nomen judicat poſt Dictaturam & Magiſterium equitum. *Reliqui*, inquit, *quod minores quam hi Magiſtri, dicti Magiſtratus, ut ab albo albatus.*

Cap. II.

De varia divisione Magistratuum.

M*Agistratuum* autem genera & discrimina plura. Aut enim *à temporibus* dividuntur: ut, *Ordinarii*, *Extraordinarii*. Illi dicti, qui statis temporibus & semper in republica essent; ut, *Consules*, *Prætores*, *Ædiles*, *Tribuni*, *Quæstores*. Hi, qui nec eodem tempore, nec semper; ut, *Dictatores*, *Censores*, *Interreges*. Aut *à personis* discriminantur: ut, *Patricii*, *Plebeii*, *Mixti*. E quibus primi dicti, qui solis Patriciis Patent, ut, *inter-regnum*. Alteri, qui soli plebi, ut, *Tribunatus & Ædilitas plebis*. Postremi, qui cuique ordini: ut, *cæteri omnes*. Aut *à qualitate* agnominantur; ut, *Majores* & *Minores*. Idque sensu duplici. Aut enim *Majores Minoresve Magistratus* dicuntur, qui auspicia majora minorave habent: de quibus Agellius *lib.* 13. *cap.* 14. aut quorum potestas imperiumve majus minusve. Sic *Majores* erant, qui lictorem viatoremque habebant, iique omnes erant; exceptis Ædilibus & Quæstoribus: *Minores*, qui non habebant. Aut denique distinguuntur *ab insignibus* in *Curules*, & *non Curules*. *Curules*, quibus jus est Sellæ: ut, *Dictator*, *Consul*, *Censor*, *Prætor*, *Ædilis Curulis*. *Non Curules*, quibus minime: ut, *cæteri omnes*. *L.* 31. *ff. de injuriis.*

Cap. III.

De iis, qui apti ad quoscunque Magistratus, & Series temporum, qua paulatim Plebeii ad omnes Magistratus admissi.

D*Ivisioni* non inepte jungam de iis, qui *apti* ad quemque Magistratum. *Aptitudo* autem duplex: *à gente*, & *ab annis*. *A gente* olim maxime, quia solos *Patricios* admittebant ad Magistratum. A Romulo id institutum; qui autore Dionysio *lib.* 2. sanxit: Τὰς δὲ πατρικίους ἱερᾶσθαί τε καὶ ἄρχειν, καὶ δικάζειν. Id est, *Patricios sacra facere, magistratum gerere, judicia exercere.* Cui tamen legi in libertate non diu locus. Nam statim anno XVI. post Reges exactos, violari cœpta, *Livius l.* 2. cum novus Magistratus à Plebe creatus, hoc est, *Tribuni* (Anno Urb. Cond. CCIX.) & paulatim carpsere eam Tribuni & plebs, donec corruit tota. Series & ordo iste. Primum *Quæstores* è Plebe creati, anno Urb. Cond. CCCXLIV. *Livius libr.* 4. Inde *Tribuni militum Consulari potestate*, anno CCCLIII. Nec diu post *Consules* ipsi, anno CCCLXXXVIII. Tum *Ædiles Curules*, anno

uno

uno post, id est, ccclxxxix. *De quibus convenerat*, ait Livius, *lib.* 7. *ut alternis annis è plebe crearentur: postea promiscuum fuit.* Inde ad caput ipsum Magistratuum transgressi. *Dictatorem* è plebe crearunt, anno ccccxviii. etsi *Magister equitum* jam antea Plebeius factus, anno ccclxxxv. Denique *Censuram* etiam fecerunt communem, anno cccciv. eodem illo primo Plebeio Censore, qui & Dictator. Postremo, ne quid intactum, aut inaccessum Plebi; *Prætura* iis communicata, anno ccccxvii. Ita sola *Interregia potestas* apud *Patres* mansit; umbra potius, quàm verus Magistratus.

CAP. IV.

De aptitudine ab annis: &, *Quando Annalis Lex lata.*

AT *Aptitudo* altera *ab annis*: quam utiliter sanxerunt, etsi tarde. Nam *apud majores*, inquit Tacitus lib. 11. Annal. *virtutis id præmium fuit, cunctisque civium, si bonis artibus fiderent, licitum petere Magistratus: ac ne ætas quidem distinguebatur, quin prima statim juventa Consulatum & Dictaturas inirent.* Sed mutatum id an. Urb. Cond. DLxxiii. cum, re ipsa docti, viderent modum aliquem & limitem constituendum ambitioni & calori juvenili: Itaque *tum primum*, verba Livii sunt lib. 10. *rogatio lata est ab L. Julio Tribuno pl. quot annos nati quemque magistratum peterent caperentque: Inde cognomen familiæ inditum, ut Annales appellarentur.* Dixi, *ab L. Julio*; & ita libri. At Julios etiam plebeios fuisse scimus, Antonio Augustino docente, *in lib. De familiis Romanis.* Tamen alii *Villium* hic in Livio malunt: itemque in Cicerone, *lib.* 8. *Epist.* Sed hoc leve: magis nos torquet de tempore latæ legis, quod Livius hic tam diserte scripsit, inquiens: *Tum primum.* Quod tamen idem ille eversum it, *lib.* 25. ubi de Scipione Africano multis ante Juliam legem annis scribit: *Huic Ædilitatem petenti cum obsisterent Tribuni, negantes rationem ejus habendam, quod nondum ad petendum legitima ætas esset.* Ait ecce, legitimam ætatem ei non fuisse. Quid ergo clarius, quam etiam tunc latam de ætate? Et profecto aut per errorem, confusionemque nominis aut hominis, id scripsit Livius, Scipioni Africano tribuens, quod Æmyliano postea evenerit: de quo Appianum *in Libycis* vide, & Valerium Maximum *lib.* 8. Ut fateamur necessum est, parum caute scriptum esse in loco altero, *latam à Julio primum.* Et fortasse per partes jam ante de quibusdam Magistratibus ferri cœptum, quæ omnia lex Julia junctim complexa, cæteras velut abolevit. Hic juvat aliquid Cicero, qui *leges Annales* multitudinis numero appellat, *Philippica* 5. *Legibus Annalibus*; inquit, *cum grandiorem ætatem ad Consulatum constituebant, temeritatem adolescentiæ verebantur.* Et Ovidius 5. Fast.

 —*finita-*

——*finitaque certis*
Legibus est ætas, unde petatur honos.

Hæc Lex alio nomine *Annaria* dicta. Festus in ea voce; & Lampridius *in Commodo*; *Gratia Annariæ legis impetrata Consul est factus.* Dicta etiam satis nove *Comitialis* a Latino Pacato, *in laudatione Theodosii*, scilicet, quia modum frenumque Comitiis daret.

Cap. V.

Magis distincte de ea Lege; & qui anni cuique Magistratui legitimi.

SEd quæ ætas proprie definita hac Lege cuique Magistratui fuerit, jure quæram: nec facile inveniam. Tenebrosus enim locus; & in quo cum nihil aut parum expressi sit, lustramus eum per ancipites conjecturas. Atque ut a *Quæstura* ordiar; adeo de ætate ejus nihil certum, ut sint viri magni, qui eam prorsus tollant. Dux iis Paulus Manutius, *in lib. De legibus.* qui negat, Quæsturæ, Tribunatui, Ædilitati plebis definitam ullam ætatem: legemque Annalem spectasse tantum Curules Magistratus. Parum vere. Quæsturæ enim clarissime Quinctilianus certum annum attribuit *lib.*12. *cap.*6. *Calvus, Cæsar, Pollio, multo ante Quæstoriam ætatem, gravissima judicia susceperunt.* Spartianus *in Juliano*: *Quæstor, ante annum quam legitima ætas sinebat, designatus est.* Tacitus *Annal. lib.* 3. *Ut quinquennio maturius, quam per leges, Quæsturam peteret.* Suetonius item *in Caligula, cap.* 1. & Plutarchus *in Catone Uticensi.* Quem annum Nicolaus Gruchius XXVII fuisse vult; ego, ut arbitror, firmius XXV annum. Argumentor: I. A ratione; quia tunc compleri virilem vigorem constat, ut ait Ulpianus *l.* 1. *ff. De minor.* ideoque jure apti censentur ad res publicas, & privatas. II. Ab auctoritate, quod Dio Cassius *lib.* 52. Senatoriam ætatem anno XXV definit. At quæstura primus gradus in Senatum. Addo *l.* 2. *De minoribus*; quæ subtilius considerata, adstruit hoc ævum. Denique argumentor etiam III. Ab exemplis: quoniam reperio Tiberium Gracchum intra tricesimum annum extinctum, & eundem tamen Quæstorem fuisse, C. Mancino Consule, circiter quadriennio ante mortem. Gesserit ergo Quæsturam necessum est anno XXV. Lego & Tiberium Cæsarem Quæstorem designatum undevigesimo ætatis anno. *Velleius lib.* 2. At creatus est quinquennio maturius quam per leges *Tacitus lib.* 3. *Annal. & Dio* 93. Ergo fas, petere Quæsturam XXIV anno, & XXV gerere. Sed nodus hic aliquis in Polybii loco (*libr.* 6.) negantis ullum Urbanum magistratum capi fas fuisse, nisi ab eo, qui decem annos militasset. Militare autem Romani XVII demum

demum anno incipiebant. (*Plutarchus in Gracchis.*) Non ergo prius pertingere poterant ad Quæsturam. Dupliciter hoc solvo. Primo vix credibile esse, omnino ratam ac firmam in Republica fuisse legem Polybianam illam sive morem. Quis enim præterea meminit? Et tamen ut fuerit, capiendam non de militia coacta, & ex delectu, sed voluntaria. Nam quod Gracchus XVII annum militiæ definit, id ab ea mente est, ut nemo invitus legi in militem debuerit ante id tempus. Sed nihil tamen impedit, nobiles & eos qui alebantur in spem honorum, militiæ & castris jam ante interfuisse: qui morem hunc habuerunt, ut statim a toga pura (hoc est virili) militiam auspicarentur: idque in contubernio & velut custodia viri alicujus illustris. Velleius de Pompeio id tradit, *libr.* 2. Livius *libr.* 22. & Valerius *libr.* 5. cap. 4. de Scipione Africano: & passim exempla. De *Quæstura* ultra non eruo.

De *Tribunatu* & *Ædilitate* videamus: quorum annos frustra item incertos volunt. Quæ enim ratio est, ut quæsturæ, quæ minor est Magistratus, sua ætas fuerit, nulla majoribus istis? Immo fuit. Et de *Ædilitate*, clare Latinus Pacatus *in laudatione Theodosii*: *Annorum*, inquit, *ita cura fuit majoribus, ut non solum in amplissimis Magistratibus adipiscendis, sed in Præturis quoque, aut Ædilitatibus capessendis ætas sit spectata petitorum: nec quisquam tantum valuerit nobilitate, vel gratia, qui annos Comitiali lege præscriptos festinatis honoribus occupavit.* Et quanquam firmi admodum aut fixi nihil reperi: tamen attribuam fidenter *Tribunatui*, sive *Ædilitati*, annum XXVII. aut XXVIII. Certe quidem ante annum XXX. includam, quia is Præturæ fuit, ut dicam. Atque hoc de utraque Ædilitate sentio: etsi in Curuli valde a nobis dissentiant viri docti. Annum enim ei XXXVI. definiunt. Quod miramur. Cur enim probabile, tantum otiosi intervalli fuisse inter Quæsturam & Ædilitatem? Ciceronis locus, qui eos in omni hac re extra viam ejicit, non me movet. Nam cum pro lege Manilia scribit: *Quid tam singulare, quàm ut ex Senatusconsulto legibus solutus, Consul ante fieret, quàm ullum alium magistratum per leges capere licuisset;* non ego sane ad ætatem retulerim, sed ad ordinem & modum. Si enim de ætate; & hoc Cicero vult, eo anno factum Pompeium Consulem, quo per leges Annales nullum magistratum capere ei fas: sequitur, ut ante XXXIV annum (nam eo ævo factus Pompeius Consul, *ex Appiano*) locus etiam non fuerit Quæsturæ, aut Tribunatui: quod vanum. Sed intelligit, inquiunt, Curulem magistratum. Quis dicit? nec adhæream ego tam infirmæ conjecturæ. Verius omnino est, mentem Tullii hanc esse: Pompeium factum Consulem, cum nec illum, nec alium magistratum capere posset: vel quia non legitime professus; vel potius, quia Eques adhuc Romanus, *Epitom. Livii.* 97. & nondum Quæstor. Lex autem Cornelia transire ad ullum magistratum clare vetuit, Quæstura non gesta. Minus

vero me turbat, quod exempla adferant eorum, qui gesserint Ædilitatem post xxx annum. Ridiculum. Scimus enim, nullam legem Annalem vetuisse, ne quis post legitimum annum, peteret, gereret: sed ne ante eum. Itaque Consules etiam & Prætores multi facti anno L. & post illum. (Ea verissima ratio.) Denique pauci festinabant ad hos minores magistratus, quia celeritatis ejus modicus fructus: & grande nihilominus spatium intererat ad Consulatum, id est, ad honorum metam.

Prætura nunc sequitur, cui annum tribuunt xxxix petendæ, xl. gerendæ: haud alio argumento freti, quam illo de biennii intervallo. Itaque jure ambigo. Nam Dio Cassius diserte annum xxx Præturæ dat, *lib.* 52. ταμιεύσαντες, inquit, καὶ ἀγορανομήσαντες ἢ δημαρχήσαντες στρατηγείτωσαν τριακοντοῦτεις. Id est: *Quæstura functi & Ædilitate, sive Tribunatu, Præturam accipiant tricenarii.* Sed excusabunt, quod id sub Principibus, quos legem Annalem laxasse non nego. Sed quid tamen de M. Bruti facto dicent, quem Prætorem reperio anno ætatis xxxv? Nam vixit in universum, ut Velleius tradidit *lib.* 2. annos xxxvii. atque biennio ante mortem eum Præturam gessisse cum Cassio satis constat, & nisi Bruti ingenium me fallit, juxta leges. Itaque ad hunc annum Præturæ finiendum labor non invitus.

Consulatus reliquus est, cujus ætas extra omnem litem. Cicero enim clare nimis firmat *Philip.* 5. *Quid Alexander Macedo? qui cum ab ineunte ætate res maximas gerere cœpisset, tertio & trigesimo ætatis anno mortem obiit: quæ ætas nostris legibus decem annis minor, quàm Consularis.* Est ergo Consularis annus, si arcte Ciceronis verba capis, xliii. sive xlii. si benigne & magis ex vero. Satis enim fuit, attigisse xlii. annum: ut docent exempla crebra. Gravis ergo ista ætas, quippe in imperio & Magistratu gravissimo: quam tamen adeo, mutato Reipublicæ statu, Principes neglexêre, ut Dolabellam Consulem Cæsar crearit annos natum xxv, & postea etiam aliqui vicenarii facti, *ex l. unica, ff. De Officio Consulum,* & *l.* 20. *ff. De manumissis.* Qua licentia in omni alio Magistratu Principes pro arbitrio usos, moneo semel.

De *Ordinariis Magistratibus* dixi; *Extraordinarii* supersunt: qui tamen, nescio, an lege comprehensi; etsi de *Dictatore* & *Censore* non difficile judicium est: quia creati plerumque è Consularibus, more tamen potius, quàm lege. Sed & *Interrex* plerumque ex honoratissimis Senatus.

Cap. VI.

Annalem legem etiam in Provinciis aliquam fuisse: item Romæ in Senatu & Equite; & aliæ quædam Leges quæ huc referuntur.

HÆC utilis illa & salutaris lex Annaria, cui locus etiam in Municipiis & Coloniis, etsi annorum aliqua diversitate: quam in parte haurire est ex Plinio *libr.* 10. *Epist. ad Trajanum.* Sed & ætas Romæ in Senatu ipso spectata: etiam sub Principibus. Ideoque *Senatoria ætas* Tacito nominata (lib. 5. *Annal.*) *Annius Vivianus,* inquit, *gener Corbulonis, nondum Senatoria ætate.* Immo & in Equite. Definit Dio utramque. *Allegere,* inquit, *in Equestrem ordinem oportet annos natos* XVIII. *In Senatum, natos* XXV. Quod Romani videntur à Græcis sumpsisse, cum apud Athenienses fuerit ἡλικία βουλευτική. *Demosthen. contra Ambrot.* Et apud Spartanos lege Lycurgi in Senatum nulli aditus nisi sexagenario. Addo breviter, & adtexo leges, Annali haud dissimiles, quæ de ordine magistratuum cavebant, aut intervallo: ut fuit Lex Cornelia, quæ vetuit Præturam adipisci ante Quæsturam, & Consulatum ante Præturam *Appianus l.* 1. *Civ.* Quod ipsum tamen etiam in more antiquis fuisse, Livius ostendit *libr.* 31. ubi de Consulatu Flaminii. Item Lex prisca de intervallo, quæ vetuit magistratum eundem iterare, nisi decennii intervallum intercessierit. *Livius libr.* 7. *sub finem.* Quæ cum negligeretur, à Sulla Dictatore, ut commemorat idem Appianus, relata est. Sed sic quoque postea sæpius spreta: cum mos invaluisset, ut homines gratiosi legibus per Senatum aut Populum solverentur.

Cap. VII.

De Consulibus. Nominis Etymon. Institutio. Potestas. & Munia.

SED universe de Magistratibus satis dixi; quemadmodum quæ ad Comitia, & quæ ad Renuntiationem spectant, aliis scripta. Nunc distincte explicabo singulos, initio ab eo Magistratu facto, qui initium cæteris: quem triplici nomine appellarunt: *Prætorem, Judicem, Consulem.* Cicero bene recensuit, *De Legibus* III. ubique à *præeundo, judicando, consulendo, Prætores, Judices, Consules* appellantur: bene, inquam, & ordine. Nam primo *Prætores* dicti. Quod nomen, etsi commune omnibus Imperiis, tamen velut per

excellentiam adhæſit iſtis. Feſtus: *Initio Prætores erant, qui nunc Conſules.* Juſtinianus *Novell.* 24. *&* 25. *Eſt*, inquit, *Prætoris nomen Romani Imperii proprium, & ante ipſos etiam Conſules in veteri atque præclara Reipublicæ conſtitutione uſurpatum.* In XII. Tabb. exemplum ejus vocis reperio, cum jubent *apud Plin. l.* 18. *cap.* 3. *Impubem Prætoris arbitratu verberare*, hoc eſt, Conſulis: quoniam tunc certe nondum creatus Prætor. Itaque Livius *libr.* 3. anno ipſo poſt XII Tab. ſcriptas, inquit: *Hic temporibus nondum Conſulem Judicem; ſed Prætorem appellari mos fuit.* Nec falſo à Zonara traditum, *Prætoris* nomen manſiſſe uſque ad Decemviros: iiſque exactis, *Conſulis* nomen demum irrepſiſſe. Etſi mallem dixiſſet; *Judicis*: quod nomen ex Livio antiquius ſane eſt illo Conſulari. Dicti autem *Judices*, a præcipuo videlicet munere: quia ut olim *Judicia* omnia in manu Regum, ſic poſtea Conſulum fuere; donec tranſlata ea in parte ad Prætores. Exemplum hujus appellationis in priſcis commentariis eſt apud Varronem 5. *De Ling. Lat.* *Omnes Quirites viſite huc ad Judices.* Id nomen antiquitatum & abolitum demum crediderim poſt Prætores, id eſt, proprios Judices, creatos; & tunc invaluiſſe nomen *Conſulis*. De cujus *Etymo* varia opinio, nec inſcita. Sunt qui a fine derivent: quia ejus eſt *conſulere* & providere civibus, *Florus lib.* 1. *cap.* 9. *& I. C. ff. De origine Juris lib.* 2. Sunt qui ab officio; quod *conſulit*, hoc eſt, rogat Senatum. Sunt qui à judicando interpretentur: quod in ſolo tantum Quintiliano mihi lectum, *lib.* 1. *cap.* 9. *Sitne Conſul*, inquit, *a conſulendo, an judicando. Nam, & hoc conſulere veteres vocavere. Unde remanet illud: Rogat boni conſulas, hoc eſt, judices.* E quo triplici etymo, primum popularius, tertium ſubtilius; medium verius cenſeam: quia adeo proprium Conſulis interrogare, & referre ad Senatum, ut Livius *lib.* 7. ſcripſerit: *partes ejus magis exquirendæ, quàm dandæ ſententiæ eſſe.* Immo obſervo, *Conſulendi* verbum proprium in hac notione, & ſolenne Curiæ fuiſſe. Trebellius Pollio me docuit in XXX Tyrannis: (*in Piſon.*) *Fuſcus Arellius*, inquit, *Conſularis primæ ſententiæ, ait: Conſul, conſule, quumque conſultus eſſet, Divinos, inquit, honores Piſoni decerno.* Sed de *nominibus* abunde: *Inſtitutionem* videamus; quæ non obſcura. Inſtituti enim ſtatim poſt Reges exactos, anno Urb. Cond. CCXLIV. Cauſa creandi, utilitas, ſive potius neceſſitas; quoniam cum ſine Rege eſſent & capite, fluctuanti illi corpori opus fuit qui dirigeret & gubernaret. Sed duo ideo, ut novam libertatem non committerent periculoſe uni: *& diviſo imperio, ſi alter malus eſſe voluiſſet*, ut inquit Eutropius lib. 1. *alter eum* (*habens poteſtatem ſimilem*) *coerceret.* Qua cauſa, tempus etiam imperii breve datum, & annuum tantum: *ne diuturnitate inſoleſcerent; & civiles ſemper eſſent*, (ait idem Eutropius,) *qui ſe poſt annum ſcirent privatos eſſe futuros.* Florus *lib.* 1. *cap.* 9. eleganter & acute utramque cauſam com-

complectitur. *Ex perpetuo imperio*, inquit, *annuum placuit: ex singulari duplex: ne potestas solitudine, vel mora, corrumperetur.* Loco igitur Regum creati, & quidem cum pleno eorum jure. Itaque *Regium imperium* Cicero in III. de Legibus, & in Orat. ad Q. Frat. non injuste appellat *Regiam potestatem*, Livius *Fastigium dignitatum*, Cassiodorus lib. 2. *Variar. ep.* 2. & Ovid. lib. 4. *de Ponto, Eleg.* 2.

——— nullum Martia summo
Altius imperium Consule Roma videt.

Qua de causa Græci, *Consules* non tam ἀρχιβούλους, aut συμβούλους verterunt, vim verbi intuentes: sed potius ὑπάτους, quasi dicas, summos, vim intuentes imperii & potestatis: quemadmodum, quod præcellens & summum est, prisci Græci appellabant ὕπατον, inquit Dionysius lib. 4. Et sane vis omnis, & liberrimum imperium initio apud illos; pacem bellumve facere, fœdere ferire, coërcere, animadvertere, jus vitæ necisque in cives habere: donec paulatim imminuta est, & redacta ad eum modum, qui gravis libertati non esset. Imminuta autem præcipue duplice via: Provocationis, & intercessionis. Provocatio statim post Reges nata, ex lege Valeria. *Livius* lib. 2. quæ animadversiones in cives sustulit, & imperium Consulare non obscure dissolvit. Non enim ultra vitæ & necis potestas penes Consules: cum provocare ad Populum, velut majorem judicem, liceret. At intercessio, quæ nata cum Tribunis, arbitrium pacis, belli, & graviorum rerum, Consulibus eripuit: quoniam intercedere & impedire omnes Consulares actiones poterant, velut Populi voce. Cujus sane Populi vis ac dignitas magis magisque crevit, (utique post Hortensiam legem,) & imperium sumpsit super omnes Magistratus. Soluta igitur Consulum potestas, non tamen fracta, quamdiu Respublica stetit. Multa enim eorum & ampla adhuc munia; quæ strictim & per indicem recensebo. I. Caput Reipublicæ Consules habentur, omnesque magistratus eis subjecti & obnoxii, præter Tribunos. Itaque intercedere etiam omnibus actionibus possunt. II. Militiæ jus summum habent; civibus & sociis imperant: Tribunos militum, Centuriones, Præfectos constituunt. *Cic.* 3. *De Legibus, & Polybius* libr. 6. III. Imperium in provincias habent: evocare subditos possunt, coërcere, punire. *Cicer. in Verr. & Polybius* lib. 6. IV. Jus convocandi populi habent, cum eo agendi, leges ferendi, iisque nomen à se dandi. V. Literas omnes à Præsidibus provinciarum, à Populis ac Urbibus recipiunt: legatos audiunt: & quicquid per Senatum Populumque conficiendum est, manu horum & ministerio conficitur. *Dio Cassius* lib. 40. *Cæsar* 1. *Civil. Polybius* lib. 6. VI. Ut Senatus res omnes pace belloque tractabat, regebat; sic ipsi quodammodo Senatum, quem convocabant, dimittebant: sententias rogabant, numerabant, dividebant; & ad summam, in universa hac navi velut

arbitri

arbitri quidam & gubernatores erant. Atque hæc libera Republica fuêre: at oppressa ea, iterum immutata Consulum potestas. Princeps enim ut omnium Magistratuum jura ad se traxit; ita præcipue Consulum & Tribunorum. Ita ex omnibus, quæ dixi, pauca iis remansere. Nec alia fere Munia reperio sub Principibus, quam ista, ut Senatum rogarent, & consulerent: ut jus dicerent: tutores darent: (*Spartianus in Vita Antonini*) manumitterent: *Cassiodorus* lib. 6. *epist.* 1. *& Claudianus in Eutrop.* lib. 1. vectigalia locarent: *Ovid.* 4. *de Pont. eleg.* 5. *&* 9. (quod olim Censorum munus) ludos, & præsertim Circenses, ederent: *Arrianus* lib. 4. annis nomen darent, *Lucanus* lib. 1. Quæ omnia (ut brevis sim) testimoniis non dilato: quoniam in historiis, & legum libris sparsa. Vide pleraque ex iis, si lubet, apud Cassiodorum *l.* 6. *epist.* 1.

Cap. VIII.

De Insignibus Consulum.

AD *Insignia* venio, sive ad ornamenta quædam externa, quæ adjuncta Consulibus, aliisque Magistratibus, ad augendum splendorem. Eorum omnium originem ab Etruscis esse, *Livius* libr. 1. & Symmachus lib. 3. epist. 11. voluerunt: Itemque Florus, libr. 1. cap. 5. qui distincte etiam recenset. *Inde* (à Tuscis) inquit, *fasces, trabeæ curules, annuli, phaleræ, paludamenta, prætexta: inde, quod aurato curru quatuor equis triumphatur: togæ pictæ, tunicæque palmatæ: omnia denique decora & insignia, quibus Imperii dignitas eminet.* Hæc in Consulibus paulo diversa fuisse reperio, veteri Republica & nova. Veteri republica hæc in usu: Fasces duodecim cum lictoribus, sella curulis, prætexta toga, eaque domi sumpta primo magistratus die ante Deos penates. *Livius* lib. 22. *in fine*. Scipio eburneus in manu sive sceptrum. De quo scipione, minus quidem vulgata res: magnis tamen auctoribus est mihi certa. Dionysius libr. 3. Tarquinio Regi sceptrum eburneum attribuit; idque mansisse successoribus ejus tradit, & Consulibus ipsis, Livius, Gallum quendam scipione eburneo percussum à M. Papyrio scribit, consulare hoc sceptrum intelligens; lib. 3. Valerius de priscis Consulibus libr. 4. cap. 4. *Nec eis fuit rubori, eburneo scipione deposito, agrestem stivam aratri repetere.* In Valeriani epistola apud Vopiscum: in vita Aureliani: *Nam te Consulem hodie designo, scripturus ad Senatum, ut tibi deputet scipionem, deputet etiam fasces. Hæc enim Imperator non solet dare; sed à Senatu, quando fit Consul, accipere.* Cassiodorus lib. 6. in formula Consulatus; *Validam manum victoriali scipione nobilitat.* In glossis priscis; *Scipiones, virgæ Consulum.* Et Ennodius in Panegyrico *Scipiones* pro ipso Consulatu posuit, *Serratum scipionibus*

bus aratra pepererunt. Nec Juvenalem aliter, quàm de hoc scipione ceperim; *Sat.* 10.

Da nunc & volucrem, sceptro quæ surgit eburno.

Præitque nobis, Aquilæ figuram fuisse in summo illo sceptro: nisi tamen magis placet, ad scipionem triumphalem id referri, quem plane ea forma Isidorus describit lib. 17. c. 2. Et eundem in triumpho Appianus etiam agnoscit. *lib. de bellis Punicis.*

Atque hæc fere insignia olim. Posterior ætas sub Principibus quædam addidit, quædam immutavit: & id fere in superbiam, ut solet, & ad pompam. Non contenti enim simplici prætexta, ejus loco togam pictam induxêre; quæ antea triumphantium propria tantum. Lamprid. in Alexandro; *Prætextam & togam pictam nunquam nisi Consul accipit; & eam quidem, quam de Jovis templo sumptam & alii quoque accipiebant, aut Prætores aut Consules.* Ubi & notari ritum illum sedulo velim, accipiendæ consularis ejus togæ è Capitolino templo; quem eundem ingerit opportune in eadem ista re Capitolinus in Gordiano seniore. *Palmatam tunicam,* inquit, *& togam pictam primus Romanorum privatus suam propriam habuit; cum antea Imperatores eam de Capitolio acciperent, vel de Palatio.* Hæc est illa *toga picta*, quam *palmatam* alio nomine dixêre: tribuuntque eam Consulibus. Cassiodorus lib. 6. epist. 1. *Pinge,* inquit, *vastos humeros vario colore palmatæ.* Et Ennodius *in Panegyrico.* Etsi de toga non exprimunt clare. Itaque suspicari possis, ex superioribus Capitolini verbis, de tunica tantum. Falso tamen ex Martiale, qui togam in hac re nominat diserte:

Palmatæque ducem, sed cito, redde togæ.

Id est, Consulatui. Et Ausonio, qui in Panegyrico Gratiani tria hæc, *pictam, palmatam, trabeam,* aperte confundit, & solere id suo ævo ostendit. Nam & *trabeam* reperies, velut propriam Consulum vestem. Et cave pro *tunica* accipias; ut prisci, sed pro hac ipsa *toga picta.* Causa, cur utrumque hoc nomen ei dederint: quod auro purpuraque intexta ea fuerit, ad formam trabium sive palmarium ramorum.

De *trabea* autem Consulari Symmachus libr. 9. epist. 1. c. 2. *Literæ,* inquit, *quæ te annalem trabeam meruisse loquerentur.* Hoc est, Consulatum. Et Claudianus *in Eutropio*:

Annus qui trabeas, hic dedit exilium.

Atque idem Poëta etiam alias sæpe. Atque etiam Impp. *l.* 1. *C. De Coss.* Jam in *fascibus* ipsis etiam aliquid immutarunt. *Laurum* enim iis perpetuam addidêre: quod olim solet tantum in Triumphis. Colligo ex Martial. *l.* 10. *epigr.* 10.

Cum tu laurigeris annum qui fascibus intras.

& *lib.* 12. *epigr.* 3. ostendit etiam laurum ædibus Consulum solere addi. Sed & Cassiodorus laurum Consulibus diserte tribuit. *lib.* 2. *Variar. Epist.* 2.

Nec

Nec *laurus* solum; sed & *secures* etiam relatas iterum in fasces, quas Valerius ademerat, animadvertet non oscitans lector ex eodem Cassiodoro, libr. 6. *Hinc est,* inquit, *quod etiam fasces atque secures tantæ potestati præceptæ sunt illigari.* Vide *Elect. cap.* 23. Ex Claudiano, aliquot locis, *lib.* 2. *in Eutrop.* & 4. *Consulat. Honorii.* Nec ideo, quod imperium aut potentia iis creverat, (contra est,) sed quod fastus & superbia externa: quæ ipsa etiam *calceos auratos* Consulibus induit. Quod scriptum a solo quod sciam Cassiodoro; satis tamen clare. *Lares,* inquit, *proprios calceis auratis egredere.* libr. 6. *in Form. Cons.* Quod genus calceorum in usu Romæ fuisse, Epictetus me docuit in Enchiridio *cap.* 54.

CAP. IX.

Ritus aliquot Consulares.

NOmen, vim, & insignia Consulum satis expressi; addam ritus aliquot priscos, & non obvios; qui valde ad Scriptorum veterum lucem. Eos certo ordine vix dedero, sed ut venient sub stylum.

Primum noto, vario die *initium Consulatus* olim fuisse, quod ex Livii locis multis clarum. Donec Anno DXCVIII. inire & ipsi, & alii Magistratus, cœpêre Calendis Januariis. Hoc traditum in epitome Liviana 47. etsi mutile & corrupte. Primus autem hic dies Consulibus valde honoratus. Domum enim eorum, & Populus, & Senatus conveniebat, eosque salutabat, deducebat. De *salutatione* Claudianus de Consule Eutropio; *lib.* 2.

> ——— *vulgata patebat*
> *Aula salutantum studiis.*———

De comitatu senatus & populi. Ovidius 4. *de Pont. eleg.* 9.

> *Dumque latus sancti cingat tibi turba senatus,*
> *Consulis ante pedes ire juberer eques.*

Et Claudianus *lib.* 1.

> *Candida pollutos comitatur curia fasces.*

Hæc *officia Consulum* Spartianus vocat *in Hadriano. Romæ,* inquit, *Prætorum & Consulum officia frequentavit.* Et Suetonius *in Julio, cap.* 15. *Relicto,* inquit, *novorum Consulum officio.* Symmachus id appellat, *auspiciis interesse,* lib. 1. Epist. 51. *Fortunati,* inquit, *sellam tuam læto agmine prosequantur & auspiciis tuis quivis fati integer amicus intersit.* Et libr. 3. epist. 21. *Apud egregium virum Consulem fave absentiæ meæ: cujus honore gloriari nostrum est; auspiciis interesse, felicium.* Et appellat ideo, quod primo illo die munia omnia Consulatus sui delibabat: velut auspicii causa. Ideo & *Auspicialis* hic *dies* appellatus: de quo scripsi ad lib. 4. Annal. Taciti.

Initium

Initium autem faciebant à Religione, & deducebantur solenni isto officio in Capitolium primo, ut vota scilicet conciperent, & singulos boves Jovi illic immolarent. Ovidius, de Graecino Consule, *lib.* 4. *De Pont. eleg.* 9.

At cum Tarpeias esses deductus in arces,
Dum caderet jussu victima sacra tuo.

Lampridius de Heliogabalo: *Deinde in Capitolium ad vota concipienda, & perficienda solennia, ire noluit: omnia per Praefectum urbanum, quasi Consules illic non essent, facta sunt.* Et Livius clare *libr.* 41. *Consulibus*, inquit, *quo die Magistratum inière, immolantibus singulis Jovi bobus, ut solet*, &c. Spectatque ad hoc Consulare sacrum, quod Suetonius in Augusto scribit *cap.* 25. Et Plinius *libr.* 2. *cap.* 37. Adde & Ovidium iterum *libr.* 4. *de pont. eleg.* 4. A Capitolio autem in Senatum deducebantur, gratiasque illic Principi habebant, jussi (ut inquit Plinius) Senatusconsulto; atque eodem ipso die *munera consularia* amicis mittebant: quorum mentio apud Symmachum epist. 61. libr. 3. *Grata mihi*, inquit, *fuêre amplissimi Consulatus tui munera.* Vocatque haec *sportulam consularem* idem scriptor, *lib.* 9. *epist. ultim.* Sed & in populum pecuniam spargebant: cujus effusionis Cassiodorus meminit *lib.* 2. *ep.* 2. & *lib.* 6. *ep.* 1. Eique sparsioni centena auri pondo attributa fuisse, docet *lex* 2. *C. De Consulibus.* Ubi tamen utilitas haec spargendi ab Imp. tollitur, & summa ea ad aquae ductus reparandos transfertur. Primis etiam his diebus in leges jurabant; sicut & reliqui & Magistratus omnes: nec fas cuiquam magistratum ultra quinque dies gerere; nisi qui publice id juramentum praestitisset. Livius *lib.* 31. *Q. Valerius Flaccus*, inquit, *quia Flamen Dialis* (id est Jovialis) *erat jurare in leges non poterat. Magistratum autem plus dies quinque, nisi qui in leges jurasset, non licebat gerere.* Etsi Plinius *in Panegyr.* id juramentum bis praestari solitum, videatur innuere: semel, cum designati Consules essent; idque in manum Consulis renunciantis: iterum in rostris, toto populo audiente. Et formula etiam ipsa expressa ab eo in parte. Quem totum locum in medio Panegyrico ejus omnino vide. Atque simile juramentum iterum praestabant, Consulatu jam gesto; jurabant, inquam, nihil in eo scienter se fecisse contra leges. Plinius; *Itaque & abituros Consulatu, Jurasti*, inquit, *te nihil contra leges fecisse.* Dio Cassius, *lib.* 53. *Augustus*, inquit, *defunctus consulatu, juramentum patrio more praestitit.* Idem de Claudio, *lib.* 60. *Consulatu abiens*, inquit, *item, ut alii, juramentum praestitit; solitus id in omnibus consulatibus suis facere.* Atque de hoc ultimo juramento Cicero capiendus, *lib.* 5. *epist.* 2. & *orat. in L. Pisonem.* Et Plutarchus *in Cicer.* Dio Cassius *lib.* 37.

Atque haec facere primis diebus in usu: quibus addo *Ritum* ad vim & potestatem Consulum spectantem, quae interdum poscente

salute

salute publica ita aucta est, ut par absolutæ & regiæ potentiæ esset. Modus augendi per S. C. quo Respublica Consulibus permitti dicebatur, commendari, defendenda dari. Quod tamen interponi non temere solet, nisi in atroci negotio, ut Sallustius ait, *in Catil.* & in ultima necessitate, ut Livius, *lib.* 3. in ipso urbis incendio, & desperatione omnium salutis, ut Cæsar 1. *de bello civili.* Formula Senatusconsulti brevis & solennis hæc:

VIDERENT CONSULES, NE QUID RESPUBLICA DETRIMENTI ACCIPERET.

Quo uno versiculo satis armatos eos semper fuisse, etiam nullis armis datis, Cicero *pro Milone* scripsit. Vis enim eorum verborum hæc: ut imperium summum merumque Consulibus esset, exercitum parare possent, bellum gerere, coercere omnibus modis socios atque cives: & uno verbo, restituebatur eis hoc decreto jus regium vetus, per provocationem, aliasque leges ademtum. Antiquum autem valde hunc morem esse, & cum prima Republica natum, docet Livius; qui ejus, ut jam recepti, meminit *lib.* 3. soletque interponi in domestico plerumque motu; ut Tribuniciis seditionibus, perniciosis legibus, conjuratione occulta; aut etiam externo discrimine, sed extremo. Vide, præter dictos, Vegetium *lib.* 3. *cap.* 1. & Dionem *lib.* 37.

Ritum huic adjungo triplicem. Unum, qui ad *insignia* Consulum spectat, & ad *fasces.* Alterum de *securibus* ablatis: de quo satis dixi in Electis, *cap.* 26. Alterum, *de divisione fascium.* Qui sic habet. Consulibus duobus creatis, cum initio fasces XXIV præferrentur, id est, singulis XII, in voce & invidia populi res fuit: tanquam regno non depulso, sed duplicato: ea causa Valerius instituit, ut XII tantum fasces conspicerentur, iique alternis mensibus apud alterum Consulem essent: ita, inquam, ut, priore mense prior Consul eos haberet: secundo alter, atque ita in orbem. Dionysius *lib.* 5. Dio Cassius *libr.* 5. Sumere autem eos prior solebat, qui major natu esset: idque obtinuisse videtur usque ad Legem *Juliam*, quæ honorem hunc detulit numero liberorum. De utroque vide Valerium *libr.* 4. *cap.* 1. & Agellium *lib.* 2. *cap.* 15. Interea tamen Consulis, qui sine fascibus, ne nullo insigni nosceretur, *Accensum* habebat, qui eum præcederet, & Lictores, *Dionysius libr.* 5. *initio*, qui sequerentur cum virgis & bacillis. Suetonius in Julio, *cap.* 20. Livius ubi de Decemviris, *lib.* 3.

Denique postremo observo *Ritum*, qui ad tempus gerendi Consulatus pertinet: quod olim annum fuisse scimus: mutatum tamen statim cum Republica, & à Julio Cæsare plures uno anno Consules facti. [An. U. C. DCCVIII.] Designabantur enim Consules in tres, duos, imo in unum mensem, & alii atque alii substituebantur. Mos notus, & obvia exempla, à quo tamen manasse moneo, ut duo genera Consulum nominarentur; *Ordinarii* & *Suffecti.* *Ordinarii*, qui

qui more prisco, principio anni & Cal. Jan. inirent. *Suffecti* autem omnes, qui deinceps substituti. Illi honestiores censebantur; quod nomen eorum magis celebre & æternum; dum ab iis tempora & anni numerarentur. Seneca. *Consulem me fecit, sed non ordinarium.* Suetonius in Domitiano, *cap.* 2. *In sex consulatibus unum ordinarium tantum gessit.* Symmachus *lib.* 9. *epist.* 120. *Delatus est à clementissimis Principibus ordinarius consulatus.* Lampridius in *Alexandro*: *Consulatum tertium iniit tantum ordinarium*; Hæc divisio & hic mos ad Constantinum Imperatorem mansit, qui consulatum iterum annuum fecit, & pro suffectis novum genus reperit, quos *Consulares* dixit, sive etiam *Consules honorarios*. Quorum origo à consularibus ornamentis, quæ instituerat jam olim Julius Cæsar, apud Suetonium *cap.* 76. Extat *consularitatis* formula [ita honorem hunc appellabant; non consulatum] in Cassiodoro *lib.* 6. *epist.* 21. quem omnino suadeo legas: itemque de istis capienda *lex* 4. C. *De Coss.* & *Novell. c.* 62.

CAP. X.

De Prætoribus. Nomen eorum. Institutio. Numerus. Insignia.

JUxta Consules *Prætores* merito sequuntur: qui dignitate proximi, & *collegæ consulis* appellantur; quoniam iisdem auspiciis creabantur. *Liv. libr.* 7. & *Agell. lib.* 13. *cap.* 14. Nomen iis, sive quod *præirent*; *Varro l.* 3. *de L. L.* sive quod *præessent*, mere Latinum, & sane vetus. Populi enim plerique è Latio, Imperatores suos & duces *Prætores* appellabant; uti exempla in Livio crebra. Sed & Etrusci Prætores habuisse videntur inter ordinarios & legitimos Magistratus. Spartianus me docuit *in Hadriano*. *In Etruria,* inquit, *Præturam Imperator egit, per Latina oppida Dictator, & Ædilis & Duûmvir fuit.* Et vetus in Italia inscriptio:

PRÆTOR HETRURIÆ
XV POPULORUM.

Ita ut late omnino patuerit id nomen: *nec solum,* ut Asconius 3. *in Verrem* ait, *veteres omnem Magistratum, cui pareret exercitus, Prætorem appellarunt: sed quemcunque in re profana, sive etiam sacra, præfectum.* Sic in monumentis lego: PRÆTOREM TIBURTINUM, PRÆTOREM SACRORUM, PRÆTOREM SACRIS VOLCANI, PRÆTOREM JUVENTUTIS. Nec scio, an lata illa significatione Suetonius sumpserit, cum librum *De prætoribus* inscripsit. Sed commune tamen antea nomen, & Consulibus ipsis usurpatum, proprium esse cœpit huic Magistratui: qui institutis anno U.C. CCCLXXXVIII. Causa instituendi duplex; Utilitas, & Æmulatio. Utilitas: quia

cum Consules sæpe bellis avocarentur, nec esset in Urbe qui jus diceret; ex usu fuit Magistratum creari, qui proprie huic muneri vacaret. Æmulatio: quoniam, ut Livius indicat *lib.* 7. *initio*, Patricii novum hunc honorem avide quæsivêre, in locum erepti Consulatus. Creatus autem initio unus: postea (circa annum Urb. DI) alter adjectus, qui jus item diceret, sed diversis muneribus: ille inter cives: hic inter cives & peregrinos. Itaque cognominibus etiam distincti fuêre: alter *Urbanus*, alter *Peregrinus* appellatus. Ille tamen honestior digniorque; adeo ut veluti proprio cognomento *Honoratus* appellaretur ab Ovidio *lib.* 1. *Fastor.*

Verbaque honoratus libera Prætor habet.

Et *jus*, quod ab eo edictisque ejus descendit, *honorarium. l.* 2. *ff. De orig. jur. & l.* 7. *De just. & jure.* At postea etiam duo alii additi, paulo diverso fine: quod, ut priores Consules adjuverunt in jure dicendo; sic isti, in provinciis regendis. Id factum anno U. C. IↃXX. Sardinia & Sicilia in provinciarum formam redactis: & duo etiam adjecti, Hispanis devictis, an. U. C. IↃLVII. Ita in universum tunc Prætores sex: ex quibus duo soli in Urbe manebant; reliqui quatuor, statim ac renunciati erant, in provincias ibant, quas sors assignarat. Id mansit, donec quæstiones perpetuæ constitutæ sunt, anno Urb. Cond. DCV, & Senatui tunc visum, ut Prætores omnes ipso anno magistratus sui in Urbe hærerent, & parte aliqua jus tangerent, sive publicum, sive privatum. Et paulo post *Cic. pro Milon.* Sulla Dictator, ut quæstionum numerum auxit; sic & Prætorum: factique octo. Errat enim Pomponius *lib.* 2. *ff. De orig. jur.* qui asseverat de decem. Primus C. Cæsar denos creavit, & postea XVI, ut Dio tradit *lib.* 42. & 43. Et majore licentia Triumviri LXIV. quod idem scriptor asseruit *libr.* 48. Augustus tamen temperavit, & duodenario numero inclusit. Sed frustra; quia iterum XVI facti, quibus Claudius II etiam adjecit, qui proprie jus dicerent de Fidei commissis. *l.* 2. *ff. de origine Juris. Ulp. in institut. tit.* 22. Ex his Titus unum detraxit: sed Nerva restituit, cum munere, ut jus diceret inter privatos & fiscum. *Tutelarem* etiam *Prætorem* à M. Antonio Philosopho institutum, Capitolinus in Vita ejus prodidit, & meminêre Leges *lib.* 3. & 4. *in Cod. Theod.* Ita in universum XVIII Prætores facti: donec paulatim minuente Imperio, minuti & ipsi, & tres tantum creari, lege Valentiniani & Marciani A. A. (*l.* 2. C. *De offic. Præt.*) Atque hæc de numero & augmento breviter.

Insignia addam: quæ non obscura. *Prætexta* enim *togæ* illis jus: Item *Sellæ curulis*: *Lictores* cum fascibus sex (*Val.* 1. *c.* 1.) habuêre: unde Polybius & Græci ἑξαπέλεκυν *Prætorem* plerumque vocant. Nec lex vetus apud Censorinum me turbat, quæ Prætori Urbano duos tantum lictores tribuit. Quod capiendum hac mente, ut minimum duo semper in tribunali ejus adsint & appareant; non plures.

CAP.

Cap. XI.

De Officiis Prætorum.

AT munera Prætorum præcipue tria: *Ludi*, *Sacra*, *Jurisdictio*. *Ludos* enim varios dabant ad populi gratiam, ut exempla oc currunt passim. *Tacit. Annal. lib.*8. *Plutarch. in Bruto. App. lib.* 1. *bell. civil. Sacrum* etiam plerumque curabant *Bonæ Deæ*: quod domi eorum ab uxore fiebat. Plutarchus *in Cæsare* docet, *ad Atticum lib.* 1. *epist.* x. Martialis etiam suo ævo in usu ostendit, *epigram.* XLI. *lib.* x. ubi *populare* id *sacrum* appellari monet: quia pro populo fiebat: unde *Damium* dictum notat Festus, etsi interpretatione addita non bona. In has autem duas res magni sumptus facti. Martialis integro illo epigrammate ostendit: Capitolinus *in Maximo*, aliique. Unde, velut proverbii loco, ab Augustino usurpata censeo *prætoriana pretia*, pro magnis. *Ita addictus erat studiis*, inquit, *ut pretiis prætorianis sibi conficiendos codices curavit*: lib. VI. Confession. cap. x. Hæc duo munera, sive onera potius, sola fere mansere Prætoribus, labente Imperio; ut non frustra a Boëtio scriptum sit lib. III. de Consulat. *Prætura magna olim potestas, nunc inane nomen, & senatorii census gravis sarcina.* Ad tertium maximumque munus, *Jurisdictio*: quam dupliciter considero, *in privatis, & publicis judiciis. Privata judicia*, id est, res Civiles, tractabant duo soli e Prætoribus, Urbanus & Peregrinus; *Publica*, sive res Criminales, reliqui omnes. Ita tamen, ut singulis certæ essent quæstiones, una, pluresve. De quibus dilucide & subtiliter dicere, non nostrum. Latus enim campus, & quam merito decurrant soli Jurisconsulti; e quibus ante omnes legi suadeo Barnabam Brisonium *lib.* v. *Formularum*.

Cap. XII.

De Ædilibus. Eorum nomen, Institutio, & Genera.

TErtio loco *Ædiles* censeo. Quibus nomen (ut plerique omnes volunt) ab *ædium* cura, sive, quod ædes sacras privatasque curarent, ut Varro ait *lib.* 4. *de L.L. & Zonaras lib.* 2. *& Dionys. l.* 6. sive quod ædibus præessent, in quibus omnia scita sua plebes deferebat, ut Pomponius *l.* 5. *ff. De orig. Juris.* Festus magis nove & remote, ab adeundo derivat, quod facilis ad omnes plebi aditus esset. Sed revera utrumque etymon, si attentius inspicis, labat. Et verius fortassis tunc Romæ nomen id primum natum; sed, ut pleraque, è Latio traductum, nec ex re impositum, sed ab

exemplo. Jam olim enim Ædilium magiſtratus in Latinis oppidis, *l. ff. Locati*, qui *Ædiles quinquennales* cognominati in hiſtoriis & lapidibus paſſim. Spartianus clare in *Hadriano*: *Per Latina oppida Dictator, Ædilis & Duumvir fuit.* Iſque primus & ſummus, niſi fallor, municipalis magiſtratus. *Juvenalis*:

Sufficiunt tunicæ ſummis Ædilibus albæ.

Atque eos illic ab ædibus primo dictos nihil abnuam: quia velut minuti Cenſores quidam erant & ædium ſacrarum privatarumque curam gerebant. Inſtituti autem Romæ una cum ipſis Tribunis plebis, anno Urb. conditæ CCLXXI. Plebs enim Tribunos ſuos nacta, hoc amplius à Patribus petiit, (inquit Dionyſius *l.* VI.) ut quos è plebe creare ſibi liceret, qui Tribunis velut adminiſtri & adjutores eſſent, quique eas cauſas cognoſcerent, quas illi commiſiſſent. Itaque hi primi *Ædiles plebis* appellati. Additi poſtea anno Urbis CCCLXXXVIII. duo è Patribus, qui ludorum cauſa præcipue creati, (Livium vide *in fine lib.* 6, *& initio lib.* 2.) & cum diſcrimine *Ædiles Curules* dicti; quoniam ea ſella honoris cauſa utebantur. Priores enim illi tantum in ſubſelliis ſedebant: ut & Tribuni, & Quæſtores. *Aſcon. Pædianus in Divinat. Cic.* Itaque hi digniores, & μείζονα ἀγορανομίαν Plutarchus appellavit hanc Curulem, *in Mario, initio.* *Curulis* autem *ſella* à curru dicta, ut vulgi opinio eſt: *Agell. lib.* 3. *c.* 18. quam Iſidorus appoſite firmat: *Conſules olim* (inquiens) *& Prætores, ob longinquitatem viæ curru in forum provectos: ideoque & ſellas, quæ poſt eos vehebantur, in quibus ſedentes jura redderent, Curules dictas.* Cui tamen derivationi ſcriptura & dimenſio repugnant: veriuſque à Curibus (oppidum olim Sabinorum erat) dicta. Forma ejus in nummis crebro expreſſa: nec diſſimilis ſellis iis, quas Hiſpanicas vocamus, & quarum in aulis uſus. Deſcribit Plutarchus (*in Mario*) & incurvis pedibus eas fuiſſe oſtendit. Itaque in Gloſſis priſcis *ſella curulis*, explicatur ἀγκυλόπους θρόνος βασιλικός. Altas facit Silius l. 8.

Hæc altas eboris decoravit honore curules.

Itaque Lucanus *lib.* 5.

Lentulus è celſa ſublimis ſede profatur.

Non quod ſellæ ipſæ altiſſimæ; ſed quod adjuncti plures gradus. Caſſiodorus *l.* 6. *epiſt.* *Sellam curulem pro ſua magnitudine multis gradibus eniſus aſcendit.* Ebore autem eæ tectæ: ideoque Horatius *lib.* 1. *epiſt.* circumſcripſit:

—— *dabit, eripietque curule*
Cui volet importunus ebur.

Et Athenæus *lib.* 5. *c.* 4. de Antiocho rege, *ſediſſe eum,* ait, *eburnea ſede ritu Romanorum*: ſignificans curulem. Nec aliter Græci vertunt, quam ἐλεφάντινον θρόνον, aut δίφρον. Quo exemplo etiam Vopiſcus in Aureliano *Sellam eboratam* dixit. Cælatum & ſculptum id fuiſſe, Ovidius oſtendit *lib.* 4. *de Pont. eleg.* 9.

Signa

Signa quoque in sella nossem formata curuli,
Et totum Numidæ sculptile dentis opus.

Nec plures Ædiles, ad tempora C. Cæsaris: qui duos præterea adjecit, an. U. C. DCCX. quos è Patribus creari tantum voluit; & quia frumentariæ curæ præfecti, à Cerere *Cereales* dixit: Dio *lib.* 43. *sub finem*, & Pomponius *lib.* 2. *ff. De origine Juris.* Ita sex in universum Ædiles, triplici tamen discrimine: quos ad Constantini usque Magni tempora in Republica perseverasse crediderim, & ab eo (ut plerosque Magistratus) sublatos.

Cap. XIII.

De Officiis Ædilium.

At munera Ædilium, quæ fuerint, pleraque omnia lege sua Cicero *lib.* 3. *De leg.* breviter expedit: *Suntoque Ædiles,* inquit, *curatores urbis, ludorumque solennium.* Ait, *Curatores urbis:* sicut alibi, 5. *Verr.* dicere non veretur, *totam urbem iis tuendam commissam*; non male, quod ea fere omnia curabant, quæ ad ornatum aut ordinem urbis. Primo enim opera publica inspiciebant ac tuebantur; & templa Deorum. *Cicero* 5. *Verr. Varro* 4. *de L. L.* Secundo, incendiorum eis cura, & ne quod ab igne damnum. Quod munus tamen Augustus imposuisse iis primus videtur, *ex Dione lib.* 54. Tertio funerum taliumque minutorum rituum institutio penes eos, & conservatio. *Ovidius* VI *Fastorum:*

Adde quod Ædilis, pompa qui funeris irent,
Artifices tantum jusserat esse decem.

Sed & matrimoniorum, quodque adnexum iis, scortationum, & meretricum coërcitio quædam & regimen: ut satis docui in Commentar. II. ad Taciti Annales. Denique balnea, aquæ ductus, cloacas, plateas: & loca omnia Urbis curabant, ut pura ea & munda essent. De balneis Seneca, (*ep.* 13.) *Dii boni*, inquit, *quam juvabat illa balnea intrare, obscura & regali tectorio inducta, quæ sciret Catonem tibi Ædilem, aut Fabium Maximum, aut ex Corneliis aliquem manu sua temperasse!* Et alibi eleganter: *Invenies balnea, & popinas, & loca Ædilem metuentia.* Et de munditate Plautus *Sticho*, cui cum servus imperasset:

Cape illas scopas, tu hoc converre, &c.

Parasitus subjicit:

Sine suffragio populi Ædilitatem hic quidem gerit.

Et plura ad hanc rem distincte, & apte *l. unica, ff. De via publica*, ubi *Ædiles* Papinianus ἀστυνόμους semper vertit: quod non aliud, quàm curatores urbis.

Sed addit ſecundo loco Cicero *Annonæ Curatores*. Veriſſime: quia non rerum ſolum venalium ad eos cura & æſtimatio ſpectabat, ſed etiam pecudum hominumque. Apuleius *lib.* 1. *Ædilem gerimus*, inquit, *& annonam curamus*. Plautus Rudente:

Ita ſolet Neptunus: quamvis faſtidioſus Ædilis eſt,
Si quæ improbæ ſunt merces, jactat omnes.

Perſius Satyra 1.

Fregerit heminas Areti Ædilis iniquas.

Immo *Jus* etiam his de rebus *dicebant*, ex Dione l. III, initio. *Mulctas imponebant*, ex Papiniani L. unica. De vi publica. *Edicta concipiebant*, ex Plauto, Captivis.

Euge, edictiones ædilitias hic quidem habes.

Omniaque, uno verbo, regebant & dirigebant, quæ ad venalium forum. Unde Græci plerumque ἀγορανόμοις eos recte verterunt. Agellium vide *lib.* 4. *c.* 2. & Juriſconſultos, *titulo toto de Ædilitio edicto.*

Denique pro tertio munere Cicero addit, *curationem ludorum ſolennium*. Et caute, *ſolennium*: quia ſtatos ludos tantum curaſſe videntur, & publice receptos; ut Florales, Circenſes, Megalenſes, Romanos, &c. non autem privatos, funebres, aut votivos. Exempla hujus curæ & muneris ubique prompta, & paſſim legas; Ædiles ſuo ſumptu edidiſſe ludos, præfuiſſe, ordinaſſe, præmia ſive pœnas actoribus diſtribuiſſe; denique, ſcripta etiam examinaſſe, & fabulas, quæ agendæ. Donatum in vita Terentii vide. Nec ſcio, an ab hac ſcenica inſpectione manavit, ut jus quoddam judiciumque iis fuerit etiam in alios libros. Apparet ex Senatus decreto apud Tacitum IV. Annalium, quo jubentur Ædiles cremare Cremutii Cordi ſcripta.

CAP. XIV.

De Tribunorum Nomine, Origine, & ex quo ordine creati.

QUartus in ordine Magiſtratus *Tribunorum* eſt; quorum nomen vetus, & origini Urbis pene æquale. Nam *Tribuni Celerum*, id eſt, equitum, ſtatim nati in regno Romuli, *l.* 2. *ff. De orig. Jur.* *Varro lib.* 4. *de L. L.* dictaque & ducta vox, ſive a ternario numero, quia tres tantum tunc populi partes, & ex ſingulis crearentur, ad exercitum mittendi: ſive a tribubus, quod earum ſuffragiis crearentur, vel quod iis præeſſent: quo ſane exemplo a Curibus *Curiones* dicti. Utcunque de etymo ſit, late fuſum nomen: & vis ea fere ſubeſt, ut Curatorem fere ſignificet, aut Præfectum. Itaque cum additione uſurparunt: *Tribunus Celerum*, *Militum*, *Ærarii*, *Plebis*. Et poſteriore ævo ſub Principibus *Tribunus Voluptatum*, *Matrimo-*

Matrimoniorum, Chartariorum: quæ genera in Caſſiodoro lego *lib. 7. Variar. epiſt.* 10. & 47. *lib.* 12. *epiſt.* 24. & *Tribunus Fori*, in lapidibus; *Tribunus Scholarum*, in Codice Juſtinianeo. At diverſi hi noſtri & digniores aliis: quorum origo à ſeditione. Cum enim plebs in nova libertate varie premi à Patribus videretur, anno Urbis cclx receſſit in montem Sacrum: nec reduci in urbem potuit; niſi ut proprium hunc Magiſtratum haberet juris ſui vindicem & cuſtodem. Creati autem initio duo: mox tres adjecti: denique A. Urb. ccxcvii iterum quinque additi, decemque in univerſum facti: qui numerus deinceps in Republica manſit, & quoniam primi Tribuni Magiſtratum occepêre IV Idus Decembris, hoc quoque obtinuit, ut Tribuni non Calendis Januariis inirent, ſicut Magiſtratus cæteri, ſed illo ipſo die. Dionyſius clare *lib. 7. extremo.* Et ab ea mente Appianus *lib.* 1. *Civil.* Adde Plutarchum *problemate* 81. Comitia Tribunorum refert in æſtatem. Quia autem per plebem creati, hoc quoque manſit, ut tantum è plebe: niſi quod ſemel Patricios duos cooptatos reperio apud Livium *l.* 3. Immo plerumque ex infima plebe: donec lata lex, ut crearentur tantum è Senatu, id eſt, ut nemo Tribunus eſſe poſſet, niſi qui antea Senator: Senator tamen plebeius. Id quando inſtitutum, diſerte haud ſcio: immo vix ipſi veteres; inter quos & Appianus ambigit *l.* 1. *bellorum civilium*, rectene id referatur ad Sullam. *Nec conſtat*, inquit, *an Tribunatum, uti nunc eſt, à plebe ad Senatum tranſtulerit.* Atteius tamen Capito *apud Agellium* lib. 14. cap. ult. ut ego quidem interpretor ad Atinium plebiſcitum refert. Nam ait; *Tribunis Senatum habendi jus erat, quanquam Senatores non eſſent, ante Atinium plebiſcitum*, quaſi dicat, Atinio plebiſcito lectos è Senatu. Quanquam nec de tempore ejus plebiſciti conſtat: niſi quod P. Atinium quendam Tribunum reperio, C. Julio Cæſare, & Marco Bibulo, Conſulibus. Certe quidem libera adhuc Republica id in uſu fuiſſe, docet aperte Suetonius in Auguſto cap. 10. *In locum*, inquit, *Tribuni plebis demortui candidatum ſe oſtendit; quanquam Patricius, necdum Senator.* Itaque non jus petendi Tribunatus, niſi Senatorum. Plinium *lib.* 2. *epiſt.* 9. ita exaudio: *Ego*, inquit, *Sexto latum clavum à Cæſare noſtro, ego Quæſturam impetravi: meo ſuffragio pervenit ad jus Tribunatus petendi.* Et Suetonius idem, ut novum, notat in Auguſto, *cap.* 40. quod comitiis tribunitiis, ſi deeſſent candidati Senatores, ex Equitibus crearit.

Cap. XV.

De Officio & potestate Tribunorum.

HÆC origo Tribunorum, hæc creatio, eaque ratione Romæ Consulibus oppositi, qua Lacedæmone Regibus Ephori. *Valer. lib.* 4. *c.* 5. *Cicer. lib.* 3. *de Legib. Plutarchus in Coriolano.* Itaque munus eorum initio unum & simplex, *auxilii latio.* Creati enim contra vim potentiamque Magistratuum; scutum duntaxat impediendi & defendendi habebant, non agendi aut lædendi telum; oppressos juvabant, eripiebant; iniqua decreta aut jussa, sive Senatus, sive Magistratuum rescindebant: eoque fine (ut Plutarchus notat *Proble.* 81.) januæ eorum nocte dieque patebant: ut paratos sese ostenderent, ad desideria & querelas miserorum excipiendas. Sed nec ullam horam abesse ab urbe legitime poterant; ut Dio ait, *l.*37. sive nullum diem; ut Agellius *l.* 3. *c.* 2. vel, ut magis arcte Appianus, *l.* 2. *Civil.* mœnia egredi iis non licebat; hac eadem scilicet causa. Ad auxilium autem ferendum parata intercessio; quæ peragi solita uno & solenni verbo, VETO, Livius *lib.* 6. *Faxo,* inquit, *ne juvet vox ista,* VETO; *qua nunc concinente, collegas nostros tam læti auditis.* Cujus intercessionis tanta vis; ut privati Magistratusque omnes parerent: qui non fecisset, vel per viatorem Tribunitium in carcerem abriperetur, vel die dicta apud populum accusaretur, ut violator sacrosanctæ potestatis. Tales enim ipsi. Eaque de re Leges veteres apud Dionysium *lib.* 6. *in fine*; & *lib.* 7. *circa medium*; & Livium. Quin Cicero *pro Sextio* hoc amplius notat: eam esse sanctitatem Tribunatus, ut non modo contra vim & ferrum, sed etiam contra verba & interfationem, legibus sacratis sint armati. Ea autem intercessio valida etiam inter Tribunos ipsos; adeo ut, uno ex collegio vetante, irritæ sint reliquorum omnium actiones. *Plutarch. in Catone Min.* Atque hoc est, quod *extremum jus Tribunorum* Cæsar appellat, 1 *Commentario De bellis civilibus*: & quod etiam à L. Sulla iis relictum fatetur. Itaque agere, imperare, decernere, remotum à primis Tribunis: apud Tacit. 1 *Annal.* Tiberius convocat Senatum jure Tribunitio: donec paulatim fiducia sancti juris progressi ulterius sunt, & limites protulerunt sui magistratus. Qui olim in senatum non veniebant, sed ante valvas curiæ positis subselliis sedebant; Valerius auctor *lib.* 2. *cap.* 2. ii mox Senatum convocare ausi, quod cœpisse primum anno Urbis CCXCVII, Dionysius curiose notat *lib.* 10. Immo dimittere etiam ab alio convocatum: quod Appianus *lib.* 2. *Civil.* monet de Curione. *Senatum,* inquit, *re infecta dimisit. Potest enim hoc Tribunus plebis facere.* Denique concionem advocare, tabernas claudi jubere, leges & rogationes ferre, judicia quædam exercere; in

in immensum scilicet aucta potestate, postquam lege Hortensia plebis scita omnem populum tenuêre. *Varro lib. 5. de L. L. Livius 9. Cic. 1. Agrar.* Itaque qui frenum aliis injecerunt, freno ipsi eguêre, & cum per hanc immoderatam licentiam materies crebra turbarum & seditionum esset; Sulla Dictator potestatem Tribunitiam valde circumcîdit, immo pene excîdit. Vetuit enim, ne leges ferrent, ne concionarentur, ne provocaretur ad eos; solumque & nudum jus intercedendi reliquit. Hoc amplius, ut absterreret homines ab eo magistratu capessendo; sanxit, ut ne cui Tribuno aditus pateret ad alium magistratum. Quam tamen postremam legem eo mortuo, Aurelius Cotta Consul, *Ascon. pro Cotta,* statim abrogavit; sicut reliqua omnia Pompeius Magnus in primo consulatu. Itaque Tribunis iterum permissum jus vetus ad Impp. usque; qui, Tribunitia potestate sibi sumpta, insignia penes eos reliquerunt, & pene inane nomen. Quod tamen in Imperio Romano ad Constantini usque tempora mansit.

Cap. XVI.

De Quæstoribus. Unde dicti. Quando & quammulti facti. Denique Jus eorum, ac Munus.

QUæstores ordine primi, dignitate ultimi inter Magistratus. Iis non ambigue à *quærendo* nomen; quod pecunias publicas conquirebant & reponebant, *Varro 4. de L.L.* ideo & ταμίαι Græce dicti. Origo eorum vetustissima inter Magistratus; ut Pomponius *l. 2. De orig. Jur.* & Tacitus volunt *lib. 2. Annal.* quippe qui instituti sub ipsis Regibus. Sed an hoc eodem munere, an potius *de crimine quærendi* causa, ambigo. Verius censeo, Quæstores istos pecuniarios libera Republica creatos; cum, aucto videlicet populi ærario, opus fuit, qui ei præessent. Id accidit an. Urbis CCLXIX. si Dionysio *l. 8.* & Livio *l. 3.* fides: à quibus tamen paulo diversus Plutarchus *in Publicola*, qui refert ad annos primos partæ libertatis. Tacitus sane Consulibus primis etiam Quæstores attribuit: sed ita, ut ipsi eos eligerent *donec,* inquit, *eum quoque honorem populus mandaret: quod factum anno* XXIII *post Reges ejectos,* (ita enim in eo scribendum; non XIII.) Fuêre autem initio duo tantum Quæstores, qui urbanam pecuniam omnem tractarent, & ærario præessent, quod in æde Saturni: iique *Urbani* dicti. Postea, cum aliis etiam opus videretur, qui peregre pecuniam militarem administrarent, prædam venderent: duo iterum creati, qui Consulibus ad ministeria belli præsto essent: ut Livius ait *l. 4.* Id accidit anno Urb. CCXXXII. Atque is numerus diu mansit: donec stipendiaria tota Italia duplicatus is est, factique octo, ad tractanda etiam provincia-

rum vectigalia, in quas cum Proconsulibus aut Propraetoribus sorte mittebantur. Quod evenisse argento primum signato, id est, circa annum Urb. cccxxxix. observo ex Epitome Liviana 15. Ac mox lege Sullae, xx creati, ad Senatum supplendum; ut Tacitus *lib.* 1. *Annal.* suggerit. Nec absimili fine xi à Caesare; ut Dio *lib.* 43. Haec institutio, augmentum. Nec obscura admodum eorum munera; è quibus praecipuum pecuniae acceptio, & expensio; *Liv. lib.* 4. *&* 7. item signorum militarium (ex argento & auro; non enim velis utebantur) in aerario observatio: praedae venditio, & subhastatio; *Dionys. l.* 4. *&* *P. Faber, l.* 2. *Semestr.* legatorum exceptio, deductio, hospitii assignatio. *Plutarch. quaest.* 43. *Valer. l.* 3. *c.* 1. *& apud Livium aliquot locis*, certae etiam per Italiam Praefecturae, ut Ostiensis, & Cales; de quibus Tacitus iv *Annal.* & ibi nos; & Suetonius *in Claudio, cap.* 22. Sed & decreto Augusti, Senatusconsulta iis adservanda tradita, quae antea penes Aediles & Tribunos: *Dio notat lib.* 54. *extremo.* Fuit etiam sub Impp. veluti proprius eorum Quaestor, qui *Candidatus Principis* appellatus, vel *Quaestor Principis*, sive *Augusti*: cujus munus expressum ab Ulpiano, *in l. unica, ff. De Officio Quaestoris.* De quo satis multa Brissonius, *l.* 1. *Selectarum antiquitat. c.* 16. Sueton. Tito, *cap.* 5. Neron. 15. & Augusto, *c.*56. Vell. Paterculus, *l.* 2. Ab hoc origo *Quaestoris Palatii*, qui sub Constantino coepit: quae deinceps magna dignitas; cui ne datum leges & decreta condere, petitionibus subscribere, responsa reddere: & omnino Juris quidam & legum custos ac praeses fuit: quod nomen hodie in *Cancellarium* mutatum vere diximus. De hoc Zosimus *l.* 5. de Sallio quodam, cujus erat officium (inquit) dictare, quae Principi viderentur. Quaestorem à Constantini temporibus appellant. Meminit & Procopius *De bello Persico*; Symmachus eleganter *lib.* 1. *Epist.* 17. *& lib.* 4. *Epist.* 50. Cassiodorus *Epist.* 6. *lib.* 10. & optime *lib.* 5. *Epist.* 4.

CAP. XVII.

De Dictatore. Unde illi nomen: origo & causa eligendi: item modus: denique vis ejus & potestas.

ORdinarios & perpetuos in Republica Romana Magistratus breviter explicavi: Supersunt *intermissi* & *extraordinarii.* Inter quos jure primum locum dem illi, qui Magistratuum omnium primus, *Dictatori*: cui nomen, sive quod diceretur à Consule, ait Varro, 4. *de L. L.* cujus dicto omnes audientes essent: sive potius à dictando: quia crebro diceret ediceretque, quae essent ex usu: quae Dionysii mens *l.* 5. est, & Suidae vertentis εἰσηγητὴν τῶν χρησίμων, id est, *auctorem rerum utilium.* Dictus alio nomine *Magister*

populi

populi (*Seneca epist.* 109. Cic. 3. *de Fin.* Festus in *Optimæ lex.*) itemque *Prætor Maximus*, quæ voces præstantium scilicet imperii præferunt & dignitatis. Cæterum & res & nomen Dictatoris sumpta ab Albanis, consanguineo populo: quod eum apud Dionysium Licinius Macer affirmat: tum suadet etiam Livius, *l.* 7. qui jam inde sub Rege Tullio Dictatorem Albanum Metium Suffetium agnoscit, & Spartianus ordinarium veteris Latii magistratum fuisse ostendit, in Hadriano. *Per Latina*, inquit, *oppida Dictator & Duumvir fuit.* Ipse tamen Dionysius à Græcis esse exemplum mavult, apud quos non dissimili in re Αἰσυμνῆται. Origo ejus & prima institutio controversa: quoniam Dionysius, fidus certe & cautus scriptor, refert in Annum Urb. CCLV. At Livius & plerique ex Latinis, biennio prius (videlicet CCLIII) eum creatum volunt; nono scilicet anno post Reges exactos. Etsi Livius in affirmando titubat; & obscuram ambiguamque rem non negat. (Livius T. Largium Dictatorem primum creatum fuisse putat: *lib.* 2.) Causa prima eligendi, seditio fuit, & metus ab hoste. Cum enim sperni viderent Consulare nomen, cui per provocationem adempta præcipua vis; decursum ad hoc singulare imperium, ut essent, qui rigida & regia potestate plebem sive hostes coërcerent. Major enim & concordior vis in unius imperio, quem collega nemo aut improbe turbat, aut imperite tardat. Atque hæ precipue sane deinceps creandi causæ: seditio, inquam, aut bellum gravius, nec alias Cicero commemorat *lib.* 3. *de Legib.* nisi quod paulatim creatus etiam causis pluribus; quæ in Fastis passim expressæ, ut Clavi figendi causa; Comitiorum habendorum; Ludorum faciundorum; Quæstionis exercendæ; Senatus legendi: denique quotiens brevi aliquo & extraordinario imperio opus esset. Sed priores illi serii verique Dictatores, fere cum hoc titulo leguntur: REI GERUNDÆ CAUSA; quod ad bellum spectat: vel, REIP. GERENDÆ CAUSA: sive etiam: SEDITIONIS SEDANDÆ CAUSA: quod ad turbas. Eligi porro solet alia quadam via & modo, quàm cæteri omnes Magistratus. Non enim suffragiis populi, sed senatu jubente, à Consule dicebatur, qui noctu auspicato aliquem è Consularibus, quem sibi cumque visum esset nominabat. Quod *noctu*, Livius aliquotiens docet, & clare *lib.* 4. *Noctis deinde silentio, ut mos est, L. Papyrium Dictatorem dixit.* Quod *auspicato*, Cicero 3. de Leg. *Isque avi sinistra dictus Magister populi esto.* Idemque Livius indicat lib. 8. Quod *è Consularibus tantum*, idem Livius lib. 2. *Consularem*, inquit, *legere: ita lex jubebat de Dictatore creando lata.* Et prudenter profecto, quod unius hoc regimen creatum ab uno. Cum enim subito celerique remedio opus esset, quæ ratio fuisset, suffragia exspectare & campum? Immo cum sæpe contra ipsam plebem, quomodo eligerentur à plebe? Quamquam variatum interdum in hac re non nego, sive per absentiam Consulum; sive per licentiam eorum, qui Dictaturas invasere.

Potestas

Poteſtas autem hujus Magiſtratus ampla, vel potius eximia. De pace enim belloque agere, exercitus ſcribere, educere, dimittere, omniaque negotia gerere libere & pro arbitrio poterat; adeo ut nihil horum vel ad Senatum referret. Notant Dionyſius *lib.* 5. & Polybius 3. Itaque non ſolum jus omne duorum Conſulum tranſlatum in unum. *Cic.* 3. *De leg.* (qua de cauſa etiam *διϋπατον*, quaſi *duplicem Conſulem*, Græci eum dicunt.) Sed hoc amplius: creato eo, cæteri omnes Magiſtratus abdicabant: Tribunis tantum exceptis: relinquebaturque velut frenum Reipub. in manu unius. *Plutarch. Fabio, item Quæſt.* 81. *Polyb. lib.* 3. Quin bona illi civitatemque adimere jus; animadvertere in vitam & caput civium, idque ſine ulla provocatione. *Dionyſ. lib.* 8. Ad quod ſingulare jus exprimendum, XXIV faſces illi præferebantur, & totidem ſecures, etiam in Urbe: ut nihil mirer, terroribus tantis propoſitis, à Livio lib. VIII ſcriptum, *Edictum Dictatoris pro numine ſemper obſervatum.* De *provocatione* tamen, non perpetuum fuiſſe, ſuadere videtur apud Feſtum OPTIMA LEX, & quod apud Livium *eod. l.* exſtat illuſtre exemplum provocationis: etſi abrogatam eam expreſſe nuſquam legerim: & videam, Sullam poſterioreſque Dictatores ſummo eo jure uſos.

Sed hæc tamen tanta vis merito terminis quibuſdam circumſcripta, ne exorbitaret. Primum enim, ſemeſtre duntaxat illud imperium eſſe voluerunt; ne in tyrannidem ſpatio aut conſuetudine iret. Et quod quibuſdam prorogatum in annum reperiatur, ob neceſſitatem Reipublicæ factum ſcito, & præter morem: ut in Camillo, L. Papyrio, Fabio Maximo. Nam Sulla, & poſtea Cæſar, qui Dictaturam perpetuam invasêre, leges & inſtituta Reipublicæ palam ſprevêre. Secundo, locis etiam incluſa; nec permiſſum Dictatori, cum imperio extra Italiam ire: ſcilicet, ne procul ab oculis civium & Senatus res facilius innovaret. Dio clare notat *l.* 36. Idque ſemel duntaxat veteri Republica violatum in Attilio Collatino, qui primus Dictator exercitum extra Italiam duxit, obſervat Livii Epitome XIX. Tertio equum aſcendere ei vetitum, niſi ad bellum ituro; ſive, (*Plutarch. Fab.*) ut oſtenderetur vis præcipua Romana in pedite: ſive potius, ad arrogantiam minuendam, & ut hac parte cum plebe æquaretur. Atque his cautionibus, & modeſtia gerentium factum, ut per annos CCCC quietiſſime, & optimo publico, Magiſtratus is gereretur: donec L. Sulla, & C. Cæſar in tyrannidem eum verterunt, & nomen id exoſum fecêre Romanis: adeo, ut poſt necem Cæſaris lata lex ſit, qua Dictatura è Republica in æternum ſublata. *Cicero in Philipp. Dio* 44. *&* *Appianus* 3. *Civilium.*

Hæc de Dictatore: cui velut adjutor & adminiſter *Magiſter Equitum* fuit: quem ipſe Dictator ſibi libere eligebat; modo is tamen e Conſularibus, aut Prætoriis eſſet. Sane Dio, ut inſolens, notat, quod

quod Cæſar Magiſtrum equitum Antonium elegiſſet, qui Prætor nondum fuiſſet. (*Dio lib.* 42.) Itaque is loco & munere fere Prætoris fuit, ut è Cicerone colligimus 3. *de Leg.* habuitque eadem inſignia; Prætextam, videlicet, Curulem, & vi lictores. *Dio lib.* 42. *&* 43.

Cap. XVIII.

Cenſus. Quando inſtitutus. Itemque Cenſores, cur ita dicti. Tempus ejus Magiſtratus: inſignia, dignitas, & munus.

CEnſum, rem ſaluberrimam populo Romano, primus inſtituit Servius Tullius, ſextus inter Reges; nec Magiſtratum aliquem huic rei proprium adhibuit, ſed exercuit ipſe. Itaque Regium id munus habitum, iiſque pulſis, Conſulare: donec, creſcente paulatim imperio, Conſules non fuêre tot ferendis oneribus pares. Itaque cum intermiſſa diu *Cenſio* eſſet, (per XVII annos, inquit Dionyſius) cauſa exorta deſiderandi novi magiſtratus, & Senatu imprimis adnitente, creati *Cenſores.* Anno Urb. CCCXI. Quibus id nomen ab ipſa re datum: ſive, quod ad eorum cenſionem, id eſt, arbitrium, populus cenſeretur, ait Varro, *lib.* 4. *de L. L.* ſive, quod quiſque tanti rem ſuam æſtimaret, quanti illi cenſuiſſent, ait Feſtus in voce *Cenſores.* Et ſane ab cenſendis æſtimandiſque facultatibus primo dictos, veriſſimum eſt: quoniam potiſſima hæc creandi cauſa; & paulatim adjuncta cura morum. Itaque Græci etiam à taxatione verterunt τιμητάς. Duo autem initio creati: totidem ſcilicet, quot Conſules, quorum vicem etiam hac parte ſuſtinebant. Et creati in annos quinque: nimirum, quia luſtris duntaxat ſingulis cenſeri populum vetus inſtitutum fuit. Sed tamen paulo poſt, cum dignitas & vis huic Magiſtratui creviſſet, & nimis diuturnum id imperium videretur, lege Æmilia cautum (tulit eam Mamercus Æmilius Dictator, an. Urb. CCCCXX.) ne plus quàm annua & ſemeſtris Cenſura eſſet: quod in poſterum obtinuit: & creati quidem ſingulis quinquenniis; at non in quinque annos.

Amplius hæc tria fere ſervata in creatione eorum reperio. I. Ut è Conſularibus eſſent; quod poſt bellum Punicum ſecundum ſemper obtinuit; ante, aliter interdum. II. Ut ne bis crearentur: quia oneroſa populo futura videbatur iterata eorum poteſtas. III. Ut ſine ſuffectione, id eſt, ut mortuo uno è Cenſoribus, neminem alium ſubrogari mos eſſet; immo illum ipſum ſtatim abire magiſtratu, qui ſupereſſet; Livius clare notat *lib.* 5. *&* 9. & Plutarchus *prob.* 50. apud quos & cauſa.

Dignitas hæc magna: nec vi quidem, ſed honore tamen ſupra Conſules ipſos: quorum omnia etiam inſignia habebant præter lictores.

Munera

Munera eorum varia: sed trahi ad duo capita possunt, æstimationem facultatum & morum. Ex illa est, quod publicas privatasque omnium opes describerent: populum juxta eas in centurias & classes distribuerent: ubertim nobis in Livio explicatum (publicis, puta, prælectionibus.) Item quod vectigalia locabant, *Cic.* 3. *de Leg. Liv.* 39. & 43. *Plutarch. in Cat. Majore*; & iis per Provincias *leges* dabant, quæ *Censoriæ* appellatæ: *Cic. lib.* 1. *ad Attic. ep.* 1. & *Jurisconsulti*; opera publica erigebant, inspiciebant, probabant, hæc sarta tecta exigebant: (*Festus in v.* PRODUIT. *Liv.* 42. & 45. *Symmach. l.* 1. *ep.* 6.) vias publicas tuebantur, & reficiebant; quam curam in Urbe semper habuêre; extra Urbem paulo serius sumpsêre, (auctor Livius *in Epitoma lib.* 41. *in extremo*;) pretia denique sacrificiorum publicorum curabant; Plutarcho notatum *in Catone.* Ad morum vero æstimationem spectat, quod Senatu ejicere, equum adimere, tribu movere, ærarios facere potuerunt. Hæ enim fere animadversiones Censorum, & ignominiæ, quas inurebant. *Senatu ejicere* non aliud erat, quàm initio Censuræ, cum Senatum legerent, nomen illius aut illius Senatoris in recitando præterire: quo velut tacito indicio censebantur loco moti, nec nomen eorum ultra in albo Senatorum. *Festus in* PRÆTERITI. *Liv. l.* 34. *Equi ademptio* ad alterum ordinem spectat, nempe ad Equites: quos (*Festus in* CENSIO. *Plutar. in Pomp. Agellius lib.* 4. *Revardus lib.* 2. *Variar. cap.* 15.) in publica recensione moris erat ad Censorum sellas venire, equum manu ducentes: quos si probarent, PRÆTERIRE & traducere equum, solenni verbo jubebant; sin aliter, (*Valer. lib.* 4. *cap.* 1. *Liv. lib.* 29. *Ovid.* 2. *Trist. eleg.* 1.) equum adimebant, vendi jubebant. Tertia & quarta nota proprie ad plebeios pertinebat: quos aut tribu movebant, (id est, Livio interprete *l.* 45. mutare jubebant tribum, & ex honesta rusticaque in minus honestam sive urbanam transferebant:) aut ærarios relinquebant, id est, suffragii ferendi potestate privabant; at hoc tantum in numero civium, ut æra tributi nomine penderent. *Ascon. Pedian. in Divin. Cic.* Id appellabant in Cæritum tabulas referre. Causam in Agelio vide *libr.* 16. *cap.* 13. *Strab. lib.* 5. *Horat. lib.* 2. *epist.* 6. Adimebant ergo Censores quod cuique ordini summum est: Senatui curiam: Equiti publicum equum; Plebi tribum aut suffragium. Quod discrimen tamen ita capiendum, ut sciamus, interdum Senatorem aut Equitem gravius peccantem, plerisque his notis simul affectum: ita, inquam ut non præteriti solum, aut equi adempti sint; sed tribu etiam moti, & Ærarii facti. Exempla in Valerio *lib.* 2. *cap.* 3. & Livio: Apud quem turpis macula eluenda, & *Ærarius* legendum, non *operarius*, distinctione etiam mutata, (*lib.* 4. *de Mamerco Æmil.* & 44.) His animadversionibus causæ semper subscriptæ: excipio præteritionem Senatorum; cui rationem adscribi, haud veteris instituti fuisse,

Livius

Livius ostendit, *lib.* 39. Administrata hæc omnia in villa publica; in campo Martio: iisque ordine expletis, lustrum à Censoribus condi solitum, vota pro salute publica concipi, & sacrificium Suovetaurilium fieri. Mansitque integra hæc Censuræ vis (firmum rei Romanæ vinculum) ad P. Clodii Tribunatum: qui imminuit vetuitque, aut in legendo Senatu quemquam præteriri, aut ex aliis ordinibus ignominia adfici; nisi qui legitime accusatus, & damnatus. *Dio lib.* 48. *Cic. in Pison. & ibi Ascon. Pædian.* Sed eam ipsam Clodii legem sustulit paulo post (An. Urb. DCCII.) Metellus Scipio Consul. veteri iterum & libera potestate Censoribus permissa. Quæ tamen sub Principibus iterum minuta, immo mortua: nisi quod longo intervallo revixisse in Decio videtur: de quo apud Pollionem in Valeriano; ubi & officia Censuræ distincte descripta: quæ utiliter legas. Conatus quoque eandem restituere Theodosius, sive Arcadius: sed à Senatu repudiata est, Symmacho adnitente & suadente, ut ipse fatetur, *lib.* 4. *Epist.* 29. & 45. *lib.* 7. *Epist.* 9.

CAP. XIX.

De interrege.

VEtus hic Magistratus; creatusque proprie comitiorum causa. Origo illi a morte Romuli. Et quia creatus per inter-regnum, mediusque inter duos Reges; dictus *Interrex*: Græcis μεσοβασιλεύς. Ejus creatio è Patribus tantum. Tempus quinquenniale. Munus idem quod Consulum. Plura pete ab *Onuphrio*, *lib.* 1. *Fastorum.*

DE MILITIA ROMANA.

MILITIAM Romanam cognoscere duplicis est fructus: Certi, & Incerti. *Certi* quidem, quod vera ea fax ad Historias, quarum vix alia materies, quàm bella & pugnæ. *Incerti*, quod & Duces hodierni aliquid ex iis fortasse haurient, ad suum & præsentem usum.

MILITIA

MILITIA EST MULTITUDO APTA ET COMPOSITA IN ARMIS, AD VIM FACIENDAM AUT ARCENDAM, SUB CERTA LEGE.

Partes ejus sunt *Quinque*.

I. DILECTUS.	IV. ACIES.
II. ORDO.	V. DISCIPLINA.
III. ARMA.	

Quas singulas ordine, & totidem libris comprehendimus, perspicua brevitate.

LIBER I.

DE DILECTU.

DILECTUS Græcis est, στρατολογία, κατάλογος, & καταγραφή. Unde κατάλογον ποιεῖσθαι, καταγραφὴν ποιεῖσθαι. *Legere militem*, *scribere militem*, quia hic lecti in tabulas & codices referebantur, ut memoria nominum & stipendiorum publice extaret. Vox etiam alia huic rei ævo sequenti, *Adnumium*, vel *Adnumius*: quod non tam in dilectu, quàm in recensu & adnumeratione militum, sub tempus stipendii aut largitionis, locum habet. Ad hanc ipsam rem, *Pittacia*; *Breves Laverculum*, *Matriculam*, reperies. Sicut autem scribebantur jam milites: ita delebantur non milites & rejecti. Solebant & mortuos ibi notare, & Theta suum adfigere.

In Dilectu *tria* spectanda. 1. QUI ELEGERINT. 2. QUOS. 3. QUOMODO.

1. *Qui elegerint*.

Designatis Consulibus; quod fiebat principio cujusque anni, Tribuni militum constituebantur, quorum duo genera, Juniores & Seniores: *Juniores* sunt Equites, quibus hoc datum, ut prius citiusque Tribuni fierent, quam plebeii; post quina scilicet stipendia. *Seniores*, plebeii, qui post dena stipendia Tribuni facti. Oportebat enim equitem dena stipendia implere, peditem vicena. Vicesimo militiæ anno dimissi, *Veterani* dicebantur; nam post vicena stipendia, honestam, vel causariam missionem consecuti, ita vocabantur. Erant autem Tribuni juniores, sive ex equite 14; ex plebe 10: quia plures habere voluerunt honestiores.

2. *Quos*

2. *Quos legerint.*

Dilectus duplex: CIVIUM, & SOCIORUM: Cives vel *pedites*, vel *Equites*.

DILECTUS PEDITUM.

Prima nota peditum legendorum ex Civibus erat *Ætas*: ab anno 17 initium militiæ, finis 50 erat. Militabant ergo ab anno 17, usque ad 46. Et quisque his 30 annis necessario implere cogebatur vicena stipendia. Ab honoribus & magistratu urbano exclusi, quia sua stipendia non fecissent. Hinc qui continuo militabat, implebat ea 37 anno; sed poterat: non debebat. Si quis vero, morbo vel casu impeditus, non implesset 46 anno stipendia, non liber erat à militia, sed adhuc cogi poterat usque ad annum 50. qui plene liberabat, sive facta, sive infecta stipendia.

Altera nota legendorum erat *Census*: non enim viliores quosdam in militiam legebant, nec erat hoc inopiæ asylum; sed divites, honestos,& quos res privata rei quoque publicæ alligaret. Pauperes non nisi in necessitate aut tumultu lecti: sicut & servi; sed fere per civilia bella, cum Virtus & Honos jus suum ægre servant, paulatim tamen eo ventum, ut Proletarii, & Capitecensi in militiam vulgo scriberentur: item Libertini, & Liberti. Quinetiam pastores ferociores in equites adsumptos legimus. In militia navali viliores legebantur, & fere libertini; quia talis militia semper habita vilior. An quia periculorum ibi plus, & metus etiam ignavæ mortis? An quia parum loci virtuti & robori militari? ars & nautæ pleraque administrant. An quia paulatim animos quoque dehonestat & corrumpit?

3. *Quomodo elegerint.*

MODUS Dilectus talis. Consules positis sellis curulibus, specie magistratus sedebant, præcipua dilectuum ipsi obeuntes, & summæ rei præsidentes: Tribuni administrabant, & exsequebantur per partes. Diem publice prodicebant Consules; vel præconis voce, cum aliquid subitum, & scriptum videbatur tardum: vel scripto, cum res fuit ordinaria. Livius *Edictum* vocat. Sub ipsum vero conventus diem, signum ex arce tollebant, servabantque, donec is solutus.

Ipse dilectus fiebat in Capitolio, sive in ejus area, ut & alia, quæ ad bellum, illic agitata, in loco certe augusto & sacro, ut ante oculos religio & Jupiter obnoxios magis, fractioresque redderet ad parendum: sæpe enim hic controversiæ & turbæ. In campo dilectum

lectum habitum, tanquam novum notat Dionysius; sed eo factum, quo tribunitiæ intercessiones viterentur, quibus ibi non erat locus.

Eligebantur ex tribubus & classibus, ducta sorte: vel ut æmulatio tolleretur, ne hæc illi post habita videretur: vel querela, ne ista, aut alia onerari, si forte dilectus non iret per omnes. Præsidentibus Consulibus, sedentibus Tribunis, militibus sejunctis & compositis, tribus vocata in centurias suas ivit, omissis tamen senioribus, quos advocari in supervacuum nihil opus. Ex singulis tum centuriis, & pro censu, ac classe, milites citati nominatim. Itaque tabulæ ad manum, in quibus nomina, ætates, & opes scripta. Aliquando etiam sorte capti, raro tamen, nec nisi in re tumultus. In hac autem citatione servatum per religionem, ut primus miles boni nominis esset: captabant enim ex hoc omen; ut, *Valerius*, *Salvius*, *Staterius*, & similia. Dilectus hic etsi commodus & ingeniosus, non tamen semper & in omni bello observatus: Nam hoste vicino, aut repentino aliquo periculo imminente, omittebant tribus, centurias, sortes & militem confuse ac raptim capiebant. Id genus *Subitarios* vocabant. Atque istos solebant scribere in tumultu, ita ut sine discrimine aut excusatione sæpe cogerentur juvenes senesque: ideoque sors adhibita, non electio, quia res festina.

Qui nominatim citabantur, interdum fuerunt Volentes, Proni, & Spontanei; interdum Refractarii. *Proni* in militiam fuerunt, cum aut Dux gratiosus, aut bellum aliquod in spe lucri. *Refractarii*, qui detrectabant, & se subtrahebant: Illi respondere ad nomen, & accedere ad dilectum; Hi non respondere dicebantur: Illi non solum voce & responso, sed corpore & progressu se sistebant Tribunis; Hi silebant, & se subtrahebant.

Refractariorum pœna varia. Primo *Vincula*; itaque Consules prehendi eos jubebant, & in carcerem duci. Interdum *Virgæ* adhibitæ in contumaces, sed non nisi à Consulibus immodice severis. Nonnunquam damno affecti, & eorum *Bona direpta* & vendita. Imo vero interdum extrema pœna affecti, & morte civili, id est, *Venundati in servitutem*. *Infamia notati* etiam, & ignominiosi facti, Refractarii. Has autem pœnas sæpe Tribuni tardabant, aut tollebant: illi enim intercedebant, & de causis etiam cognoscebant, quamquam hæc cognitio erat proprie consularis. Itaque hac arte sæpe impediebant dilectus, cum aliquid Patribus vellent expressum. Hæc tamen Tribunorum licentia coërcita interdum, præeunte Patrum decreto.

Causæ justæ ad detrectandam militiam *tres*. Prima *Vacatio*. Atque ea triplex. *Ab Ætate*, cum supra 50 annum aliquis erat, is, sive implevit sua stipendia, sive non implevit, vacabat. Vel *ab Honore*; ut si quis in magistratu, vel sacerdos, nec enim aut illi à rep. aut isti abducti à sacris. Vel *à Beneficio*, ut si cui Senatus, Populusque indulsisset. Factum id sæpe pro meritis, alias in annos, alias

alias in ævum. Secunda causa *Emeritum:* qui enim 20 stipendia complevit, tuto nomen non dare poterat. Tertia *Morbus aut Vitium*; nam & manci, & debiles, non habiles judicati ad militiam, & nominatim ii, quibus pollices aut digiti non essent, etiam in sinistra manu; quia ea manus inepta tunc ad scutum tenendum, sicut dextra ad gladium. Quia vero nonnunquam fraudes interveniebant, ideo non statim accepta quæcunque causa, sed discussa; sæpe, & plurimum ante bellum, interdum post illud. Interdum non solum dilatæ, sed & sublatæ causæ: hoc, in magno tumultu, & cum publicum discrimen: atque etiam alias in metu id factum, & causæ pro non causis. Sicque etiam ex *Causariis*, id est, quibus morbus, aut talis causa; & ex senioribus lecti milites. Hinc *Causaria missio* dicitur.

DILECTUS EQUITUM.

Dilectus Equitum facilis fuit, quia ex uno corpore. Nam Censores jam ante equites a reliquis separabant, & in tabulis habebant hoc genus. Separabant ab opibus, quicunque enim quadraginta habebant, & vita non improbabatur, in equites referebant.

Equitum corpus duplex: alii equo publico, alii sine eo. *Illi* vetustissimi, ac proprie, ac soli olim Equites dicti, ab ipsa re, quia iis militares sive publici equi. Hinc *Equitare*, equo publico merere. Quibus vero publicus equus non esset, poterant etiam inter pedites merere. Illi vero accipiebant e publico pecuniam ad emendum equum, & ad alendum. Illam semel, hanc annuam. Ad emendum, dena millia, id est, Philippicos circiter 100. Ad alendum, bina millia, id est, Philippicos 20. Satis grandis utraque summa; sed cogitandum, quod huic militiæ onera plura adjuncta, calones, alii equi aut muli ad sarcinas, tentoria, & cibatum ferendum.

Non tamen temere, aut omnes ad equum publicum rescripti, sed cum dilectu & examine morum. Itaque non Consul aut Imperator, sed Censor olim equum publicum iis assignabat, judex, scilicet morum. Atque ille ipse, cum jam haberent, recognoscebat, & si quid vitii in iis, adimebat. Postea id muneris Principes usurparunt. Ad hoc examen faciebat ipsa *Transvectio*, propria istorum Equitum pompa; quæ & *Probatio* dicta Valerio Max. quia in ea examen & discussio vitæ. Ii per centurias & turmas divisi, ordine equis insidentes vehuntur omnes, quasi e pugna venientes, ramis oleæ coronati, purpureas palmatas togas induti, quas *Trabeas* dicunt. Incipiunt autem ab æde Martis sita extra Urbem, (Plinius ab æde Honoris deducit, quæ & ipsa extra portam Collinam) transeuntesque tum alia loca Urbis, tum Forum, & Castorum ædem, prætereunt, interdum ad 5000 virorum, gerentes præmia & dona militaria quæcunque à Ducibus in bello acceperint. Egregium sane, dignumque magnitudine Imperii spectaculum. Ovidius verbo *Præterire* utitur

ad hanc rem. In hac ipſa Tranſvectione ſæpe accuſati, citati, imo ignominioſe detracti; quod tamen Auguſtus fieri ultra interdixit. Quod ſi ſine culpa erant, abibant, & equum traducebant: ſi aliter, ſiſtebant, & jubebantur vendere equum. Solenne in utraque re utrumque verbum: *Traducere* & *Vendere equum.* Confectis ſtipendiis reſtituebant, & ad Cenſorem reducebant equum.

Sacramentum militiæ.

Finita jam conſcriptione, Tribuni ſuæ cujuſque legionis milites congregantes, & unum ex omnibus maxime idoneum eligentes, ſacramento adigunt: is ſingula juramenti verba concepit, & præivit, alii deinde ſecuti hoc ſaltem dicebant. *Jurare ſe idem.* Et hoc appellabant *Præjurationes facere*, cum ille præiret, & conceptis verbis ante alios juraret, alii ſecuti, in eadem verba jurantes, dicebant tantum, *Idem in me.* Jurabant autem viritim ut plurimum; an ſemper? dubium. Et jurabant, ſe Conſules, ad quæcunque bella vocaverint, ſecuturos, neque ſigna deſerturos, neque adverſum Populum aliquid facturos; item conventuros ſe juſſu Conſulum, neque injuſſu abituros. Atque hoc juramentum erat ſtatim a conſcriptione; aliud autem præſtabant, jam milites & educendi, imo in ipſis jam caſtris: illud ad ipſam militiam, iſtud ad diſciplinam pertinuit.

DILECTUS SOCIORUM.

Sociorum dilectus fiebat in Italia, cum ſub hoc ipſum novorum Conſulum tempus, magiſtratibus ſociarum civitatum denunciabant Conſules, ut milites darent, & ſignificabant iis numerum, diem, locum, in quem convenire deberent, quos legerent.

Socii appellabantur, quaſi confœderati & conſortes armorum. Erat autem diſcrimen inter Socios, & Auxilia. Socii, ſemper Italici: Auxiliares, externi. Illi ſemper gratis militarunt, id eſt, ſine impendio Romanorum, ſi frumentum excipias: Hi mercenarii, & quanquam ſæpe a Regibus miſſi ſuopte ſumptu, tamen & pecunia etiam ſcripti. Socii autem proprie dicti, poſt Italiam civitate donatam defecerunt, & eorum vice Auxilia fuerunt, quæ ex variis gentibus lecta. Iſti autem omnes è provincialibus: nam certis quibuſdam bellicoſiſque populis non aliud loco tributi, quàm militiam & viros imperabant: alii diffuſiores & ditiores, utrumque ſæpe dabant, & pecuniam, & militem: adeoque robur in his & numerus. Etſi autem miles e ſubditis, non tamen dilectu eorum aut arbitrio capiendus. Romani, Centuriones aut peritos aliquos legendi mittebant, qui ſæpe uſui ſuo & compendio magis, quàm publico ſerviebant. Sed & cum hæc aberant, dilectus ille per ſe gravis: trahebantur enim in diverſas terras, ut magnitudo Imperii erat, atque illic longa militia fere conſumebantur.

Indicebant autem militem pro numero & opibus, quas propemodum ſciebant. Numerum quidem ex tabulis cenſoriis, quas probabile

probabile est Romæ quoque fuisse. Imo tandem ipsi Romani Censores censum illic egerunt: itaque pro Imperio rem hic gerebant, & tot aut tot milites imperabant. Jurabant autem Socii non in suos Præfectos tantum; sed & in Consules, & rem Romanam: opus enim fuit vinculo hoc & alio, ut cum pares viribus essent, ne quid novarent aut moverent in Romanos: denique oportuit subjectos omnes pariter esse uni Duci, ergo & in eum probabile jurasse. Auxilia tamen non jurabant. Singula oppida Sociorum Præfectos sive Prætores constituebant, qui jus aliquod in suos haberent, eosque observarent. Habuerunt etiam suos proprios Quæstores, seu Tribunos ærarios, & mercedis exhibitores; nam sua pecunia & omni sumptu militarunt Socii, præter frumentum, quod habuêre à Romanis. Magna res hæc, & grande Imperii instrumentum, fidas volentesque tot habere manus, nec suam aperire ad largiendum. Prædæ duntaxat participes fuêre, & si quid donorum aut adventitii lucelli.

De Evocatis.

Evocati, sæpe exercituum robur, ex civibus, ex sociis; ex equite, ex pedite sumebantur, sed rogatione & precibus, atque ideo *Evocati* dicti. Erant enim veterani, gnari, prudentesque militiæ, qui expletis stipendiis sæpe in Consulum & Ducum gratiam militiam sumebant. Et quia sæpe literis aut nunciis nominatim evocabantur, inde habuere nomen. Græcis ἀνάκλητοι, quasi Revocati, quod defuncti militia, iterum ad eam revocentur. Plerique Evocatorum è Beneficiariis esse solebant, qui nimirum beneficio Imperatoris ad gradus aut commoda promoti, item agris & immunitate donati magis obstricti. Horum propria quædam & seorsim manus fuit, per cohortes quidem aut centurias disposita, sed tamen sub uno vexillo. Immunes erant Evocati operum, ut ab excubiis, operibus valli, & castrorum, quasi Centuriones & principales milites. Sæpe etiam ordines ducebant; ideoque singuli velut Centuriones fuere, & hoc honore ac insignibus affecti. Hinc etiam vites gestabant, proprium Centurionum gestamen. Et quia Centurionibus comparati, interdum etiam miscebantur, & cum iis confundebantur: quin & cum Legatis, quasi honestissimi, jungebantur. Honestum itaque omnino genus Evocatorum; plerique pedites, sed & equites.

De Conquisitoribus.

Ad dilectum adhibiti *Conquisitores*, crebrum munus post bellum sociale. Ii fuerunt, qui in agros & extra urbem missi ad indagandam & conquirendam juventutem, atque ab ea re dicti. Multi enim sæpe aut suo metu, aut parentum timido amore latitabant, ad eruendos eos & conducendos, isti. Interdum huic rei creati Triumviri. Usurparunt & exteri.

Dilectus externus.

Erat alia quoque ratio Dilectus; cum enim ex tota Italia ſcriberentur legiones, nec omnes illi tam diſſiti uno tempore Romam venire poſſent, in regionibus militem ſcribebant, & per honeſtiores quoſdam, ut Senatores & Legatos, dilectus habebatur.

Sub Principibus jam nec dilectus erat, ſed indictio militum, pro opibus cujuſque & agris. Res improba, & ad perniciem militiæ germanæ inventa. Partim enim ignavos, aut ineptos tirones dabant: partim pro iis aurum inferebant, & mille hic prædandi ſinus & artes. Itaque eo ventum, ut etiam ſervitia & vilia capita darentur, etſi leges reprimere conarentur. Olim iſtis fraudibus nullus locus, cum ex ingenuis milites ſcripti, atque iis non crimine, non infamia aſperſis; nam hi tales aut urbe, aut tribu movebantur: è tribubus autem, atque iis honeſtioribus, fere miles lectus. At ſub Principibus etiam ergaſtula intrudere cœperunt. Et quid mirum? ipſi eos habuere quaſi ſervos. Nam tirones jam captos compungebant, & in cute ſignabant. Vera hæc ſtigmata erant, & quidem manibus impreſſa militum. Inſcribebatur autem nomen Imperatoris: unde D. Auguſtinus *Regium Characterem* appellat. Chryſoſtomus σφραγίδα. Duplex autem iſtis ritus: & de ſervis, qui compungi ſolebant dominico nomine, ut agnoſcerentur: & de militibus, qui præferre Imperatorem. Petitum hoc videtur vel ab eo, quod olim nomen Imperatoris in ſcutis, haſtis, vexillis, ſolitum inſcribi, atque eo exemplo tunc in cute: Vel à ſacris; quos enim Deo alicui conſecrabant & initiabant, hos ſtigmatibus inurebant. Potuit igitur exemplo quodam parvæ religionis primo hoc induci, ut talis quaſi conſecratus militiæ oſtenderetur; tum etiam ab hac cauſa, ut agnoſci poſſet, nec latitaret.

LIBER II.

DE ORDINE.

ORDO Militiæ varius, & in MILITIBUS, atque in DUCIBUS. In Militibus dupliciter conſiderandus, ſecundum *Genera*, & per *Partes*. Genera ſunt diſcrimina illa militum diffuſa per pleraſque partes. At Partes, ipſæ diviſiones, ac ſub certis ſignis ac Ducibus diſtributiones.

ORDINES PEDITUM PER GENERA.

Genera igitur Peditum ſunt quatuor: *Velites, Haſtati, Principes, Triarii.*

VELITES erant viliſſimi, quique, & ætate & opibus exigui, in iſto minimo genere militabant: alterutro tantum, non item. Nam

Nam pauper, sed ævo & usu vetus, in Triarios translatus videtur: dives, sed annis modicus, in Hastatos transcriptus. Nisi igitur valde pauperes & infimarum classium, inter Velites non militarunt: quia non solum parum honorata hæc militia, (quippe leves, & eminus fere pugnabant) sed etiam quia parum tuta, nam pene inermes in fronte plurimum exponebantur hosti.

HASTATI dicti, quod primo hastis pugnarent. Id olim; postea mutatum, manente nomine; atque pilis & gladiis pugnabant; hastæ jaculatoriæ apud Velites solos remanserunt. Sunt & alii Hastati, qui stabilibus hastis & contis pugnabant: quod ævo sequenti factum. Hastati, juvenes erant & adolescentes, ut Principes viri, aut viris proximi; & Triarii grandes & maturi.

PRINCIPES, qui à principio gladiis pugnabant, unde & nomen. Postea alii minus illustres sumpti in eum locum, nempe Hastati.

TRIARII, sic dicti ab ordine: quod in acie tertio ordine extremis subsidio deponuntur. Est in Glossis *Tertiarius* ἰφεδρος, quasi *subsessor*, & in vicem locumque paratus: Subsidebant enim ipsi Triarii presso altero genu. Dicti etiam *Pilani*, quod pilis pugnarent; & totus ille ordo *Pilus* vocatus. Imo etiam dicti, *Armites*, ὁπλῖται οἱ ἐν ἐσχάτῃ τάξει.

Triarii in legione 600 erant, idque semper, & legionibus etiam auctis, ipsi non augent. Causæ plures; quod robora hæc, & flos ipse virorum; ideo si non numero, tamen virtute æquarent; quod raro aut nunquam hæc pars sola pugnabat, sed in extremo demum integrabat aciem aliis admixta; quod ob adjunctas etiam alias copias fuit justa acies. *Principes* erant 1200. *Hastati* totidem; reliqui, & ætate minimi, *Velites*: qui singuli cum legione augebantur proportione.

ORDINES PEDITUM PER PARTES.

Singulæ hæ ætates sive Genera, exceptis Velitibus, à Tribunis & Centurionibus dividebantur in x Partes. Hæ Partes MANIPULI dicti: ex iis COHORTES, ex his LEGIO tota. Sunt enim in Legione Centuriæ 60, Manipuli 30, Cohortes 10. Velitum nec Manipuli proprie nec Signa fuêre: itaque Subsignanus miles diversus ab hoc Levi. Velites autem sparsi Manipulos. Hinc ipsis Centuriones aliorum Manipulorum; etsi raro in agmine aut acie sic incessere: & fere solebant præmitti, ad incerta & occulta viarum exploranda: in acie quoque aliter locari, & abjungi à gravioribus.

De Manipulo.

ORDO est dimidiata pars Manipuli: nam duo Centuriones erant in Manipulo, & unicuique sua pars adsignata quam duceret; quæ vocata *Centuria*, sive *Ordo*. Is in veteri Legione fuit 60 militum. Hinc *Ordines petere, impetrare*: ita *Ordinis ductor*, pro Centurione. Prima divisio fuit in *Manipulos*, Græcis σπεῖραι, quæ

diutissime in militia mansit. Sed labente Imperio mutavit, & Centurias pro Manipulis habere cœperunt; Manipulos pro Contuberniis aut Decuriis ipsis Manipulorum vetustas statim ab Urbe condita, imo ante ipsam fuit.

De Cohorte.

Ex Manipulis conficitur *Cohors.* Ea vox Græcanica est; quod clausum vel septum in anteriore domo vel villa χόρτον illi dixerunt. Latini *Cohortem*, vel *Chortem*; nam & sic scribebant. Martial. *Raucæ Chortis aves.* Cohors habuit tres Manipulos, Hastatos, Principes, Triarios: adde & Velites, qui manipulos solebant comitari. Fuit igitur justa & plena Cohors legionaria, homines 420. Si pleniores Manipuli & Legiones, plenior & ipsa; & inde Cohortes quingenarias, & sexcenarias legimus. Græci Cohortem vulgo vocant σπεῖραν, ut & Ennius usurpavit. Suidas *Spiras* interpretatur *Numeros.* Cohortes omnes in Legionibus erant numero æquales, quia & Manipuli tales. Sed quia primæ dignitas aliqua attribuitur, id non à numero, sed a splendore & primatu fuit, quod primi in ea Centuriones generis cujusque, & forsan flos aliquis & electio virorum.

Erat & quædam *Cohors Prætoria*, velut extra ordinem, edecumata & grandis, quæ à Prætore non discederet; à Scipione Africano instituta. In hoc genus fere adoptati & adscripti amici & voluntarii; etsi alii fortibus potius viris implebant. Hi dicti Prætoriani; eorum arma thoraces squamei, & scuta imbricata. Veteres unam solam habebant Cohortem Prætoriam, postea per bella civilia auctæ. Augustus Romæ circa se habuit novem Prætorias Cohortes, firmamentum imperii, & postea pestem. Talis fuit apud Macedones Cohors Regia.

De Legione.

Ex 10 Cohortibus fit *Legio*, sic dicta, quod leguntur milites in dilectu. Instituta à Romulo hominum 3000. Regibus ejectis fuit 4000. Bello Annibalis ad 5000 ventum. A Scipione denique in Africam trajecturo 6000 facta. Legio varie dicta. Græci veteres στρατόπεδον, στράτευμα, & creberrime τάγμα, dixerunt: novelli etiam θέμα; iidem & πλῆθος & τεῖχος. Sic & Latini *Murum* dixerunt apud Vegetium. *Numeri* pro Legionibus Tacito: *Ordines* Hegesippo: *Virtutes* Paulo Diacono, quod tamen communius pro copiis & robore militari.

Communis agnominatio Legionum à numero fuit, idque discretionis causa, ut diceretur *Prima, Secunda, Tertia,* &c. Id autem ab ordine temporis & dilectus, quo conscriptæ. Sed fuerunt & alia passim legionum cognomina. Ab Imperatoribus *Augusta, Claudia, Flavia.* A locis hibernorum, ut *Gallica, Cyrenaica, Scythica, Macedonica, Ægyptiaca, Germanica, Italica,* &c. A Diis cultis, *Apollinaris, Minervia.* Ab armorum præstantia, *Ferrata,* quæ

tota

tota è ferro. A loco, *Fretensis*, freto assita. Ab insigni forte scutorum, *Fulminatrix*. Item, *Victrix*, *Gemina*, *Valens*, *Adjutrix*, *Pia*, *Fidelis*, *Felix*, &c.

ORDINES EQUITUM.

Equitum divisio fuit in 10 Turmas. *Turma* dicta quasi Terma, quia ter denos habuit equites. Erant autem in Legione Turmæ tricenariæ 10. seu equites 3000. Sunt ergo Turmæ in Ala, quot Cohortes in Legione; & Decuriæ, quot Manipuli; ternæ enim in Turma.

DIVISIO SOCIORUM.

Socii dicebantur *Alæ*, seu *Cornua*, quia plurimum ut alæ in avibus, corpus illud Legionum tegebant Socii; hinc *Ala dextra*, & *sinistra*; *Cornu dextrum*, & *sinistrum*. Habebat Ala Equites & Pedites.

Equites numero duplo; quia late Socii per oppida & agros sparsi, eoque facilius habere iis equos & tolerare; at Romani, nec censu multi nimis equites tunc erant, & in una urbe haud tam commode habebant. Erant ergo 600. Detracta autem tertia parte Extraordinariorum, erant non nisi 400. Hic quoque numerus *Ala* dictus; & illi ipsi Equites, *Alares*. Erant ergo duplices: *Extraordinarii*, qui sunt 200. ex his una turma, id est 40. Ablecti, qui sunt electi & excerpti. Alares, qui sunt 400, dividuntur in 10 Turmas, singulas hominum 40. Nam Turmæ Sociales decuria una excedebant Civiles. Ita in Consulari exercitu duas Turmas habebat Consul: reliquæ erant Turmæ Extraordinariorum, 4, & iterum 4, ex utraque Ala.

Pedites vero ut plurimum 4200 Ala habebat. Horum pars quinta *Extraordinarii*, numero 840: & hi electi & excerpti; sicut Ordinarii, qui sunt in vulgo, sunt Cohortes 2, hominum 336; & una dimidiata, hominum 168. In *Ablectos*, qui semper juxta Consulem: in via, in castris, in pugna, velut satellites quidam aut custodes; reliqui *Alares*, numero 3360 divisi; vel in Manipulos & Genera, ritu Civium; vel duntaxat in Centurias & Cohortes. Cohortes singulæ 336, minores quam Civiles.

DE DUCIBUS.

Duces sunt duorum generum. *Proprii*, qui certæ alicui & uni parti præsunt: *Communes*, qui communiter omnibus. In illo genere sunt CENTURIONES, & TRIBUNI: In isto LEGATI, & IMPERATOR.

DE CENTURIONIBUS.

Centuriones Consulum jussu aut permissu à Tribunis electi, ex suo quisque genere: sæpe tamen virtutis causa e genere in genus ad honestiores ordines transferebantur. His assignabantur ordines per eosdem Tribunos. Promovebantur ad id munus, virtutis causa, tam animi, quam corporis, sed maxime militaris. Hinc *Promotus*,

in hac re velut propria vox, & *Promotio.* Promotus, προκόπτων παρὰ Ῥωμαίοις, qui provehitur, & ascendit apud Romanos. A fortibus ergo factis promotio. Et hoc milites reddebat fortes. Paulatim ipsi Principes cœperunt ordines inter beneficia dare, & ab iis petebantur. Quin & census habita ratio, & quidam ditiores statim ab initio Centuriones facti, sine aliis militiæ rudimentis. Quid, quod etiam aliter facti per opes? emebant: sed hoc apud turpes.

Electio Centurionum duplex: Prima electione eligebantur 30. Totidem altera: nempe ex quoque numero, genere, situ seu Manipulo decem. Qui primo electus, nempe *Primopilus*, plurimus eminuit; etiam eo, quod more & jure ad consilium militare venit, in quod primo omnium Legati veniendi jus habebant, & Tribuni; igitur parte quadam istis æquabatur. Interdum plerique omnes Centuriones advocati in consilium, sed pro tempore ac arbitrio Ducis magis, quam more. Interdum & Equites admixti, digniores scilicet militum, & Centurionibus æquandi. Insigne Centurionum, erat vitis.

Centuriones jam electi, rursus sibi eligunt Uragos, qui sunt vel agminis coactores, qui a fine & a tergo curant, vel verius Optiones: erant enim hi Subsidia, & velut Vicarii Centurionum. Olim, cum a Tribuno darentur, *Accensi* sunt dicti; sed postquam Centurioni optandi eligendique jus fuit, *Optiones*; ex facto, nomine sumpto: Dicti etiam *Succenturiones*. Fuerunt ergo Centuriones 60, & totidem Succenturiones, seu Optiones.

Iidem eligebant etiam duos vigore animi & corporis præstantes Signiferos. Et quamvis unum tantum videtur fuisse Vexillum in Manipulo, duo tamen erant Vexillarii aut Signiferi, ut alter alterius vicem obiret in defatigatione (gravia enim hæc Signa,) aut etiam in morbo.

Ordo autem Centurionum triplex: A numero, A genere, A situ. *A numero* est, qui in ipsis Manipulis aut Cohortibus; & ut illi atque istæ, non nisi decem, sic Centuriones: a primo ad hunc numerum descenditur, nec itur infra. *A genere*, qui in ipsa cohorte una spectatur, & honestior Centurionum ille, qui in eo honestiore. *A situ* denique, quod eos, qui ejusdem numeri, generis, imo manipuli sunt, spectat ut dignior sit, qui primus electus in electione priore. Duæ enim sunt electiones (uti dixi) Priore eligebant Centuriones 30. nempe in quoque genere 10. tum iterum 30. eadem divisione. Ergo omnes, qui primi, secundi, tertii, in tali genere, in tali manipulo, priore electione dicti, ii præerant dextræ centuriæ, & hoc aspectu in eodem numero, genere, manipulo, digniores. Sic hastatus primus, pro Centurione in primo ordine seu manipulo Hastati. Sic primus Princeps, prioris centuriæ.

Promo-

Promovebantur Centuriones non ſaltu, ſed gradu, & ab infimis ordinibus perveniebant lento pede ad primos. Et hæc promotio per Cohortes & Manipulos fiebat, hoc modo: Erant 10 Cohortes, infima decima, & in ea 3 Manipuli, in quoque horum duo Centuriones. Iſti omnes numero pares, genere impares: Ideoque prima promotio in eodem numero & Cohorte, à Manipulo ad Manipulum, ſive à genere ad genus fuit; puta, à decimo haſtato ad decimum principem, ab iſto ad decimum pilum. Tum expleta ea cohorte, numero aſcendebant, fiebantque noni, mox octavi, & denique primi. Cum jam illic, à primo haſtato ad primum principem, à primo principe ad primum pilum ibant. Virtutis tamen hic ſæpe reſpectus, & ea eximia ad primos etiam locos ſaltu traducebat. Arcanum, & utile militiæ firmamentum. Sic etiam de legione in legionem traduci ſoliti aliquando. Primi ergo ordines ſunt illi Centuriones in prima cohorte: Primus haſtatus uterque: Primus princeps: Primus pilus. Nec aliter intelligendum, ſi legitur, *Centuriones primorum ordinum*, vel compendio quodam, *Primi ordines*, pro ipſis Centurionibus talium ordinum.

De Primopilo.

Primopilus varie appellabatur: *Centurio primi pili*, & *Primipilus*, *Primopilus* ſimpliciter, vocibus junctis. Item abſolute *Primus Centurio*, ἡγεμὼν τοῦ τάγματος, Dux aut Princeps legionis, στρατοπεδάρχης τοῦ τάγματος, Præfectus legionis. Erat enim ipſe caput & ductor omnium Centurionum. Etiam in Collegam ſuum, ſiniſtrum Primopilum, jus aliquod habebat; nam hæc de dextro accipienda, & ſummo, niſi tamen imperium hoc inhibuere per vices. Imperabat quidem ſuæ duntaxat centuriæ, ſed quia mandata Imperatoris, aut Tribunorum ſæpe per illum edebantur in vulgus, etiam in acie, in agmine, illum aſpectabant, & ad ejus nutum ſiſtebant, aut procedebant, ideo quia Aquilam regebat, primum ſignum. Et ita præerat Aquilæ, ut etiam ſub iter ipſe evelleret refixam, & Signifero ſuo in manum daret: quin etiam in ipſa acie aſſiſtebat, & tuebatur. Quia igitur Aquila in Primipili tutela, & ei velut aſſignata, inde manavit; ut Aquila pro ipſo illo munere & Primopilatu uſurparetur.

Huic muneri non modo dignitas, ſed & opes adjunctæ. Etenim præmia Primopili in pecunia primum, quam certam iis definivit Auguſtus, ſignate tetigit Papinianus, 300 aureos; fortaſſe pro cenſu equeſtri: Certe adjunctus is honos, & pro Equitibus erant, qui Primopilatu functi, dicebanturque *Primopilares*, vel *Primopilarii*. In Codice Juſtiniani & Theodoſii, Primipili munus miniſterium magis fuit, quàm honos: ſic enim dicti, qui ad paſcendos milites ſolenniter ad limitem deſtinantur. Quia tamen olim Primopilatus quiddam eximium, petitus ambitioſe & repetitus: atque adeo Tribuni ipſi, poſtquam defuncti, capiebant.

DE

DE TRIBUNIS.

Sequuntur *Tribuni*, qui ut Centuriones Manipulis, ſic iſti toti Legioni præfuerunt. Græci à ſimilitudine quadam, non à veritate, vocant χιλιάρχας. Millenarios duces: quales erant in exercitibus Macedonum, unde ad Romanam militiam traducti.

Tribuni ſeni in quaque Legione erant. Creavit eos primo Romulus, ejuſque exemplo Reges & Conſules, donec & Populus in hunc honorem jus & ſuffragium ſibi ſumpſit; quod factum primo circa annum U. C. 393. Cum vero minus idonei crearentur per ambitum & gratiam, Populus excluſus. Id autem non diuturnum: Populus jus repetiit, ita ut parem numerum Tribunorum Conſules & Populus crearent. Qui à Populo creabantur, digniores habiti, & dicti *Comitiati*, quia Romæ in Comitiis deſignabantur: qui à Conſulibus in exercitu creabantur, dicti *Rutili*, poſtea *Rufuli*. Prætores, aut Conſules, aut qui pro iis, ſæpe in provinciis creabant Tribunos; & iſti in annos mutabantur.

Tribunorum duplex genus: Equites, & Plebeii. Plures ex Equitibus, etiam non raro ex Senatoribus, præſertim graviore bello; alioquin contra, gradus hic ad ſenatorium ordinem erat. Atque hinc diſcrimen Tribunorum, ut quidam *Laticlavii*, quidam *Anguſticlavii*: illi, qui ex Senatu; iſti, qui ex Equite nati. Laticlaviorum præſtantior ordo. Utrumque genus ambitioſe petitum, & datum, & quo pluribus gratificari poſſent, factum ſemeſtre. Hinc *Semeſtre aurum*, dixit Juvenalis, quia etiam annulo aureo utebantur Tribuni. Vox deinde Tribuni laxa notione uſurpari cœpta & in variam adminiſtrationem aut præfecturam, ut *Tribunus ſtabuli*, *fabricæ*, *voluptatum*, &c.

Munia Tribunorum erant, jus dicere, & de capite cognoſcere: ſignum excubiis dare, vigilias curare, munitiones, exercitia alia.

Tribunorum ornamenta aureus annulus, quo cæteros milites non fas uti, ſed ferreis tantum. Equites quoque geſtabant annulos aureos, quia pari pene loco & dignitate cum Tribunis erant. Hoc tamen diſcrimen diu poſt ſuſtulit Severus Imperator, qui inter alia militibus indulſit aureis annulis uti. Alterum inſigne in veſte fuit, quam paulo ſplendidiorem geſſiſſe Tribunos, vero eſt ſimile, ſicut & ipſos Centuriones. Sub Auguſto, & deinceps, tunica lati clavi fuit Tribunis iis, qui Senatorii gradus aut ſtirpis eſſent. Fuerunt etiam poſtea iiſdem Apparitores, ſed ab Alexandro Principe ſublati.

DE DUCIBUS EQUITUM ET SOCIORUM.

Equites Civium in x Turmas diviſerunt; ex unaquaque 3 ſumunt, futuros Duces ſeu Decuriones. Sunt igitur 30 Duces in decem Turmis. Tot autem ſunt Turmæ, quot Cohortes; tot Decuriæ, quot Manipuli. Duces igitur etiam totidem, niſi hoc diſcrimine, quod Turma unum, non geminos, ut Manipulus, haberet. Hi ſibi aſſumebant

mebant 3 Uragos, ſeu Optiones: nam Optio etiam in Equitibus, & Optionatus ipſum munus.

Turma tres Decuriæ ſunt; & qui Decuriæ præeſt, *Decurio* dicitur. Mutatum tamen in numero, nec tres, ſed una tantum, nomine priſco retento: ut enim illa ætas Manipulos in pedite ſuſtulit, ſic etiam in equite Decuriones neglexit. Sic quæque turma unum Signum habuit, non quæque Decuria aut Dux, ut in pedite factum. Erat tamen ordo in Turmis & Decurionibus talis, qualem de peditibus diximus. Cum primus non adeſt, ſecundus vices ejus ſupplet.

Socios ordinabant *Præfecti*, ſicut Cives Tribuni, & ipſi Præfecti à Conſulibus Conſtituti: quod valde ad rem Romanam & ſecuritatem pertinuit, & contra omnem motum & rebellionem è re fuit, ut Sociis Duces præcipuos darent Romani, non altos ſcilicet, aut animorum plenos, ſuſpectos, aut parum fideliter Romanos. Præfecti hi ut numero, ſic jure & poteſtate Tribunis pares, & qui eadem omnia in Socios uſurpabant, quæ iſti in Cives.

DE LEGATIS.

Legati Imperatoribus adjuncti; primo non tam ad imperandum, quàm ad conſulendum inſtituti ac miſſi. Miſſi dico; quia hinc videtur ipſum nomen *Legati*, quod Senatus quoſdam e primoribus in caſtra ad Ducem legabat militiæ gnaros, quorum opera & conſilio uteretur. Magna erat Legatorum *dignitas*; habebant enim poteſtatem Imperatoris, venerationem vero Sacerdotis. Jam olim in re Romana fuerunt, & quidem ſupra Tribunos, electi ab ipſis Conſulibus; ita tamen, ut conſilium conſenſuſque Patrum intervenerit.

Munus eorum, conſulere, adminiſtrare, præeſſe, & uno verbo, vicariam operam Imperatori dare. Cicero appellat Nuncios pacis ac belli, Curatores, Interpretes, bellici conſilii Auctores, Miniſtros muneris provincialis.

Larga eorundem *poteſtas*, ſed tamen Imperatori devincta, eique obnoxia. Interdum etiam imperant, & Imperii inſignia ſumunt, cum obtinent fiduciariam operam Imperatoris, eam ſcilicet, quæ revocatur, cum vult is, qui dedit; propriam enim & à ſe non habent. Cum abſens Conſul aut Proconſul; & Legatus, ejus vicem ſuſtineret, etiam lictores & ſecures habuiſſe legimus.

Numerus Legatorum incertus. Plures paucioreſque fuerunt in legionibus, ut Senatui viſum, & ut bellum, aut res poſcebat. Plerumque tamen pro numero legionum attributi; ſingulis ſinguli.

Sub Principibus duo genera Legatorum facta, *Conſulares*, & *Prætorii*: quorum illi toti exercitui præeſſent; iſti legionibus ſingulis, idque Auguſti invento. Quaſi enim unus ille jam Imperator eſſet, rem adminiſtrabat per Legatos, nec aliter dicebantur: eoque nec triumphi jus habebant, cum omnia gererent auſpiciis alienis.

alienis. Legati Consulares, etiam simpliciter *Consulares* dicti. Prætorii, etiam *Legati legionum*. Legati ipsi postea *Duces* Latinis dicti.

DE IMPERATORE.

Supremus ac communissimus Ducum, ipse *Imperator*, à quo Cives, Socii, Equites, Pedites, denique omnes & omnia pendent. Ille est, qui non solum ductum, sed auspicia etiam habuit (distincta enim ista) *Ducum*, cum ipse interfuit: *Auspicia*, cum alius rem gessit illo mandante, & Fortunam ac Deos suos commodante. Nam sic loquebantur. *Suos Divos præbere*, *Suos Deos dare*, id est, dirigere & jubere. Sumptum autem à more veteri, quo omnia gesta auspicato, præsertim in bellis. Nec alio fine in castris ipsum Augurale, & juxta Prætorium, situm. Hæc olim ita, & serio servata; postea non nisi imago & nomen mansit, cum pleraque jam à Proconsulibus, aut Proprætoribus administrarentur, quibus auspicia nulla. Nam soli magistratus ea habebant, eaque domo, Latinis feriis actis, sacrificio in monte perfecto, votis rite nuncupatis, secum ferebant: nec privatum auspicia sequebantur. Atque adeo *Auspicium* simpliciter pro Imperio Tacitus posuit.

Imperatoris *insignia* fuere lictores cum fascibus, atque ii paludati. Ita enim ad bellum egredi solebant: quin & ipse Dux paludatus. Etiam tubæ tunc incinuerunt, & ad eas facta profectio. *Paludamentum* Varro dixit insignia & ornamenta militaria. Dictum etiam *Sagum*, & *Sagulum*; in ipso Imperatore etiam *Chlamys*. Nec solum Imperatorum erat Paludamentum, sed etiam tribuitur aliis militibus. Hinc apud Lucilium *Rorarius paludatus* legitur. Forma paludamenti erat, ut extrema longitudinis essent utrimque angusta, imis latioribus. Color ejus eximius, & quidem e cocco. Ab hoc colore *Puniceum* dixerunt, sive *Punicum*, pro paludamento. Erat etiam album, quo interdum usi, sed crebrius cocceo. Imperatores inter vota & immolationes exibant, & tunc vestem hanc capiebant; quæ profectio etiam celebris esse solebat frequentia deducentium prosequentiumque.

In *equis* Imperatoris etiam tale aliquid usurpatum, iique unus vel plures, ornati insignibus militaribus, phaleris, & auro, fortassis & coccineo strato. Simile quid apud Græcos, & in Regibus erat, qui sic ornatos equos habebant.

LIBER

LIBER III.

DE ARMIS.

ARMA duplicia: Ad petendum, Ad tegendum. Illa proprie *Tela*, & hæc *Arma*. Nos cum Polybio Milites secundum Genera armabimus, ut primo sua arma habeant Velites, sive levis armatura; tum reliqui: & utraque illa mixtim.

DE LEVI ARMATURA.

Commune nomen Levis Armaturæ est, *Ferentarii*, à ferendis armis dicti. Horum autem Levium militum plura genera sive partes, *Rorarii*, *Accensi*, & quos hic *Velites* dicimus. Illi priores duo in veteri Levi armatura fuerunt; isti postremi in nova. Et notandum est, novum totum istud de Velitibus fuisse: & antea Funditores, Jaculatores, Sagittarii, & id genus in usu; quos duobus illis nominibus, Rorariorum, & Accensorum dicebant. Manseruntque illi ad bellum Punicum Secundum: quo Velites instituti A. U. C. 542. ante perraro id nomen in Romana re legitur; sed Velitibus usi sunt ante Romanos Galli & Germani. Et hæc Velitum origo, qui post Cæsaris ævum desierunt, & vox deinde usurpata pro Levi milite.

RORARII & ACCENSI erant, qui è Levi armatura primi prælium committebant: Illi quidem sic dicti, quod, ut ante imbrem fere rorare solet, sic illi ante Gravem armaturam prodibant: Hi vero, quod ad censum legionum adjicerentur. Stabant autem Rorarii (uti etiam Accensi) in fine, & à tergo agminis post Triarios, donec pugna cœpta, tum procurrebant, & eminus inter ordines pugnabant. Utrumque autem hoc genus, natis Velitibus, desivit, postea tamen iterum in Funditoribus, & Sagittariis, quasi resurrexit. Nam Romani, promoto jam Imperio, Sociis in Civitatem acceptis, provinciis variis subjectis, Velites è suis scribere omiserunt, eorum loco usi Funditoribus, Sagittariis, Jaculatoribus, quos Baleares, Cretenses, Numidæ, & id genus nationes subministrabant: qui tamen inermes fuere plurimum, ut illi prisci. Sagula habebant & cingula super femora. Talem pictum utcumque damus, qui sagulo aut chlamydula reducta, lapides sinu præfert. Sed & alium etiam diligentius paulo armatum, cui galea, scutum lunatum, & ocrea una. Hi tales autem rari.



ARMA VELITUM.

Velitum arma 1. GLADIUS, 2. HASTA, 3. PARMA, 4. GALEA, ſive tegmen capitis.

1. *De Gladio.*

Gladius, Hiſpanienſis, qui aliis quoque militibus, & infra mox deſcribetur.

2. *De Haſta.*

HASTÆ, vel Haſtulæ numero 7, ex tenui ligno, ut hodiernæ ſagittæ; ſeptena enim illa manum implebant. Iſtæ haſtæ, quia ſua quadam forma, & minores, diſcretim ab aliis dictæ *Haſtæ velitares*, Græcis γρόσφος, telum ipſum; & γροσφομάχοι, Velites dicuntur, quorum primum & præcipuum munus, jaculari. Haſtæ hæ erant longitudine tripedum, digitali craſſitie, ferro molli, 12 digitorum, unde primo jactu ſtatim inflectebantur, ut hoſtes retorquere non poſſent.

3. *De*

3. *De Parma.*

PARMA è ligno, corio superinducto, erat rotunda: hinc nomen, quod à medio in omnes partes par; tripedalem habuit dimensionem.

4. *De Galea Velitum.*

GALEA, aut Galerus, è pelle aut lana tegmen capitis erat Veliti, non ex ære aut ferro. Sic enim distinguitur Galea à Casside, quia illa de corio est, hæc de lamina: & vox ipsa præfert, nam ἀπὸ τῆς γαλῆς, à fele, aut mustela. Sane prisci tegmina fere capiebant à feris; unde in Homero *ἰκτιδέην, κυνέην ταυρείην, αἰγείην, mustelina, canina, taurina, caprina.* Et in Suida ἀλωπεκία, ἡ περικεφαλαία. *Vulpina, ipsa galea.* Sic dictæ; quia à talibus animalibus captæ. Ipsas etiam leoninas exuvias sumebant, & sic aptabant, ut caput capite velarent; cæteris humeros, & dorsum: & Romani in sua militia vulgo usurparunt. Nam in columna Trajani omnes signiferi in hoc habitu cum pelle leonis, quæ caput, humeros, dorsum, tegat, & cauda pedes flagellet. Non sic tamen in nostro Velite, cui galea tantum ex tali aliquo tegmine; & sæpe lupo, Romana fera, & Romuli nutrice; alias ex urso, aut tali fera. Afri è serpente. Hæc talia tegmina appellant *Galeros, Galericulos, Cudones.* Galeis è corio etiam usi Græci, aut finitimi, ut Paphlagones, Macedones. Legitur etiam *Galea venatoria*, pro hoc sensu.

A Velitibus haud longe absunt Græcorum Peltastæ, sive Cetrati. Hac occasione videndum quid *Cetra*, quid *Pelta.*


De Cetra, & Pelta.

CETRAS, sive *Citras* Afri sua scuta dicebant, atque eas varie pingere aut cælare solebant. Tales hodie Mauri gestant, sed majusculas, & formatas fere in cor humanum. Britannis etiam hæc scuta tribuit Tacitus. Hujusmodi quoque fuerunt Hispanorum, qui vel maxime Cetris usi, iisque pulsatis rhythmice & cantu saltuque, hostem invaserunt, pene Laconum ritu, qui ad tibiam & numeros ingressi & congressi. Galli, Germanique etiam cantum ac saltationem adhibuerunt. Cetram passim pro Pelta etiam sumunt, & pro ea Latini reddunt.

PELTA autem inventum Iphicratis, cujus forma non longe à Romana & velitari Parma, etsi fortasse haud usquequaque sit rotunda. Pelta exponitur Thracia armatura, Latini fere Parmam reddunt: & in Glossis, Parma, θρακικὸν ὅπλον. A tali Parmularum figura gladiatores Romæ erant *Thraces* dicti, quia iis armabantur. Peltæ forma ad ancylia accessit, etsi lateribus minus incurvis aut reductis: sed leviter sinuata, & introrsum curva. Pelta vero Amazonica distincta fuit à prioribus, leviter sinuata, in modum fere Lunæ: inde *Pelta lunata*, apud Virgilium. In priscis monumentis & lapidibus visitur bilunis, id est, duplici semiluna insignis.

Peltam

P.a 48.



Peltam è marmore pag. præcedenti expressam vides. Item alteram supra pariformem, sed paulo magis diffusam, in Funditore, quem dedimus, pag. 65.

Peltæ pendebant è collo loris, & cum sese aptarent pugnæ, detrahebant.

ARMA HASTATORUM.

Hastatorum arma 1. SCUTUM. 2. GLADIUS. 3. PILUM. 4. GALEA. 5. LORICA. 6. OCREA.


Eadem pariter arma fuerunt *Principibus* & *Triariis*, nisi quod Triarii pro pilis hastas ferrent. Causa aperta: quoniam in extremo depositi, longius ab hoste erant, quàm ut pila eorum pertingerent, aut vim perferrent missa. Altera etiam causa, quod fortasse contra equitum irruptionem, & totam ordinum confusionem muniverunt istos hastis, quibus acies velut vallo septa inhorrebat. Istas igitur hastas ad statariam & manuariam pugnam habebant, & ut Livius loquitur, *ad ora fodienda*. Non tamen istæ nimis longæ, nec ut Macedonum sarissæ. Nec potuissent, nam cum scutum majus sinistra gererent Triarii, una manu commode videntur tractasse istas hastas.

1. *De*

1. *De Scuto.*

SCUTUM, cui nomen παρὰ τὸ σκῦτος, à loro, è quo factum; non à secando, aut excutiendo, quod Varro & Isidorus putant; differt à Clypeo forma: quæ enim rotunda, & in orbem justum relata, *Clypeos* dixere: quæ in longum exibant, *Scuta*. Clypeus Græcis ἀσπὶς, Scutum θυρεός. Dio tamen, & inferior ætas, confundunt.

Pa. 49.



Duplex Scutorum genus: Unum *Ovatum*, inæquali longitudine; ac patet magis, produciturque circa umbilicum, extremis angustioribus: Alterum genus rarius, *Imbricatum*, quod undique æquali latitudine, & velut januæ formam habet, sed incurvæ: & sectum canalem aut imbricem refert. Forma & facies utrorumque in sculpturis, ut pagina præcedente depinximus.

Latitudo Scuti in gibba superficie, duorum pedum & semis; longitudo, pedum 4. Prominuerunt ergo, & oblonga magis quàm lata fuerunt: nam totum hominem tegebant leviter se inclinantem. Majus etiam palmo excedit: & videntur id Triarii, & digniores Principum, gestasse.

E pluribus minutiſque tabellis hoc corpus junctum, nam pluribus lignis & aſſerculis conſtitit: atque hæc ex certis arboribus. In quo genere ſunt ficus, ſalix, tilia, betula, ſambucus, populus utraque. Leviſſimæ autem ex his ficus & ſalix, ideoque utiliſſimæ, adeo ut Græci Poëtæ ἰτέαν, ſive *Salicem*, pro Scuto dixerint. Erant & è vimine texta Scuta: talibus enim Siculi & Syracuſii vulgo uſi, & γέῤῥας vocabant. Perſis etiam attributa, quia creberrime & recentiſſime ii habuerunt, ſed Rhombi ſpecie. Habuerunt & Germani, & Galli ſcuta vimine texta, quæ fucabant colore, & inducebant pelles aut tabulas, ſed ea non optima aut firma, & aſſumpta in egeſtate aliorum. Macedones etiam olim uſi, ſed quæ in ærea & argentea Alexander mutavit: etiam Itali, & ipſi Romani. Scuta tamen rotunda & equeſtria, levitatis fortaſſe cauſa, talia fuerunt. In ſcuto grandiore plerumque duæ anſæ fuere: Græci ὄχανον dicunt, à *tenendo*, & id inventum Caribus aſſignat Herodotus. Ex ferro iſtas facit Suidas, vel è loro.

Fuit taurino glutino cum linteo compactum, quod & linteum tabellis junxit, & tabellas ipſas inter ſeſe, & corium firmavit. Videntur & nervo aut ferro vinxiſſe. Exterior ſuperficies corio vituli, aut potius bovis tegebatur; imo ſæpe illa coria multiplicata. Sed inde etiam detracta legimus, & urgente fame pro cibo mollita: ut in obſidione Hieroſolymæ, Sagunti, Caſilini.

Extrema curvatura, ſeu margo in ſcuto, ferreus erat, inſtar tenuis bracteæ aut lamellæ; Græci σιάλωμα, & λεπίδα dicunt. Inventum Camilli, qui laminam ferream ſcutis in orbem adaptavit, contra immanes Gallorum gladios, ligno ſolo parum ictus ſuſtinente: tum etiam ad ſcuti tutelam & ſervamen: Inclinabant enim ſæpe in terram, & fere ſic ante tentoria, aut in excubiis, habebant, pilis etiam acclinatis. Ne ergo putiſceret lignum, munimen a ferro.

Umbo in ſcuto, ut plurimum & vulgo, è ferro: Poëtæ etiam aureum faciunt; & ſatis indicat Sidonius, ditiores argentum in ambitu, & aurum in umbone geſtaſſe. Non is luxus olim. Eſt autem Umbo media illa pars ſcuti, quæ protuberat & exſeritur cum rotundo tumore. Ideo *Umbo*, quod Græcis eſt ἄμβων. Montes & eminentias hac voce Statius ſæpe vocat. Sed & Latini veſtis poſitum, qui ad pectus exibat in tumorem, ſic dixerunt. Uſus, ad avertendos vehementiores ictus lapidum & ſariſſarum, & cujuſcunque violenti teli. Eo etiam hoſtes avertebant: nam in conflictu & pugna cominus utebantur eo ad impulſum, ubi etiam pars humeri brachiique projecta & incurvans, adjutrix in hoc niſu.

Origo Scutorum à Regibus, imo à primo ipſo Rege Romulo. Exemplum à Sabinis; item Liguribus, quorum tamen ſcuta à Romanis differunt; teguntur enim Ligures ſcuto longo, ad Gallicum modum facto.

Solebant

Solebant Græci, Romani, Barbari, varias picturas, formas, aut colores scutis addere, sive ad insigne, ut cognobiles essent; sive ad decorem. Vetus ritus, qui etiam heroicis temporibus obtinuit; Cares auctores facit Herodotus. Ulysses delphina habuit in scuto, Lycurgus tridentem; qui Lysandrum interfecit, draconem. Spartanus quidam muscam viva nihilo majorem; cumque irrideretur ab aliis, quasi ab ignavia & metu ita faceret, ne hosti conspicuus esset: *Imo*, inquit, *ut agnoscar. Usque eo enim accedo, ut cernere comminus possint signi mei modum.* Alcibiades in scuto ex ebore & auro confecto habuit Cupidinem brachiis fulmen complectentem. Poetæ Deos, homines, animantes, & pene quidquid in rerum Natura, scutis intexunt. Apud Romanos pyropo ornata colligimus, sive lapide ipso, sive colore rutilo & flammante; talis enim in fulmine, quod crebrum valde, & quasi pro more in scutis Romanis. In iis etiam majorum facta expressa, aut imagines; ut Romulus & Remus de lupa pendentes. Sed & proprias fortasse laudes & facta cælabant. Et in columna Trajani videre est scuta quædam variis coronis ornata, donaticas fuisse censendum est, & eo judicio latas. Solebant etiam Romani quædam nomina iis inscribere: primo Imperatorum, sub quibus merebant: deinde Centurionum: atque adeo & sua, ne forte, repositis in uno loco armis (quod Tacitus fieri solitum scribit in Prætorio castro) fraus aut error contingeret in recipiendis. Cum igitur talia insignia & indicia in scutis, non mirum, quod tam curiose & caute habita, & contra nimbos, pulverem, talesque injurias tecta thecis & repositoriis quibusdam coriaceis: sed ante aciem, sive in via, sive in castris, degebant.

Hæc autem insignia in scutis depicta, etiam aliis gentibus nota, Saguntinis, Gallis, aliis. Et ab illis peculiaribus nata insignia & argumenta familiarum, quæ hodie in usu; an abusu? Ignavissimi usurpant.

2. *De Gladio.*

GLADIUS Hastatis unus: sequenti ævo alium minorem gestabant, quem *Pugionem*, voce Latina Tacitus, alii Græcanica *Paramerium*, aut *Parazonium* vocant, quia ad femur aut zonam penderet. Gladium hunc, *Hispaniensem* dictum, ad dextrum latus alligatum ferebant, novum nostris moribus, sed forsitan spectarunt scuti usum, præcipui inter arma: id impediri videbatur, ejusque frequens motio, si gladius aut vagina sub brachio sinistro: quanquam etiam ad lævum gestatum; & in ea re variatum. Et forsan gladii sinistri introducti, cum Gladioli aut Parameria introducta.

Pendebat autem iste gladius ab humero, non à medio cingulo, veteri & heroico ritu, ut commodior eductio. Et hinc *Arma* dicta, quod ex armis, hoc est, humeris penderent. Prisca monumenta id passim ostendunt, & procaciores milites hodie usurpant. Latioribus autem locis dependebant, & id *Baltei*, vel *Baltea*; quod tamen

 men

men etiam cingulum commune, quo in orbem ambimur, significat. Hunc autem milites singulariter ornabant, eoque velut militiæ præcipuo insigni superbiebant. Bullis honestari plerumque solet, ex argento, auro, interdum & gemmis. Parthi maxime sic luxuriati.

Dictus hic Gladius, *Hispaniensis* : videtur enim cum Annibale illatus, 2 bello Punico ; tunc scilicet, cum Romani vires & constantiam experti militiæ Hispanicæ, adsumpsêre hunc ensem. Illo feriebant non cæsim, sed punctim, unde mucronem habebat eximium : Nam cæsim pugnantes non solum facile vicêre, sed etiam derisêre Romani. Cæsa enim quovis impetu veniat, non frequenter interficit, cum & armis vitalia defendantur, & ossibus ; at contra, puncta duas uncias adacta, mortalis est. Deinde, cum cæsa infertur, brachium dextrum latusque nudatur: puncta autem tecto corpore infertur, & adversarium sauciat antequam videat. Et quia lamina ejus erat firma & stabilis, & ictum utrimque habebat, ideo etiam utilis erat ad cæsam. Hoc igiturRomani ambifariam usi.

Brevis fuit ; & duos pedes in lamina non explevit : vi tamen & firmitate maxima ; nam galeas divisas, corpora detruncata brachiis abscissis, aut tota cervice desecta legimus. Erat ergo forma & facies gladii, qualis fere est hodie noster equester: apparet ita in monumentis priscis : etsi in iisdem etiam acie simplici, & superne leviter pandus, ad Orientalem & Turcicam formam.

3. *De Pilo.*

PILUM, Græcis ὑσσὸς, erat proprium missile legionarii militis; Unde *Pilatæ legiones* veterum. Duo autem notat hæc vox, *Pistillum*, & *Telum* : & Pilum pro telo usurpari cœptum ab illo vult Varro. Dictum enim ab omine, quod hostes feriret ut pilum. Sicut enim instrumento illo rustico aut cibario teri frangique frumenta solent : sic isto hostes. Alii tamen rescribunt, quod hostes periret, ut *Perilum*.

Duo pila militi erant : Unum *majus*, idque rotundum, diametri palmaris ; vel etiam quadrangulum, magis crebrum & vulgarius : Alterum *minus*, simile venatoriis hastis. Sibuna, vel Sibyna huic minori similis. Fuit autem *Sibuna* venabulum sive jaculum venatorium, καπροβόλιον explicat Hesychius, id est, telum figendis apris.

Pilorum istorum longitudo in ligno fere tres cubiti, totidem in ferro, quod habebat hamatum sive uncinatum retro mucronem, hamo satis lato ; ne telum semel impactum, facile esset evulsu. Erat pilum ponderosum & lentum, quia ferri pondus & gravitas tale faciebant, præsertim nullis adjutum pennis. Inerat & vis telo tanta, ut omnia quæque perfringeret, & arte directum scutatos pedites, & loricatos equites sæpe transverberaret. Sed notandum, ferrum in pilo non extitisse seorsim, aut totum prominuisse, sed partem ejus circiter dimidiam fuisse infixam, vel affixam ligno. Eminuit ergo

in

in mucronem & manſit cubitus & ſemis, alter ille modus periit in ligno. Itaque juſta magnitudo pili totius fuit 4 cubitorum & ſemis, id eſt, pedum 7, paulo minus: ſuperavit ergo menſuram hominis: ideoque Silius niti in ea milites facit. Sed hoc pilum forma & magnitudine decrevit in ferro ævo inferiori: ferrum enim trigonum, non tetragonum fuit, idemque non niſi pedale. Et vox ipſa alio ivit, & videntur haſtæ ſic dictæ. Apud Belgas tamen hodie adhuc vox perſeverat, qui Sagittam vocant *Pijl*. Ferrum autem ligno adſtringebatur crebris fibulis, non enim tubum vel auliſcum tam grandem habuit ferrum, in quem lignum immitteretur; ſed potius duas utrimque alias ferreas, quas fibulæ iſtæ comprehenderent & affirmarent.

4. *De Galea ærea.*

GALEARUM forma hæc: Antrorſum apertæ, & ferri aliqua eminentia, ſed repandi; unde & *Silæ* dictæ Feſto. Ad latus & malas utraſque *Bucculæ*, ſic dictæ, quod buccas tegant. Unde *Buccularii*, qui has parant, conficiuntque. Sidonius *Flexiles laminas* vocat, ſic aptas, ut penderent a caſſide, & flecterentur. Ab imis bucculis lora, quibus ſtringerentur ad guttur & firmarentur: Suidas ὀχεῖς vocat; *Vincula*, Sidonius. Veteres clauſas, & vultui appreſſas undique galeas (more noſtrorum Equitum) vix habuerunt. Hinc illa vox Cæſaris in acie Pharſalica: *Miles, faciem feri*, quæ ſcilicet, niſi a ſcuti objectu, nuda.

In galeis habebant Criſtas, in quibus mira & propria quædam ſuperbia, an laſcivia Romanorum? & valde ſibi in iis placebant. Criſta etiam *Apex* Latinis dicitur. Pyrrhus Rex cornua hirci pro criſta habuit. Reges, & digniores militum, inſignes maxime & ſuperbas faciebant has partes, contra plebeii. Sed & Centuriones Romano more tranſverſas criſtas, hoc fine, ut internoſcerentur, gerebant; Vegetii quidem ævo, non olim; qui etiam argenti aliquid mixti in criſtis agnoſcit, fortaſſe & auri in nobiliorum. Φάλος proprie diſcretus erat ἀπὸ τοῦ λόφου, ille *conus* eſt, hic criſta: Græce φάλος, κύμβαχος καὶ ἄκρον τῆς περικεφαλαίας, *ſuprema pars galea*, λόφος, *juba aut criſta*.

Pennas has non niſi rectas ferebant olim, ſine alio paratu aut diffuſione; qui mos fere hodie Turcarum. In monumentis tamen aliter conſpicimus, & fere ad hodiernum exemplum. Erant colore duplici: *Puniceo*, qui videtur honeſtiorum fuiſſe, & aptus ſane ſanguineo huic Marti: & *Nigro*, triſti illo & Diti ſacro, ad quem multi in hoc ferali certamine ibant: & videtur hic fuiſſe viliorum. Fuit etiam *Candidus*, qui color feſtus & dignior, datque Annibali Silius. Laſcivia poſtea in hac re, & aſſumpſerunt etiam Pavonum pennas: at regia & Junonia hæc avis, non niſi in Regum & Principum uſu fuit. Nec dubium, quin tulerint Aquilæ, & talium avium, quæ pugnaces aut rapaces, vel ominis ſcilicet cauſa. Fuit

triplex hæc Crista, sive τριλοφία, & τετράλεια, tres pennæ rectæ. Jubæ etiam creberrime galeis impositæ: nec Græcorum tantum, apud quos pene perpetuum, sed etiam Latinorum.

Cristæ, bonæ duplici causa, & in tenui re momentum ad pugnam & victoriam: *Sive* quod vir major, & animo quoque crescit: *sive* quod hosti terrorem magis præbet. Hinc nescio quo Naturæ ductu, ubique terrarum fere bellatores hoc affectant. Orientales passim, atque etiam rudes isti in novo Orbe. Majores nostri studiose, imo ambitiose affectarunt: & hinc insignia ista familiarum tam varia, queis superbimus. Inventores primi Cares. Nam galeæ istæ quæ scutis imponuntur, familiarum antiqua digmata, originem habent à multifariis istis cristis. Alius cornua sumebat, quasi ad impetendum & terrendum, ut de Pyrrho dixi: alii alia. At in hodiernis galeis quàm crebra cornua; aliæ animalium partes; sæpe capita. Quæ omnia olim in Gallorum & Germanorum quotidiano ritu: qui etiam soliti erant detractas ita exuvias ferinas, ipsosque hiantes rictus capiti imponere; id quod & Parthi fecisse leguntur.

5. *De Lorica.*

Plerique militum non habebant Loricas hamatas, sed partem æris aut ferri procusam, quæ summum pectus tegeret: nam ima ventris satis scutum muniebat. Fuit adsimile quiddam hodierno pectorali, sed minus longum, & æquabiliter quadrum. Et vocabant *Pectorale*, à re & usu, quod pectori tegendo. De corio etiam crudo Pectoralia faciebant, & è ferro. Hoc genus appellat Polyænus ἡμιθωράκια, *Semiloricas*. Pausanias veterum & Homericas loricas describens: *Duæ*: inquit, *erant æreæ partes, illæ quidem pectori, & iis, quæ circa ventrem, apta, hæc ut dorso tegmen esset. Vocabant* Gyala *sive* Cava & incurva, *à forma. Illam antrorsus, hanc retrorsum inducebant, deinde fibula utramque jungebant.* Ecce adsimiles, aut ipsas nostras loricas hodiernas. Fibulæ item in latere utroque loricas istas jungebant.

Habebant ergo Hastati loricam vel è lamina ærea seu ferrea, digitorum undique 12, hæc autem erat viliorum. Ditiores vero, & qui super 10000 drachmas censi, eximie & præter cæteros debebant armari. His enim necessitas ferendi non Pectoralia, sed totas Loricas, easque hamatas, ex catenis & squamulis confectas. Dicebantur enim *Hamatæ*, vel quia circuli & catenæ nexæ hamuli speciem dimidiatæ referebant: vel quia & hami catenulas jungebant. Græcis θώραξ ἁλυσιδωτός, *Lorica catenata.* Et nihil aliud fuit, quàm circuli sive annuli ferrei inter se nexi, more quem hodie Galli & Germani servamus, etsi exolescentem. Origo à Gallis.

Alterum genus Loricarum hamatarum erat, quod non annulis solis, sed & squamis & laminis constabat. Græci φολιδωτὰς vocant, vel λεπιδωτὰς, a squamis piscium vel serpentum. *Squamea lorica*

dicta

dicta Latinis; fuitque honestiorum. Ipsas ergo squamas catenæ jungebant. Has ipsas squamas etiam *Plumas* dicebant, à specie pari. Hinc *Lorica Plumata*. Et Parthorum assiduum hoc tegmen, etiam in equis. Sic enim describitur eques Parthus apud Suidam: *Prior lorica pars pectus & femora & manus extremas & crura tegit: posterior tergum & cervicem & caput totum. Fibulæ vero sunt ad latera, quibus utramque partem jungunt, atque ita totum equitem ferreum dant videri. Prohibet vero nihil aut impedit ferrum membrorum extensiones aut contractiones; adeo curiose factum sectumque est ad naturam membrorum. Armant autem & equum similiter ferro, totum quidem & usque ad ungulas: hoc ideo, quia nihil iis arma prosint propria, si equus interficiatur.* Isti igitur sunt Parthorum Cataphracti sive Clibanarii. Nec solum illi, sed & Sarmatæ in hac armatura.

Nec vero ferro solum nectebant has loricas, sed & cornu. Imo istas Sarmatarum proprias facit Pausanias, easque ita describit. *Colligunt ungulas equorum, eas purgantes & dissecantes conficiunt ex iis quiddam draconum squamis simile; aut si quis draconem non viderit, vidit autem nucis pineæ fructum viridem, is è nuce segmentis aut lacunatis torulis si opus assimilarit, haud errarit. Has igitur squamulas perforantes, & nervis equinis aut bubulis consuentes, loricas ad usum habent, neque decore Græcanicis inferiores, neque infirmiores: nam & comminus percussæ, & jactu petitæ, resistunt, & sustinent.*

Erant & *trilices loricæ*, id est, catenæ & laminæ ter sic geminatæ: & *bilices*, nempe squamis geminis.

Erat & aliud genus, Statii & Silii ævo crebrum: cum segmenta ferrea tamquam fasciæ aliæ aliis superpositæ corpus ambiunt. In columna Trajani assiduum, & pene unicum in milite Romano hoc genus. Depictum dedit Lipsius, etsi se nusquam legisse fateatur.

Sunt & *linei thoraces* seu loricæ, quibus varii populi usi. Græci primum, & quidem vetustissimi, etiam apud Homerum. Gestarunt & Macedones, ipse Alexander, Thraces, Hispani, Chalybes, Itali. In usu ergo plurifariam, etsi Pausanias tamen deprimit, & venantibus magis, quàm pugnantibus commendat. Prisca conficiendi ratio erat, ut è filis pluribus funiculos struerent, eosque deinde necterent, & inde se aptarent. A multitudine filorum, an funiculorum? *bilices*, *trilices* dixêre. Amasis Rex Ægypti, Plinio auctore, thoracem habuit, cujus singula fila, 365 filis constabant. Conficiebant etiam hoc modo: Ex lino factum textum quoddam vino austero affatim salito macerabant, deinde cogebant, ut crassitiem lintei octies, decies, aut sæpius in se complicati haberet. Et vero è lana etiam ejusmodi coactiles thoraces seu loricæ. Cæsar *Subcoacta* vocat, Ulpianus *Coactilia*, Plinius *Lanas coactas*; & sunt hodie nostra *Feltra*. Livio videtur *Spongia* dici.

Labente ævo tunicæ integræ ex his coactis factæ, quas vulgo milites gestabant, & *Thoracomachos* dicebant; ab Antonino Caracalla repertas. Erat enim ista *Lorica tunicata*, sive *Thoracomachus*, vestimenti genus, quod de coactili ad mensuram & tutelam humani corporis conficitur, de mollibus lanis timoris sollicitudo solertia magistra composuit, ut hoc inducto primum, lorica aut clibanus, aut his similia, fragilitatem corporis ponderis asperitate non læderent, membra quoque vestientis, inter armorum hyemisque discrimen tali solatio adjuta, labori sufficerent. Et ne lana pluvias paulatim combiberet, & ingravescente pondere afficeret vestientem, Libycis bene confectis pellibus tegebatur. Has loricas illa ætas *Zabas* vocabat, & *Zabarium* ejus tegmen.

Pondus loricarum ferrearum exiguum fuit, sed robur eximium, ita ut catapultarium telum violenter immissum, ferrum non frangeret, sed vix stricturam levem & cæcam, quasi à scriptorio stylo, faceret. Et nostri hodie æmulantur, quibus sunt loricæ quædam solidæ, quæ respuunt aut subsistunt sclopetorum glandes, valido haud dubie & penetrabili ictu venientes.

6. *De Ocreis.*

Utrumque crus tegebant Ocreis: quanquam alii populi sinistrum modo crus armant ocrea, qui scilicet jaculis pugnabant. Et ex mente Vegetii, Funditores sinistrum crus ferro tectum habent, legionarii contra dextrum. Causam reddit: quia in pugna cominus dextros pedes inante milites habere debeant; at cum missilibus certatur, sinistros.

ARMATURA EQUITUM.

Equitum Romanorum duplex armatura; vetus, & quæ deinde à Græcis sumpta. Olim enim non habebant loricas; sed veste saltem tecti, &, quo magis expediti essent, super eam cincti. Hinc *Cinctati*, viri militares olim dicti. Ideo autem leviter induti erant, ut ad descensum & ascensum facilem in equos magis essent expediti: quod utrumque merito spectabant, cum auxilio nullo aut fulcro uterentur ad allevandum. Interdum hasta innixos fuisse legimus. Videntur & equos quidam insuevisse ad flectenda crura; & sese demittendum. Aliis dignioribus aut mollioribus (nec enim vulgo) fuit qui manu tolleret, & adjutaret. Ii *Stratores* Latinis dicti, quia & sternerent equum, & in eum sublevarent. Ἀναβολεῖς Græcis, ab attollendo. Nam veteres subices pedaneos ex ephippio utrimque pendentes, quibus hodie utimur ad scandendum & innitendum, non habuerunt: nusquam enim in statuis & imaginibus forma aut vestigium, & pedes semper penduli, sine alio fulcro. Atque adeo res nova, ut nec sit ei Latinum nomen, nisi quod patrum ætate Franciscus Philadelphus, ne res quotidiana careret vocabulo, *Stapedam*, appellavit, quod pes in eo staret. Budæus melius puriusque putavit circumscribi, & *Subicem pedaneum* dici.

Prisci

Prisci etiam equis insiliebant: & hæc salitio inter assidua exercitia retenta, nec tantum à tironibus, sed etiam à stipendiariis militibus districte exacta. Equi lignei hyeme sub tecto, æstate ponebantur in campo: super hos juniores primo inermes, dum consuetudine proficerent, demum armati cogebantur ascendere. Tantaque cura erat; ut non solum à dextris, sed etiam à sinistris & insilire & desilire condiscerent; evaginatos etiam gladios & contos tenentes. Usus hæc & plura potuit. Et nonne Pompeius jam senex equo incitato & currente educebat, & reponebat, sine difficultate, gladium?

Sed & facilior erat hæc salitio priscis, quàm nobis, quod sellas istas equestres altiusculas, è ferro lignoque compaginatas, non haberent. Earum vice stragula quædam è panno, corio, pelle, quibus equos insternebant, eoque & *Strata* dicebant, fere ut hodie nostri agasones. Græci στρώματα pariter dixêre; itemque ἐφίππια, qua voce vulgo & Latini usi. Et quidam durius habiti etiam ephippiis carebant: inter quos Germani, qui olim nudis equorum dorsis insidebant. Hinc apud Cæsarem Romanos, ob ephippiorum usum, ut molles contemnunt. Verum nunc ita mutarunt, ut sellæ istæ altiores & fabricæ earum quasi peculiares sint. Sed Germanis fortasse causa sellarum, firmitas; quia securius sic concurrunt & confligunt: certe in sola & passa illa stragula ut facilius ascendere, ita & dejici & delabi. Itaque prisci Romani pelles equis insternebant, ex nobilioribus quidem rariores quasdam, ut è lynce, tigride. Alii centunculos insternebant, aut viliores pannos: honestiores vestem pretiosam magis, aut tapetem. Magistratibus, & qui cum imperio erant, jus fuit purpura aut cocco insternere: atque hi Consulares, & Imperâtorii equi. Sellæ nostræ non quidem perveteres, sed nec novitiæ, & fortasse jam in usu Sidonii ævo, qui vocat *Sellas*, *& Resupinata fulcra.* Quid? quod in columna Trajani, forma quædam nostræ huic consimilis. Sed fortasse verius, structum farctumque aliquid è pannis ibi esse, ad mollius insidendum, sine ligno tamen, aut ferro.

Hastas habebant Equites olim graciles & tremulas: ideoque inutiles duplici causa, cum nec figerent fortiter (erant enim sine cuspide ima factæ) nec collinearent recte. Imam cuspidem Græci σαυρωτῆρα dicunt, sive etiam σύρακα, & οὐρίαχον. Hanc autem hastæ equitum non habebant olim, sed tantum cuspidem supremam. Alias ejus usus erat, tum ut priore parte fracta, ima cuspis percutiat: tum ut recta statuatur defixa terræ, cum ea feriata.

Scutum, sive *Parmam* habebant ex bovillo corio, arte leviter durato; eoque mero, nulla materie subjecta, aut ligno. Fuit igitur cujusmodi Afrorum olim scuta, quæ proprie *Citræ* vel *Cetræ* iis dictæ. Simillimum hoc scutum umbilicatis placentis, quæ *Popanæ* dicebantur, placentæ latæ, tenues, rotundæ. Ex his formam scuti equestris collige.

Cum

Cum poſtea improba eſſet armorum talium uſio, Romani aſſumpſerunt Græcanicam armorum paraturam: prompti enim Romani, ſi qua gens alia, aſſumere mores, & æmulari ſi quid alibi bonum. Qualis autem Græca illa armatura fuerit, nemo melius Joſepho dixerit: *Equitibus gladius eſt ad dextrum oblongus*; etſi pedites eum jam haberent ad ſiniſtrum: oblongus vero, aliter quam in noſtris equitibus, qui breviorem pedeſtri gerunt; olim contra, & valde olim. Nec ſolum gladium habebant longum, ſed *& contum item longum in manu*, vel haſtam grandiorem concurſoriam, ad hoſtem cominus feriendum, aut dejiciendum. Nec dubium eſt, quin olim haſtæ huic uſui, non tamen femore aut genu obnixæ, ob ferrum in imo, quod dixi. Alii tamen ſic ferebant, cum cuſpis ima, σαυρωτὴρ ſcilicet, aberat. Sed Romani an ſub brachium inclinaverint, & ad latus applicaverint, dubium, ratio illa & aſpectus acutioris ferri ſic poſcit. Erat præterea Equitibus illis *ſcutum ad latus equi tranſverſum, & in pharetra tria aut plura jacula, cuſpide lata, & haſtis magnitudine non cedentia.* Poſtrema arma Equitum, *galea & lorica, ſicut in Peditibus.*

Leves Equites Romani non habuerunt, ſed in eos tamen, & cum iis poſtea pugnarunt. Et nominatim Numidas deſcribit Livius, Equite nudos, inermes, præter jacula; & læva pro clypeo veſtem prætendiſſe, ſed arte jaculatoria celebres. Equos ipſos ſine frænis, virga tantum regebant. Nec fræna tantum adimunt, ſed etiam ſtrata. Deformis ipſe curſus, rigida cervice, & extento capite currentium. Hi ergo Numidæ viles aut ridiculi in ſpeciem, re ſæpe validi & feroces. Scivit Annibal, & Romani, quorum ille victorias ſuas in parte, iſti clades huic generi aſſignant.

Sed & aliud eſt Numidarum equitum genus qui graviores, armati & frænati. Iſti ſane deſultores miri, ex uno in alium equum ſtupenda dexteritate tranſiliebant. Hos Ælianus vocat ἀμφίππους, qui duobus equis non ſtratis, & colligatis inter ſe, vehuntur; qui etiam de alio in alium tranſiliunt, cum uſus poſcit. Homerus agnovit & deſcripſit, ſed in 4 etiam equis alternantes. Theutobocchus Rex Theutonum quaternos ſenoſque tranſilire ſolitus eſt.

LIBER IV.

DE ACIE.

IN Acie *quatuor* conſideranda. 1. ORDO & DIVISIO. 2. LOCATIO *Signorum*, & *Ducum*. 3. FORMA INSTRUCTIONIS. 4. ADJUNCTA ACIEI.

1. ORDO

ORDO ACIEI.

Ordo in pugna unus & simplex per genera militum & classes. Hastati pugnam inibant primi omnium, ex stataria quidem & gravi acie, alioquin Velites ante eos, aut leves milites pugnare soliti: & sic per gradus virium pugna procedebat: ab infirmioribus paulatim ad magis firmos firmosque ventum. Si enim Hastati profligare hostem non possent, succedebant Principes: post hos Triarii. Hinc proverbium: *Res ad Triarios rediit.* Perpetuus & inviolabilis fere hic ordo, veteri quidem & bona re Romana; quem etiam in navali certamine servabant.

Ratio pugnæ: Si Hastati pellerentur, aut non pellerent hostem, retrocedebant in intervalla ordinum, & Principes excipiebant. In hac ars omnis & arcanum militiæ Romanæ, habere vias inter manipulos, claudere & aperire eas, prout visum. Huic invento pene omnes eorum victorias liceat adscribere. Appellantur autem *Intervalla ordinum*, item *Viæ*, item *Spatia*. Græci διαχώρας vocant. Hæc intervalla duplicia: inter Genera, & inter Manipulos. *Inter Genera* transversa erant, post singulum quodque militum corpus: ut post Hastatos, spatio relicto, Principes sequebantur; iterum spatio post istos Triarii. Ergo transversa illa intervalla duntaxat bina. Alia *inter Manipulos*, directa spatia aut viæ, & quæ in uno ipso genere manipulum à manipulo discernebant. Hæc in denis manipulis necessario 9 erant. Modus & quantitas singulorum pro locis, pro copiis, pro Ducis arbitrio variavit: tamen illa transversa grandiuscula fuisse videntur: & probabile est, Principes ab Hastatis, 50 circiter pedes fuisse remotos. Triarios ab illis, 100. Nam hic erat Prætor, & signa, & Principiorum ipsa forma. Opus etiam profecto tali aliquo intervallo ad procedendum aut recedendum, & ne agmina miscerentur. Jam in directis viis aliter atque aliter fuit pro usu. Si Velites interjecti, latiusculas fuisse oportuit, pedum 20, aut 30. Si non, fuerint sane pedum 10. Id quoque pro numero legionum aliter, & ubi hæ multæ, ac, quod sequitur, manipuli, spatia non potuêre esse magna.

Usus istarum Viarum magnus. In pugna enim, etsi divisi ordinibus, tamen unum omnes corpus statim fiebant, cum opus; & per vias istas jungebant se, & disjungebant. Hoc ita, exempli causa, factum: Hastati premuntur, volo Principes succedere, & istos recipere, statim id fiebat beneficio viarum: recedebant enim manipuli Hastatorum singuli, & aversi leviter vias Principum ingrediebantur, quas ii laxabant, & ipsi quoque leviter procedebant. Tum aut retinebant apud se Hastatos, duplicato agmine; aut plane fessos retro se locabant in grandiore intervallo, ordinibus semper servatis. Idem in Triariis, si Principes improspere pugnantes receptarent. Nec manipuli manipulos impellebant in hoc recessu: Nam singula genera vias suas dimensas habuêre, sed non per alia genera penetrantes.

trantes. Manipuli Principum claudebant à tergo viam Haſtatorum, & liberum per eam aſpectum aut excurſum habebant; idemque Triarii per iſtorum. In quincuncem igitur diſpoſitio iſta manipulorum fuit. Inter ſingulos verò milites ſpatium fuit 3 pedes, idque utrimque à latere, à tergo, ob gladii ſcutique uſum commodum.

Triarii ſub vexillis conſidebant, ſiniſtro crure porrecto, (ab ea ſeſſione ἱζεδροι, Tertiarii explicantur in Gloſſis: & Varro inquit, *quod Triarii ſubſidcant, ab eo* Subſidium *dictum*,) ſcuta innixa humeris, haſtas ſub recta cuſpide in terra fixas, haud ſecus, quàm vallo ſepta inhorreret acies, tenentes.

Vetus levis armatura, quæ conſtitit Rorariis & Accenſis, non in prima acie, aut viarum intervallis, ſed poſt Triarios in extrema acie diſpoſita erat. Itaque tunc non committebant pugnam: quod poſtea factum; pugnabant enim fundis, jaculis, & telis quæ eminus mitterentur. Poſtera ætas Velites à Triariis removit: & ad principia locavit. Et triplex fere eorum locatio: Interdum ante omnia ſigna & in fronte: Interdum mixta primis manipulis, aut potius in jam dictis viis: Denique interdum non in viis ſparſi, ſed in cornibus poſiti junctim; eaque crebra diſpoſitio, & Vegetio ſolennis. Sed ubicumque poſiti, prodire ante alios ſoliti, & pugnam committere, cum datum ſignum. Cedentes autem, inter legiones recipi ſolebant, & à tergo poni, aut iterum alia procurrere.

Eques fere dupliciter locatus. Primo in cornibus, ita ut legiones ſocioſque medios haberet; quæ fere ordinaria poſitio. Altera, ut à tergo interdum ponerent, ſpatiis relictis inter manipulos aut legiones, qua poſſent cum impetu emitti. Id fiebat fallendo hoſti, & ut improviſa res eſſet.

Socii plerumque ſtetêre in cornibus, & ad latera legionum, ipſi diviſi in cohortes & manipulos. Hinc eſt, quod ipſæ Alæ, ſive agmina Sociorum, *Cornua* dicta. Si vero nulla media acies, & duo Cornua tantum, tum exteriores cujuſque partes Socii tenebant. Ita ut plurimum: nam & in fronte, aut aliter, Socios poſitos legas, pro loco, aut uſu.

2. SIGNORUM LOCATIO.

Cuique manipulo ſua ſigna, tum & Legioni communis Aquila fuit. Et manipulorum ſigna in ſuo quæque manipulo fuiſſe, ratio & exempla docent. Sparſa igitur & diſpoſita per manipulos: ſed an in fronte, aut medio manipuli, ambiguum credo utrumque. At vallum aliquod virorum objectum erat, ne ſic nuda oſtenſa & oblata hoſti. Atque ii ſunt, quos *Anteſignanos* appellarunt: quæ vox tamen communiter de toto primo agmine invaluit, & ipſi haſtati videntur ſic dicti, non quia ante omnia ſigna (ſua enim habebant) ſed quia ante præcipua eſſent. Aquilam & Triariorum, quæ legionis & cohortium prima erant. Hoc Græci προμάχυς, τῶν σημείων vertunt, *Propugnatores ſignorum*: ſive & προτάκτυς, *Præpoſitos*, à loco. *Poſtſignani*, qui erant in extrema acie. Signa

Signa duplicia in Romana militia: *Peditum*, *Equitumque*. Peditum item duplicia: *Legionis* totius, & *Manipulorum*.

De Aquila, Legionis signo.

Signum Legionis *Aquila*, nec nisi unius una, nec Socii quidem, cum in aliis pares, eam habuerunt. Et quia hæc præcipui imperii signum, subjungi sub eam Socios voluerunt, & Auxilia, non seorsum habere. Itaque per ipsas Aquilas numerabant Legiones.

Aquilæ origo varie petitur. A Jove alii, qui hanc insigne militiæ habuerit. Quidam à Trojanis. Forte Romani repererunt à se, aut vicinorum exemplo. Sane rapacium aliquot animalium effigies assumi & præferri bello convenit, & varie olim fecerunt Romani. Nec enim solam Aquilam prisci illi, sed plura ejusmodi animalia protulerunt, nata in pugnas aut raptus, ut Lupos, Minotauros, Equos, Apros, Porcos. Etiam prisci Germani ferarum imagines inter signa habuerunt. Aquilæ vero hæc dignitas etiam apud alias gentes fuit. Persis regale hoc signum.

Forma Romanæ Aquilæ: Pinnas extendens summæ hastæ insistebat, ex auro vel argento, & fulmen sæpe unguibus tenebat, quasi jaculatura. Sed nec corpus ipsum Aquilæ magnum. Cum in hibernis esset Aquila, in sacello seu ædicula reposita, atque inde mota, cum educenda. Enimvero & olim Romæ signa in templo. Et sane reposita ea in ærario, templo Saturni, religionis causa, & custodiæ, quia pecunia ibi publica & argentum. Defigi etiam in terram solebat, etiam in ipsa pugna, cum ea in loco staret, nec impelleretur hostis. Sed & in castris defixæ stabant Aquilæ: ac inter prodigia erat, cum in hostem eundum esset, non potuisse evelli. Olim quidem ipsa hasta ita solo infixa: at postea (ad custodiam, an ad delicias?) non ipsa hasta, ne macularetur aut absumeretur; sed loculi aut thecæ ferreæ in terram defixæ, & in eas immissa ima hastæ cuspis. Isti loculi ferrei quadrati, in acutum desinentes, introrsum vacui efformabantur.

De signis Manipulorum.

Signa Manipulorum quæ fuerint, ipsa vox indicio est. Nam cum perticis manipulos fœni seu straminis suspensos ferrent, illa ipsa manus, quæ ea sequeretur, dicti *Manipli*, Ovid.

Pertica suspensos portabat longa maniplos,
Unde maniplaris nomina miles habet.

Sed hæc rustica non mansere, posterior forma fuit hasta, in cujus summo transversum ligneolum, in modum crucis, & sæpe cum manu supra eminente; nonne allusione ad Manipuli vocem? Sed & orbiculi quidam, vel clypeoli infra crucem hastæ adnexi, nempe ex argento vel auro imagines, Deorum primo, ut Martis, Romuli, & talium, qui scilicet militares Dii; & ab hoc exemplo ipsorum deinde Imperatorum. Sic Drusi imago inter signa, sed & Sejani, per adulationem. Et hæ imagines in signis. Signa ipsa ex auro, etsi

etsi hastæ argentatæ erant : olim tamen & signa ex argento, quoniam color is longius fulget. Qui has Imperatorum imagines portabant, *Imaginarii* vel *Imagiferi* dicti.

Vetus, sed paucis notum fuit, Pila, vel Globus in summa hasta. Sic Augustus pilam in signa fertur constituisse, propter nationes sibi in cuncto Orbe subjectas, ut pila figuram Orbis ostenderet. Turcæ hodie retinent, & equinos aliquot pilos ab eo globo pendulos demittunt. Hoc genus vexilli *Tufam* vocabant Romani.

De signis Cohortium, & Equitum.

Cohorti non erant propria signa,nusquam enim olim expressa : sed interiore ævo sua habebant vexilla,etsi olim vexilla Equitum propria. Hinc*Vexillarii*.Et erant hæc vela quædam quadra expansa ad hastam; sed vela modica. Nostra ætas retinet in Equitum Bandis : etsi forma paulum diversa. Propius accedunt templorum vexilla,quæ in lustratione & processibus anteferuntur. Hinc *Vexillatio* de ipsis Equitibus aut ipsorum Ala, crebrum posteris verbum. Hæc vexilla posteriori ævo *Flammulæ* dicta. Erant e purpura,&auro mixta. Atque his vexillis, ut & signis aliis, Principis nomen inscriptum aureo textu.

Erat & ritus magis priscus, cum unum aliquod & Imperatorium vexillum grande præferretur, nomen ejus habens, non tamen aureis, sed puniceis literis inscriptum ; eoque vexilla ipsa tunc non punicea, sed candidi coloris. Hoc Imperatorium signum postera ætas *Labarum* dixit.

De Draconibus.

Draconis signa ab ipso Apolline morte draconis inchoata. Formam graphice dat Suidas : *Draco extensus in pertica, ejus caput ex argento factum erat, dentibus restrictis & nudis, minace rictu, reliquum corpus serico textu, longitudine & crassitie & varietate coloris in verum draconem.* Iis usi Assyrii, Indi, & Scythæ ; Daci item & ab his Romani, imitatione. Placuit enim ille terror, quem moti in aëre faciunt, & visum bello aptius, quam Romana illa signa. Nisi quis tamen à Persis magis petat ; cum inter spolia à Zenobia capta et traducta, etiam Persici dracones legantur. Deinceps quidem crebri in Romana historia. Qui signa draconum ferebant, *Draconarii* dicti. Quidam proprii & peculiares Principis fuerunt, qui toti e purpura, in ejus comitatu. Etsi ὑφάσματα dicuntur, etsi textu serico, etsi Flamulæ, denique sub tegminibus texti : tamen profecto ambigas, an in velô sic depicti fuerint, aut acu texti, an potius corpus totum solidum è pannis & subtegmine factum. Columna Trajani, corpora, non imagines præfert. Et à Græcis longitudo & profunditas iis datur. Quid ? quod sibilasse eos volunt, concepto vento : nam hastarum aureis gemmatisque summitatibus illigati erant, hiatu vasto perflatiles, & ideo velut ira perciti sibilantes caudarumque volumina relinquentes in ventum. Sidonius vocat *Textilem anguem*. Prudentius *Draconum pallia*, pro

pro mente & ritu vulgi, cum & hodie in velis militaribus varia sic pingamus.

De Signorum religione.

Hæc Romana signa fuerunt, quæ sacra habuerunt, per quæ juraruur, & quos unicos bellorum Deos. Bono consilio; ut religionem animis ingignerent, & signorum non amorem tantum, sed & venerationem. Ergo firmius asservabant, fortius amissa recuperabant. Quoties legimus, integras acies jam fluctuantes, jam recedentes, restitutas & impulsas, signis in hostem jactis? Suadebat enim repetere, non pœna tantum quæ manebat iis amissis; sed etiam pudor & religio, & quasi Deos ac sacra sua prodidissent: Deorum cultus iis exhibitus. In rebus ipsis, quod perfugium illic, ut in sacris: Quod ea ornabant, ungebant, colebant, ut ipsos Deos. Hinc *Signa uncta*. Tacitus *Propria legionum Numina* vocat.

LOCATIO DUCUM.

Imperator in media parte erat: ratio enim vult, ut ibi sit, unde prospiciat & mandet facillime in omnes partes; qui locus medius est, sed paulum tamen ad finem magis admotus. Nam inter Principes & Triarios, ante Aquilas stetisse censendum; etsi pro arbitrio tamen sæpe mutavit.

Legati & Tribuni juxta Imperatorem: nisi tamen Legati curarent, & præpositi essent certæ alicui legioni aut cornu, quod sæpe; tunc enim in medio ejus, loco Imperatoris agebant. Quod idem aliquando in Tribunis, ut huic aut illi parti præficerentur; sed vulgo retro Principes stetisse videntur, quo ordine in castris, & juxta eos Sociorum Præfecti.

Centuriones vero juxta suam quisque centuriam, id est, in capite ipso: nam verisimile est, à fronte eos præivisse & curasse, ut Optiones eorum à tergo. Argumentum à castris, ubi item in manipulis primum locum & sedem habent. Imperator ipse plurimum in equo, & hoc fine illi equi Imperatorii. Et ipsi Tribuni sæpe in equis, imo interdum inter equites pugnarunt. Quod an in omnibus verum sit, incertum: fortasse in iis tantum, qui ordinis & loci equestris. Plebeii steterunt pedites inter suos.

Locatio Militum.

Ipsi gregarii milites secundum matriculæ ordinem in aciem dirigebantur. Matricula hæc fuit ordinis à Centurione instituti. Nam suos juxta vires, & pro judicio locabat, certis quemque locis, quos in acie & agmine tenerent. Quisque locum suum noverat, & hos ordines pertinaciter servabant. Cautio erat, ne quis miles à signis 4 pedes longius procederet, id est, ne quis vel passum unum progrederetur extra lineam, ubi signa. Imo & mors pœna, si qui reliquissent. Quod idem in agmine servabant, etsi non mors hic semper, sed minor pœna, ubi nimirum minor excessus & aberratio. Quod si major, profecto desertionis pœna mors erat. Desertor

autem

autem habebatur, qui longius, quàm unde tuba audiri poſſit, exceſſiſſet. O priſci, ô noſtri mores, quam diſſidetis! Hodie nihil tam impune, quàm vagari, præſidari, rapere; olim mors leviter abeunti. Nec Romani ſolum hic ſeveri, ſed etiam Græci, qui hos tales ignominia notabant. Et Spartanis lex erat, ut ſtantes in ordine vincerent, aut morerentur. Duræ hæ leges, ſed utiles: & iſtæ ſunt, quæ viros, quæ milites pepererunt, gentium hominumque victores.

3. ACIEI FORMÆ VARIÆ.

Acies fere aut Duplex, aut Triplex. *Duplex*, cum tota acies in cornua duo ſecta, dextrum & lævum. Ea ſæpiſſime obtinuit in exercitu Conſulari, cum duæ legiones, & ſingulis ſua Auxilia adjuncta. Hæc ſectio vetus, & aliis quoque gentibus uſurpata. Pan ordinis & Cornuum autor; unde cornutum fingunt. *Triplex* eſt, cum præter cornua, alia etiam media exſurgit. Id quoque crebrum, non ſolum ubi plures legiones, ſed & cum duæ, iſtis ſcilicet in medio poſitis, Sociis ad utrumque Cornu.

Sed eſt & alia ratio duplicis, triplicisque aciei, cum præter ſimplicem illam diviſionem, à tergo etiam ſectio fit & diſcrimen. Ut ſi 4 legiones habeam, duas in fronte cum Sociis ſuis pono, totidem à tergo, velut in ſubſidiis ſuppono. Idem in duabus quoque factum, & aut Ala utraque Sociorum præpoſita, ſubjunctis legionibus, aut contra. Has autem ſecundarias aut tertiarias legiones ſive copias, *Subſidia*, & *Subſidiarias* etiam vocabant. Nec totæ ſemper legiones, ſed cohortes aliquot ſic ſubſtitutæ. Hæ præcipuæ ſunt & receptæ Romanis inſtructiones; quas tamen leviter variabant promovendo, aut retrahendo. Plerumque enim æqualiter utroque cornu & ſimul concurrebant: quod Cato, *recta fronte*; Tibullus, *æquatis frontibus* dixit.

Altera depugnatio *Obliqua*, cum cornu ante cornu promovetur.

Tertium genus *Sinuata* acies, cum in triplici acie tertiam & mediam amoves ab hoſte, & cornua modo immittis.

Quartum genus huic adverſum, cum ſcilicet ipſa media acies prominet, & incurrit prima in hoſtem. Græci ἐπικαμπὴς *flexum* dicunt, ſive etiam κυρτὸν, *gibberum*. Hac Annibal in pugna Cannenſi ſcitiſſime eſt uſus, ſed cum ea quoque arte, ut cornua robuſtiſſima haberet, & integra ſervaret, & mediis denique pulſis, ſinu facto, immitteret ea utrimque legionibus, victoriæ ſuæ certam cauſam.

Aliæ quædam acierum formæ apud Romanos etiam interdum uſurpatæ, quas ſtrictim, & per indicem dat Cato; ut, *Cuneus*, *Globus*, *Forfex*, *Turris*, *Serra*.

Cuneus, qui eſt, cum anguſta in fronte acies, trigoni forma, paulatim ſe retrorſum pandit: unde & *Trigonum* vocant. Item

ἔμϐολον sive *Rostrum* Græci. Dixêre & *Caput porcinum*, quia assimilatur, & quia velut fodit & ruit invadendo. Literæ Δ assimilabatur. Et anterior pars, qua in acutum desinebat, recta & densa erat, quia scutis, undique muniebatur. Crura autem utrimque secundum ordines & cohortes in profundum composita; & pleraque parte in obliquum extensa, deibant paulatim & disjungebantur, donec in maximam longitudinem progressa desinerent; ita ut medius locus vacuus relinqueretur, & terga militum nuda per ordinem conspicerentur. Franci pugna in Narsetem sic usi. Sed & Hispani olim creberrime. Romani etiam non raro. Significat etiam *Cuneus* Historicis multitudinem confertam.

Globus, qui à sua acie separatus, vago superventu incursat inimicos. Sed & figura globosa, & in rotundum fuisse videtur.

Forfex, quæ & *Forceps*, cum contrario Cuneo acies instruitur, latioribus primis & apertis, ac paulatim desinentibus in angustum. Literæ V formam exprimi. Usus, ad cuneum solvendum & atterendum.

Turris, Græcis πύργος, est ordo militum in quadro. Differt à Laterculo, quod Turris in altum & profundum quadra instructio; Laterculus jacens, & in latum.

Serra præliari dicitur, cum assidue acceditur recediturque, neque ullo consistitur tempore. Id fiebat, cum manipuli primæ aciei modo invadebant, modo resiliebant; & reddebatur dentata quædam forma. Potuit & aliter, cum Velites ex intervallis manipulorum insiliebant & resiliebant.

4. ACIEI ADJUNCTA.

Adjuncta Aciei sunt, 1. ALLOCUTIO. 2. CLASSICUM. 3. CLAMOR. 4. SIGNUM PUGNÆ.

1. *De Allocutione.*

Allocutio est, cum Imperator affatur publice suos milites, & retinet aut impellit. Retinet, aliquando nimis aut propere gestientes: impellit tardantes aut timentes. Ad summam, format in quacumque re & docet. Utile haud dubie vetus hoc institutum, cum Imperator consilio, & sæpe eloquio validus, & semper auctoritate, suos composita oratione excitaret, & vel timidis robur ac vires daret. Ab illo autem ardore ad pugnam recta ibant, cum præsentia Imperatoris adhuc in oculis, verba in auribus versarentur. Certum est, acies aliquot erectas, & ad victoriam firmatas sola hac concione.

Modus talis: Sæpe interequitans ordines ita affatus eos est, sub ipsam pugnam: sæpe in castris, & ante egressum. Aliquando etiam extra suspicionem omnem pugnæ, si qua seditio aut querela, aut alius animorum morbus, cui sermone mederetur. Sed cum in castris, aut etiam in ipso campo interdum, fiebat in tribunali, quod e cespite subito erigebant: Altior enim Imperator esse debebat, & ad

ad auditum faciliorem & latiorem, tum ad auctoritatem. E cespite, dixi, tribunal fuisse, etsi in hibernis fortasse etiam e lapide, nihil vetat, sed illud fere solenne, & e militiæ ritu.

Circa hunc cespitem sive tribunal milites dispositi non confuse, nec ut quisque accurrerat, sed per manipulos & turmas. Ubi & vexilla prælata, id est, signa manipulorum, turmarumque, & ipsarum legionum, & juxta ea Centuriones & Duces; etsi Legati & Tribuni fortasse a lateribus Imperatoris, aut a tergo: Legimus tamen, milites etiam vocatos interdum in concionem ad ipsa signa, id est, ad Principia: cum nempe in castris affatio esset: ibi quippe ante Prætorium ipsum tribunal, ut dicetur in re castrensi. Inibi cum armis convenerunt.

In hoc alloquio approbatio aut improbatio, & utrumque per sua signa. Veteri ritu clamor in assensu militari, & dextræ sublatæ: contra, fremitus aut mœsta taciturnitas. Sed & tertium assensus genus erat, concussio armorum, sic ut hastis ferirent scuta. Invenias & paulo aliter assensum, videlicet sublatis scutis, vel cum crepitu motis. Sed hæc talia non prisci nimis aut mere Romani ritus; ab exteris & barbaris manarunt: Germani quidem & Galli sic factitarunt ab antiquo.

2. *De Classico.*

Classicum dicitur, cum signa omnia pariter canunt, & militem vocant incitantque ad pugnam. Ducta vox à Classe, quod sono tali classes olim ad concionem vocabantur: sive etiam ipsa primitus, *a calando*, *Calassica*. Sane vocari classico verum est. Simile in ipsa Urbe olim, ritu valde antiquo. *Classici* nomen proprie buccinæ aptare Vegetius videtur: contra soli tubæ ascribit Suetonius. Sed in his talibus non aliud est *Classicum canere*, quàm πολεμικὸν sive τὸ παρακλητικὸν σημαίνειν, *bellicum aut incitatorium canere*, certis videlicet modis. Quod in pugna quidem legitima fiebat omni illo instrumento, & cornuum, & tubarum; Lituus etiam miscebatur.

Litui distincti à cornu, à tuba; nam Seneca facit adunca esse forma; quæ non in tuba. Dixeris à similitudine auguralis litui appellatos, qui in extremo incurvus. Qui eo cecinit, *Liticen* dictus. Dabat acutum & stridulum sonum. Unde colligendum, grandem aut patulum canalem hunc non fuisse. Fuit igitur *Lituus* medium quoddam inter tubam & cornu; non rectum prorsus, ut illa, nec totum incurvum, ut istud. Quin tamen confundant scriptores, haud abnuo.

Tuba ejus formæ, cujus apud Europæos fere hodie vides: ære directo ducta est, canali ad exitum latiore; quæ erat militaris. Nam & alia sacrorum est, dispari usu, & fortasse forma. *Tuba* dicta a tubo sive canali; quem referebat. Tuba etiam digniores usi, & illa canebant, imo summates viri exercuerunt. Tuba priscis

Græcis

Græcis ignota: Homerus novit, ſed nuſquam Heroibus tribuit, quia nondum in uſu Græcorum. Ejus ſex genera facit Euſtathius. 1. Quam Minerva invenit, & ab Argivis hoc cognomento colitur Σάλπιγξ ἀθηνᾶ. 2. Apud Ægyptios, quam Oſiris reperit, quæ χνὰν ipſis dicitur, & ad ſacrificia utuntur. 3. Gallica, conflatilis, non nimis magna, quæ os habet deformatum in beſtias, & canalem plumbeum, in quem inſpirant Tubicines, atque eſt acuti ſoni, vocatur ab ipſis Gallis *Carnyx*. 4. Paphlagonica, cujus os effigie bovis, gravi mugitu, ſurſum inflanda. 5. Medica e calamo tubam habens, gravi ſono. 6. Tyrrhenica, ſimilis tibiæ Phrygiæ, habens orificium ſciſſum aut fractum: ea valde acuta. Et iſtam volunt eſſe hanc noſtram & Romanam, atque à Tyrrhenis traductam. Tuba etiam ad mortuos utebantur, ſed nobiliores: neque enim ea vulgo, ſed in funeribus Indictivis, ſcilicet ad populum claſſico convocandum. Quod ipſum in militibus decore ſervatum, ut ii ſepelirentur ad bellicum hoc inſtrumentum.

Cornua dicta, quod ea, quæ nunc ſunt ex ære, tunc fiebant ex bubulo cornu. Et prima origo à boum cornibus, & paſtorum inſtituto: nam illi ſic calabant pecus aut boves. Ergo olim nihil diſcriminis inter Buccinam & Cornu: poſtea fuit, & cornua iſta ex ære facta grandiora, & magis reflexa.

Buccinæ prioribus ſejunctæ, quod Vigiliæ oſtendunt: nam nemo illic cornu aut tubam ſonuiſſe dixerit, ſed buccinam ſignanter plerique omnes. Fuit cornu bovillum initio: nec à bove male derives, ut inſtrumentum, quod bubus canit, aut quod boves canit & vocat. Ea ex ære facta.

Qui inflabant, univerſe *Æneatores* dicti, quia omnia ex ære. Cuique manipulo aut turmæ ſui videntur fuiſſe Æneatores: Nempe ſingularum partium ſui, & tot fortaſſe, quot ſigna, tum etiam communes legionis. Illi tempore pugnæ in ſua quiſque parte ſteterunt; iſti juxta Aquilas & Imperatorem.

Modus incinendi claſſici: Tubicen unus utrimque inſonuit, & mox alii pariter reſponderunt, priores quidem ii, qui rotundo quodam loco conſtituti, tubis certum aliquod modulabantur, quo ut conſiſterent, & prælio ſe pararent, milites admonebantur: tum deinde omnes reliqui, qui animos iraſque militum acuebant, & ad pugnam excitabant. Triplex ergo tubæ ſonus: Primus unius & ſingularis, qui Primipili fortaſſe, haud longe ab Imperatore, ejuſque nutu incinuit. Secundus aliquot aliorum; qui in loco quodam orbiculato, & fortaſſis editiore ſtabant, ad ſigna & Aquilas Tertius omnium aliorum per cohortes, per turmas, qui pariter jam Claſſicum canebant. Nam duo priores ſoni non niſi expediendo militi videbantur, paulatimque ejus animi & iræ motæ. Facit enim profecto hoc ſonus, & magnam vim habet ad ſpiritus & ſanguinem evocandum. Ideo Romani non in equitibus ſolum, ut nos, ſed

etiam in peditibus tubas habebant. Nam tympana, & cujusmodi nos vasa pulsamus, Romanis non in usu; apud alias tamen gentes observitata. Imo in convicio apud illos Tympanotriba: & Galli, id est, effœminati Matris Deum, ea pulsabant.

Vetusta tamen tympana, & ab ipso Baccho, sed in eo choro fere relicta: & apud molles. Et ab eo fortassis est, quod in bello etiam tympanis usi Indi, & Abari sive Huni, gens barbara. Sed certe diversa erant à nostris illa Indorum: nam ex palmæ arboris cavato stipite, cui tintinnabula ex orichalco introrsus adaptabant, & os deinde vasis taurino corio occludebant, atque id in altum ferebant, concutiebantque in acie. Tintinnabula igitur, quæ multa & magna intus, inconditum quendam sonum edebant. Talia etiam Parthis tribuit Plutarchus. Etsi in marmoribus Galli Matris Deûm conspiciuntur tympanum manu tenentes, rotundum infra, supra planum, atque ibi corium inductum, quod bacillis pulsant; cujusmodi hodie equestria Germanorum vel Afrorum tympana. Nec in ære tantum tales pelles, sed in ligno sic cavato & aptato, pelle ex una parte ligno extenta. Quod dimidiatum nostras tympanum, jam plenum, sed alio nomine, habetur apud Isidorum. *Symphoniam* vocat: *Symphonia*, inquit, *vulgo appellatur lignum cavum, ex utraque parte pelle extensa, quam virgulis hinc & inde Musici feriunt.*

3. *De Clamore militari.*

Classicum excepit *Clamor* militum; itaque edebatur in ipsa imminente jam conjunctione & conflictu, incitatio pariter animi & virium, at qui hosti terror. Nam hos habebat fines. Itaque ante, & cum eminus, silentium vastum erat; incursus & impetus duntaxat cum clamore factus. Vetus hercle hoc institutum, & Romuli ævo usitatum. Duplicem habuit causam, ut dixi, hostium terrorem, & sui incitamentum.

Probabile est, hunc clamorem fuisse voces aliquas confusas, repetitas, nec quidquam significantes, cujusmodi subitæ, & primi impetus esse solent, syllabæ potius, quam verba. Fuit apud Græcos quidem vox ipsa ἀλαλάζειν, καὶ ἀλαλαγμὸς, assidua in ista re: & quid aliud, quam formata a syllaba ista repetita, *Al al*, vel *la la?* qua utebantur scilicet in provocando. Apud Romanos quid fuerit, ignoratur; nisi quod *Barritus* posteriore ævo reperitur, sed Germanorum verbum. Usi tamen Romani: an quia syllaba illa repetita prior, ut hodie Germanis quibusdam *Bar bar?* an à clamore ductum? quoniam *Baeren*, vel *Beren*, hodieque sublate & ferociter clamare nobis signat. An denique ab ursis formatum? qui *Beeren* item nobis Germanis: & haud absurde ab iis petitum, quod quasi vocem illam imitantur. Vox quidem nostras, Tacito teste. Ita legitur in eadem re λυκηθμὸς, quasi dicas *Lupinum sonum*, & qui lupos ululantes imitabatur. Etiam Galli ululatu usi. Germanorum Barritum & Romani inferiores assumpsere. Hic Barritus etiam

Barba-

Barbaricum dictus Festo, quod eo genere Barbari utantur: clamor est, qui ipso fervore certaminum a tenui susurro exoriens, paulatimque adolescens, ritu extollitur fluctuum cautibus illisorum. Gentis etiam aut patriæ nomen acclamatum reperitur, ut nunc à quibusdam solet. Nam Hispani Hispaniam ingeminant in concertatione aut rixa, & cum auxilium cient. In Plutarcho lego, Romanos etiam usurpasse crebro illud *Feri*, in acie, & cum sese mutuo adhortarentur. Nec solum clamore usi Romani, sed strepitu etiam & concussione armorum. Quod ipsum usurpabant etiam nondum vicino hoste, & dum duci in eum vellent.

Hic clamor tanti apud illos æstimatus, ut ex eo dijudicarent de eventu pugnæ; nam momentum habet ea res etiam a naturalibus causis. Quippe duo sensus in nobis, per quos timor maxime in animum penetrat, Oculi & Aures: alterutrum igitur illorum qui turbat, næ ille victoriæ suæ multum confert. Itaque non injuria Cato dixit: *Verba plus quàm gladium, & voces quàm manum, hostes territare, & in fugam vertere.*

Clamore jam olim & aliæ usæ gentes, idque Pane inventore: unde *Terrores Panici*, proverbium fecerunt. Macedones, & Persæ usi, etiam Græci, quibus aut τὸ ἀλαλάζειν passim tribuitur, aut τὸ παιανίζειν. Duos enim Pœanas norunt Græci: Unum ante prælium, Marti; Alterum post prælium, Apollini. Illum ἐμβατήριον παιᾶνα, *Congressivum Pæana*; hunc ἐπινίκιον παιᾶνα, *victorialem Pæana*, dixerunt. Videntur cum cantu aut rhythmo quodam fuisse, atque ideo Pœanes dicti. Mansit apud imos etiam Græcos, qui tamen, ut Christiani, *Vicit Crux*, pro Pœane habebant.

4. *De Signo pugnæ.*

Signum pugnæ diversum à Classico, quia istud mutum: illud auribus, hoc oculis serviit, & tempore Classicum præivit. Nam Romani, cum decretum jam pugnare, tunicam russam in Prætorii fastigio extendebant in hasta, ut eo signo miles moneretur parare se, & arma; tum etiam, ut, si qui dispersi, convenirent, Utile fuit in re subita, & ut momento omnes monerentur. Hanc tunicam alii *Vexillum russum* vocant. In navali etiam pugna usurpabant. Tale signum etiam erat ad iter. Apud Curtium, cum tubæ sonus haud pariter ab omnibus exaudiretur, dum castra movenda essent, Alexander perticam, quæ undique conspici posset, supra Prætorium statuit, ex qua signum eminebat pariter omnibus conspicuum.

Signum denique superest, quod item *Signum pugnæ*, aut simpliciter *Signum* dicunt. Illud idem *Tessera*, & Græcis σύνθημα, quod datur uno alteroque verbo sub ipsam pugnam ab Imperatore, ut eo commilitones inter se norint, & item hostem; cujus usus perit, cum iste quoque tenet. Remedium huic rei non absurdum in Polyæno, qui inter strategemata recenset, quod Acues quidam Dux Arcadum suis militibus signum dedit, interficere eos, qui signum inter-

interrogassent. Cæsari bello Africo signum fuit *Felicitas*, ut Bruto *Libertas*: & plerumque tale aliquid, breve, & ominis boni: ut puta, *Victoria*, *Palma*, *Virtus*, *Deus nobiscum*, *Triumphus Imperatoris*, & alio pro libito Ducum supremorum. Veteres nomina fere Deorum dabant, quos aut patria aut ipsi Duces colebant. Ita Cyro signum erat, Ζεὺς σύμμαχος, ἡγεμὼν, σωτήρ. *Jupiter socius*, *Dux*, *Servator*. Cæsari, *Venus genitrix*: Augusto, *Apollo*. Etsi alia quoque; imo & dicta, & versus.

LIBER V.

DE DISCIPLINA.

Disciplina militaris nihil est aliud, quàm *Præscriptum & lex quædam militandi, & in militia se gerendi*. Itaque ea continet modum, munia, opera, tempus militiæ. Sed quia CASTRA, Gymnasium, palæstra, & sedes, imo domicilium disciplinæ; ab iis exordiendum. In Castris enim Munia, Opera, Exercitia, Præmia, Pœnæ: & uno verbo, hic regitur miles & formatur. Ipsa Castra non sine disciplina fiunt aut constant, quæ sane accuratissima apud Romanos. Hic reperies specimen eximium Romanæ prudentiæ, imo sapientiæ, in toga & sago.

DE CASTRIS.

Nullam noctem Romani sine castris agebant, & semper ligneis terreisque istis mœnibus, ut in urbe, cincti. Institutum hoc sub ipsis Regibus, & statim post eos. Castrorum metatio apud Romanos aliter, quàm apud Græcos aliosque, qui pro locis & temporibus mutabant: non sic Romani, simplex semper & eadem, nisi quod minor vel auctior spatio, pro numero legionum. Sed quadrangula semper, sed portæ & sectiones eædem, sed tabernacula Ducum & militum eodem situ. Hinc utilissima illa notitia castrorum, ad prævisa, & invenienda militibus omnia, sicut civibus in aliqua urbe. Uniusmodi igitur semper castra, si formam considere; paulo alia, si apparatum totum & instructum.

Duplicia Romanis castra; *Æstiva* & *Hiberna*. Illa, quæ mobilia, & æstatis sive expeditionis tempore in unam sæpe noctem structa. Quæ iterum duplicia, à moræ mansionisque differentia. Si enim una alteraque, aut omnino paucæ noctes in iis agendæ, sine alia additione. *Castra* dicebant, aut *Mansiones* etiam, posteriori ævo. Si diutius subsistendum, ab ipsa re *Stativa*, aut *Stativas*, scilicet *sedes*; etsi ipsa vox *Sedes*, pro castris; *Æstiva* Suetonio. *Hiberna* sunt, quæ per hyemem, & in diuturna mansione militibus receptaculum; ab ipso item sic tempore dicta. *Hiemalia*

Vopisco,

Vopisco, *Hibernacula* Livio. Horum origo apud Livium bello Veienti, sub A. V. 358. Stativa illa sub pellibus, Hiberna in oppidis aut castris, quæ tabernaculis, aut alio opere accuratius instructa: & merito, tum contra cœli injurias, tum quia usui plura necessaria in diuturna mora. Itaque hæc talia partes sive membra habebant magis distincta, ut Armamentarium, Fabricam, Valetudinarium, & talia. Imo, revera instar oppidorum sæpe struebantur, præsertim in finibus Imperii, & ubi perpetuæ stationes & prætenturæ contra hostem. Tale in Euphratis, Danubii, Rheni ripa: & hæc ea origo & genitura nobilium aliquot hodie oppidorum. Habebant & *Procestria*, id est, ædificia ante castra, adnexa Hibernis aut Stativis, ut eo reciperentur lixæ, advenæ, mercatores, &, qui alii paganorum, castra sequerentur: miscere enim eos militibus, non Romanus usus: habuerunt tamen receptum in castra, hoste instante.

Castrorum Partes *duæ*: SUPERA, & INFERA.

DE PARTE SUPERA CASTRORUM.

Pars Supera Castrorum nihil habet præter Duces, & eorum comites & administros; atque omne corpus legionum & Sociorum infra metationem habuit. Eaque causa ibi denique *Principiorum* nomen, quasi hæc Supera esset extra castra: In supera enim parte erat *Prætorium*, *Quæstorium*, *Pedatura Legatorum*, *Tribunorum*, *Præfectorum*, *Evocatorum*, *Extraordinariorum*. De quibus nunc dicendum.

Prætorium.

In supera Castrorum parte *Prætorium*, primum locum habuit; honoris & decentiæ causa, quia primo Duci primus locus debitus, nempe ea pars, quæ editior, aut cui aliunde nihil obstaret, quæ aspici undique & aspicere posset, è qua dari mandata & audiri. Nam allocutio, signi ad pugnam propositio, circa Prætorium, aut super ipsum facta, quæ locum volebat liberum & conspectum. Ea ipsa res ad majestatem aliquam & vim imperii faciebat, eminere loco, qui dignitate eminebat. Ipsum etiam tabernaculum non solum latius cæteris, sed altius, & quasi in urbe aliqua templum.

Prætorium Polybius vocat τῆ ϛρατηγῆ σκηνὴν, *Tabernaculum prætoris*. Etsi Græci quoque simpliciter ϛρατήγιον, quasi *Imperatorium*, aut *Prætorium* dicunt. Augustæa ætas videtur hoc, *Augustale* dixisse; potest ab Augustis ita dictum esse, qui in eo tendebant. Latinis ideo *Prætorium* dictum, quod initio Prætores erant, qui deinde Consules: & ii bella administrabant; quorum tabernaculum quoque dicebatur *Prætorium*. Aliter quoque vox *Prætorii* apud Latinos usurpata, pro conventu, & hominibus, qui in eo loco. Hoc sensu dicunt, *Prætorium dimittere*, quod perinde est, quasi *Curiam mittere*, aut *Senatum*. Quæ missio semper ad horam & statutum tempus facta, scilicet vespere & luce abeunte,

cum vigiliæ mox constituendæ essent, & quisque ad corpora, aut munia sua curanda abiret. Ideo mandata, si qua in noctem aut primam lucem Imperator vellet, tunc dabat, ne quies turbaretur castrorum. Simile est alterum illud è militia, *Mittere principia*, apud Frontinum. Dicuntur enim mitti, aut dimitti principia, cum Tribuni non ultra ibi præsident, jus aut mandata dispertiunt, sed sub noctem ad Prætorium eunt, mox ad se ituri; sicque conventum militum solvunt; qui ibi frequentes.

Area Prætorii ampla erat, justum quadratum, cujus latera singula 200 pedum. Latere in latus ducto efficitur area pedum 40000, passuum 1600. Grandis igitur & capax hæc metatio, ac par illi quatuor manipulorum, sive hominum 480. Et opus erat tanta: nam Prætor ipse per se laxius paulo agere & tendere debuit, quam caput aliquod e vulgo. Deinde, quia ministris aut comites illi plures, quos juxta se habebat. Inter ministros erant primo Lictores, & peculiares, deinde servi ad varios usus. Inter comites honestiores multi, qui amicitiæ causa aut militiæ sponte eum secuti. Hi *è contubernio Prætoris*, aut *Contubernales* ejus dicebantur, quoniam eadem ista pedatura tendebant. Imo Senatorum filii, & tale nobiliorum genus, comitari ita magistratus solebant. Atque ipse Julius Cæsar, cum sua causa quadam peregrinari nobiles nollet, tamen hoc utiliter à majoribus institutum non abrogavit, & cum exceptione edixit: *Nequis Senatoris filius, nisi contubernalis aut comes magistratus, peregre proficisceretur.* Et sane utilitas hic clara, quod juventus caste modesteque agebat, sub oculis & in latere Ducis: quod sermonibus sæpe militaribus, & interdum consiliis intererat: denique Duces agere parendo discebat. Sed & laxitate Prætori opus ad mulos & jumenta, quæ plura habebat; itemque ad supellectilem & vasa. Pecunia e publico ad mulos & tabernacula dabatur, & altera ad vasa, *Vasarium* appellata. In his quidem adeo non usum, sed delicias & luxum quidam spectabant.

Forma Prætorii superior fuisse videtur rotunda, testudinea, id est, curvata in cameram rotundiorem. Hac causa fortasse Josephus cum templo componit, quod templa pleraque talia: aut etiam, quod eminebat in mediis castris, ut in urbe aliqua templum. An & quia religio ibi, & pars sacrorum? Certe in eo *Augurale* fuit, ubi sacrificare & auspicari Imperator solet: nam ante illud ara fuit, in qua solenniter libamenta aliqua illata & cremata, quotidianæ religionis ergo. *Auguratorium* vocat Hyginus, qui & situm ejus parte dextra Prætorii docet, ut tribunal læva.

Tota igitur area sive pedatura Prætorii erat quaternûm jugerum, seu potius versuum. *Versum* autem dicunt 100 pedes quoquo versus quadratum. *Pedatura* vero Latinis est, quod Græcis ποδισμὸς, etsi *Podismi* ipsa Græcanica voce crebro in hac tali re Vegetius est usus, ποδισμὸς autem dimensio, aut & dimensum ipsum per pedes; sicut

ſicut ϛαδιασμὸς, per ſtadia, ad verbum eſt *Pedatura.* Et accipiunt non pro ipſa menſura tantum, ſed pro ſpatio areaque, quam ſic dimenſi.

Situs Prætorii in medio, non quidem caſtrorum, ſed aliorum Ducum. Nam ſemper, veteri & novo more, in medio Tribunorum, aliorumque Ducum, Prætoris locus. Profecto ut in acie Prætor ſeu conſul (confundimus hic iſta) poſt Haſtatos & Principes ante Triarios ſtabat, media fere acie, & ad latera Tribuni: ita hic, niſi quod pro Triariis Ablecti, & Extraordinarii, & Evocati ſubſtituti. Et hic ſitus magnæ rationis. Primum, non longe ad Prætoriam portam, quæ illum fere ſemper ſpectabat, nimirum ut obſervet, ſi quid ille moliatur aut moveat, & nuncios quoque & exploratores ſtatim admittat. Cauſa altera, ut Duces omnes circum ſe habeat, quorum conſilio, cum opus, ſtatim utatur; item jubeat aliquid aut mandet. Tertia, ut in conſpectu habeat ſubjecta caſtra, & militem totum, videatque ſi quid peccent aut turbent. Ipſe ille aſpectus coërcebat milites, qui ſciebant, ſemper ſub oculis ſui Ducis ſe verſari, eoque in omnibus magis compoſite ſe gerebant: nec Ducis tantum, ſed Ducum: quoniam Quæſtor, Legati Tribuni omnes fere huc ſpectabant. Denique cauſa etiam hic, honor & dignitas, quod media omnia honeſtiora, imo & tutiora.

Quæſtorium.

Ad Prætorium ſitum eſt *Quæſtorium*, ad latus dextrum, & ſupra Legatos; quia Quæſtor magiſtratus erat Populi Romani; alii non niſi in dignitate. Dimidiatum eſt ad Prætorium in pedatura, quia Quæſtor proximus eſt dignitate Prætori: & magis ideo, quia ampla ei vaſa & inſtrumenta. Habet pedes 200 in latum, 100 in longum. Planities pedum 20000.

Quæſtorio *Forum* adſitum, quod rebus venalibus ſerviit, & conventibus, & legationibus etiam audiendis: ad eum enim locum veniebant & deducebantur primo Legati. Suidas *Gnomam* appellat. Utrumque hoc ſpatium, tam Fori, quàm Quæſtorii, grande fuit, & in omni latere circiter pedum 300. Forum illud Quæſtoris *Quintana* appellabatur, in caſtris ſcilicet poſt Prætorium, ubi rerum utenſilium forum fuit, ut ait Feſtus: dicta *Quintana*, à quintis cohortibus ibi tendentibus.

Pedatura Legatorum.

Legatorum pedatura ad alterum latus Prætorii, & ubi Forum: ita ut parte una Quæſtor ſit, parte altera ipſi. Omnino ratio vult, haud longe Prætorem eos tetendiſſe, quia & dignitate proximi, & ad eum ſermonis conſiliique cauſa ſæpe advocati. Hi ergo iterum dimidiati ad Quæſtorem. Ergo habent in longum ſinguli pedes 50. in latum 100. Eſt area 5000. Appello autem longum hoc loco (ne aberres) ſpatium à Prætorio ad Decumanam, latum à principali ad principalem. Quid, ſi plures jam Legati, & tot quot legiones,

legiones, ut inferiore ævo factum? Credo, cum tunc Quæstor non ita vulgo comitaretur, eos utrimque ad latus Prætorii fuisse, & sic medium habuisse suum Ducem.

Metatura Tribunorum.

Tribuni sub ipsum Prætorium ordine siti: divisi in duas partes via media, quæ à legionibus ad Prætorium ducit: & ita collocati seni & seni, ut quisque ordo suam legionem habeat in conspectu. Exempli causa, sex Tribuni primæ legionis, huic sunt oppositi: sex secundæ, illi. Ordo etiam inter ipsos, ut primus ad Prætorium primus esset, oppositus equitibus: secundus deinceps,& sic ad sextum. Tabernacula illorum secreta & disparata: sive quia dignitas in eo aliqua est, seorsim tendere: sive quia ratio voluit, vias quasdam medias esse, per quas ad forum utrumque sine ambitu iretur. Eæ viæ utiles quatuor sunt in utraque parte, quinta enim perit Prætorii objectu. Semper hi ad unum latus, idemque hujus quadrati, collocati: & infra eos legiones: ad id nempe latus, quod aquando aptissimum sit & pabulando. Igitur ita aptabant castra, ut Prætoria porta fere hostem spectaret. Decumana aversissima ab illo. Et per hanc plurimum aquabantur: ergo & facies castrorum tota versa in illam.

Quoad pedaturam, Tribuni dimidiati ad Legatum: & habent æqualiter in quadro 50 pedes: sunt in area pedes 2500. Et eo fine hoc spatium, ut tabernacula illic Tribunorum, quæ æqualiter inter se distabant, possent statui: atque ea ipsa laxiora, calonibus, equis, mulis. Quis enim nescit, honestius paulo comitatos instructosque fuisse hos militum Duces, & sæpe Senatores?

Pedatura Præfectorum Sociorum, Evocatorum, &c.

Sociorum Præfectos ad latera Tribunorum ponimus, situ & modulo paribus, quia pari munere & dignitate, nisi quod illi tamen honestiores, quatenus cives. Ratio autem vult, eos opponi suis Alis sive Cornibus, sicuti legionibus Tribuni. Dividantur ergo, & sint in quaque parte seni, eadem metatura, qua Tribuni, nisi quod viæ aut intervalla hic magis exigua, an potius nulla? nec enim hic transitus aut commeatus ulli, cum à tergo excipiant Evocati & Abjecti.

Evocati equites proximi à Præfectis, quia dignitate supra Ablectos sunt. Sequuntur *Evocati pedites.* Horum omnium numerus incertus, & ideo pedatura. Sunto tamen 30, id est, Turma una Romana; habebunt 80 pedes in longum, 125 in latum: area 10000. Supersunt inibi 238 semis. Ea area esset pedum circiter 20000. Caperet igitur manipulos duos civiles peditum, id est, homines 240.

Ablecti equites turma una socialis; ergo 40 equites: ergo area 1333 semis. Efficiunt eam numeri, in longum 120. in latum 111. & quarta pars. A tergo cohors una *Ablectorum peditum*, 336 hominum.

minimum. Area illi esse debet 28000. ergo essent in latum 233. & dimidius circiter; in longum 120. Supersunt pedes 19.

Extraordinarii equites, sunt in universum turmæ 8. utrimque locantur 4. Prætorium & Fora spectant Polybio, etsi quidam aliter. *Pedites Extraordinarii* à tergo equitum sunt: eorum 3 ponamus cohortes, utrimlibet unam cum dimidia; sed dimidiæ duæ viam aspiciant, atque ita junctæ quodammodo sint, nisi pedum aliquot intervallo.

Pars itaque hæc est castrorum Superior, in qua vix ulli cives. En prudentiam Romanam! custodiam primarii Ducis & Ducum committere Sociis voluerunt; quid, nisi ut fide sic habita, magis astringerent eorum fidem? Sed & causa occultior altera, quod præcipuos sociorum circa se, & in ore atque oculis habebant, ne quid clam consulerent aut innovarent. Etsi autem isti undique cingunt Imperatorem, & in custodia habent; non tamen ita, ut non sit aliquod præsidium civile, si opus. Nam & Evocati utrimque sunt, veterani milites: sunt in contubernio ejus centeni aliquot homines, quorum munia, à custodia, & velut satellitio Consulis esse; unde ii ut plurimum juxta eum, in castris, in agmine, puto, & in acie ipsa: adsident cum suis Quæstor & Legati: præsident Tribuni, ad quos ei semper receptus, & per eos in medias legiones.

Consideratio altera, quod loca hic magna & vacua: vel quia decore ibi, vel quia utiliter. *Decore*, ut Forum utrumque, ubi si quid litis aut injuriæ, in propinquo qui solvant aut ulciscantur: item ad res venales, ad prædam, ad circulos, & sermones. *Utiliter*, ut Quintana illa magna; quia si opus instruere exercitum in castris, puta, cum eruptione pugnandum, aut tempore tali, ibi & in foro utroque facillime fiat. Item si educendus, sublatis Extraordinariis, & in latus sepositis, grande spatium ad ordinandum. Nunc ad inferam partem descendamus.

DE PARTE INFERA CASTRORUM.

Pars Castrorum inferior, divisa & ipsa in duas partes, sed conformes: Via enim media transversa secat disparatque quinos manipulos à quinis: sed in locatione alia nullum inter eos discrimen.

Spatium medium inter superam & inferam Castrorum partem, pedum 100, Romanis *Principia* dictum, Græcis ἀρχεῖα. Etsi enim proprie sic appelles initium ipsum castrorum, ubi legiones (inde enim vox) tamen totum hoc spatium medium inter legiones & Tribunos, sic esse dictum constat. Hæc Principia sacra & casta habita, & fuerunt in religione, ob præcipua signa, quæ ordine illic antefixa; omnes enim primæ decuriæ & manipuli metabantur illic, ergo & signa quæque prima, id est, primi Hastati, primi Principes, & Primipili etiam, id est, Aquilæ ipsæ. An & hoc verum; omnium cohortium signa ibi defixa, ante Prætorem scilicet,

& non movenda, nisi eo sciente, jubente? Sanctior item hic locus habitus, quia ibi legionum Numina, ibique aræ atque altaria exstructa. Equidem in Græcorum etiam rebus hunc morem & religionem recognosco.

De Metatura Militum.

Primo *Romani equites*, ut dignissimi, in medio locati, & liberrimos habent egressus. Tuti hic: & quamquam in acie alia dispositio, tamen recepti tunc inter pedites, quia in castris nullus eorum usus. Horum podismus est area 100000 pedum: ad passus si redigas, sunt 400. Spatium satis grande 30 equitibus, 30 equis; nec enim unus plus uno militari equo habuit: non tamen prægrande, cogitanti calones totidem: fortasse & Decurionibus ipsis aliqui honestiores comites aut ministri: item jumenta aut muli ad sarcinas, hordeum, frumentum: nec enim ipsi equites onusti, aut eorum insessorii equi.

Triarii honore & loco ab istis proximi, & conveniunt in unam aream: tum ut via compendifiat, tum ut equos observent, ne in castris soluti aut vagi dent turbas. Dimidiati erant ad equites quo ad metaturam.

Principes & Hastati in una item area, non manipulatim solum, sed & cohortatim locati. Triarii enim, Principes, Hastati, sic in una linea faciunt quique suam cohortem.

Velites, ut militum infimi, ita extimo ordine locati, ad vallum scilicet, & spatium illud, quod castra interiora ambit, ut illud observent, &, ut in acie quoque, proximi sint hosti, sane incustoditum hoc vallare spatium esse non conveniebat, aut leviter custoditum. Et quia Velites sint duplices, *Legionum*, & *Sociorum*: illi ad supernam inferamque castrorum partem locantur: isti ad latus utrumque. Itaque 1200 Velites supra Prætorium tendunt, totidem ad Decumanam, 1000 ad quamque principalem. Tendent autem simplici ordine, nec multum spatii sument introrsum, quia grande unumquodque latus est, & pedum 2000, ac supra. Sed nec impedimenta multa Velites habent, aut arma: & minore podismo iis opus.

Universum autem *corpus Sociale*, Equitum & Peditum, extrorsum situm, ut fere in acie ipsa. Nec imprudentiæ fuit eos dividere, & vires sejungere, ut contra Romani medii juncti, & numero firmi. *Socii* igitur per cohortes locati, quæ detractis Velitibus, modicæ, nec nisi hominum 236. Erant seorsim positi, ut juncti tamen lateribus essent, sicut Hastati & Principes tergis. Omnes autem Centuriones vallum spectabant, aut Principia & Quintanam: quod ex dignitate eorum, & commodo.

Hoc quoque notandum in tota metatione, Decuriones & Centuriones esse in capitibus ad vias, & juxta eos Signiferos. *Prætoriæ cohortes* videntur juxta Prætorium tetendisse.

De

De Tentoriis.

Tentoria militum in castris vulgo è corio & pelle constat fuisse: inde & nomen, quia funibus tendebant & detendebant. Unde *Sub pellibus esse*, id est, sub tentoriis. Hæ pelles è publico datæ, sed Ducibus tantum. Fecerunt ita & Græci, quibus Xenophon σκηνώματα διφθέραι attribuit, tentoria & tegmina, pelles. Habebant hæc tentoria fulcra & tigilla dumtaxat lignea, quibus erigebantur & sustinebantur. Etsi tamen e ligno etiam reperio, & *Papiliones* vocabant, à similitudine parvi animalis volantis. In hibernis & perpetuis illis castris ex asseribus & tabulis fuisse, nihil absonum, unde & *Tabernacula* dicta videntur: quamvis revera non à materia, sed à forma & usu simili potius, nempe quod sint quasi Tabernæ castrorum. Interdum ubi inopia, etiam stramentis, centunculis, aut vestibus usi. Fiebant etiam ex lino, nostrate ritu, & *Tenta* dicta domus ex lino: res & vox hodierna.

Tentoria 12, in manipulum videntur fuisse. Vegetius quidem auctor, homines 11 una tetendisse, & id *Contubernium* appellabant. Idem præsidem iis dat *Decanum*, qui ipse scilicet undecimus. An ab isto capite Italis hodie *Caporales*? etsi *Corporales* alii efferunt, & ad Ammiani *Concorporales* nos remittunt. Et iste Vegetii numerus pro ipsa alea non ineptus, ut terna & terna steterint tabernacula ordine quaterno. Atque istæ sunt velut domus militares, cuique notæ, & sciebant, quoto, & apud quem manerent. Itaque familiaritas quædam erat & nexus, *Contubernalem* esse: sicut *Adtubernales* Festo dicti, quorum tabernacula juncta.

Culina non opus militibus, cum in stricta & dura militia Romana panis cibus esset, & obsonia nulla aut rara, de quibus postea. Nec cubicula habebant aut lectos: nam aut humi jacebant, aut super gramen aliquod aut stramen.

Viæ Castrenses.

Viæ Castrenses sunt *octo*; quinque directæ & in longum: tres transversæ. Omnes aut 50, aut 100 pedum. Excipio minusculas inter Tribunos aut Præfectos: item semitas inter tabernacula, si quæ fuerint. Sic enim grandes viæ non solum decoræ, sed & utiles, ad equos & jumenta educenda. Interdum tamen contractæ ob aliquam causam.

DE EXTERNA FACIE CASTRORUM.

Partes castrorum Externæ *tres*: *Fossa*, *Vallum*, *Portæ*.

A tentoriis vallum adjunctum erat quaqua versus pedes 200, cujus spatii vacui (*Pomærium* nominare liceat) usus triplex. Primo, ad egressus ingressusque copiarum, nempe ut compositi incant, atque in vacuo eo per genera & manipulos se disjungant, iterumque in egressu sic jungant; quod utibile maxime, si eruptione pugnandum, & instat hostis. Deinde ad pecudes adductas, vel ex hoste captas, vel ad militarem cibum sequentes, & ad prædas servandas:

sed

ſed ab ipſis, aut Quæſtore, mox vendendas. Denique ſi hoſtis noctu affiliat, aut per inſidias & clam tela aut faces immittat; innoxia ſunt ob illud ſpatium interjectum, & cum perveniunt, viribus defecta.

De Foſſa.

Foſſa erat exterius vallo præducta. (Sic enim ab ipſa re dicebant, *Præducere foſſam*; dicebant & *Deprimere foſſam*, itemque *Percutere*.) Ea foſſa lata plurimum 8 pedes, & totidem alta: alii tamen adaugent. Non raro duplex foſſa, ut & duplex vallum, legitur, majoris firmitatis aut tutelæ cauſa. Hanc accincti fodiebant.

De Vallo.

Vallum eſt aggeſtus è terra & ſudibus, ad labrum interius foſſæ velut murus. Duæ igitur ejus partes, *Agger* & *Sudes*.

Agger eſt ipſa terra, cum ceſpites circumciduntur e terra, & ex illis velut murus inſtruitur, altus 3 pedibus ſupra terram. Ceſpes fiebat altus ſemiſſem, latus pedem, longus pedem ſemis: nam nec temere aut pro arbitrio hunc exſcindere licuit, ſed omnia ad normam. Si terra ſolutior, ut ad ſimilitudinem lateris ceſpes non poſſet abſcindi, tum ſane aut foſſa præducebatur, cujus intrinſecus agger excreſcebat; aut ſepibus ductis, vel interpoſitis ſtipitibus, ramiſque arborum, ne terra facile dilabatur, Agger erigebatur. Altus ille ſæpe 10 pedes, totidemque latus.

Sudes, qui proprie valli, & inde compoſitum ex utroque dixere *Vallum*: nam Vallum & Sudes idem ſunt Servio. Magis priſci dixere & *Suros*: inde *Surculi* & *Crebriſurum* Ennio, vallum crebris ſuris, id eſt, palis munitum. *Sudium* tamen vox creberrima. Sudes erant & quocumque & obvio ligno, robuſto tamen, cum daretur: ex robore eas facit Valerius, ex acere Propertius. In oppidis etiam iſtæ Sudes. Sudium forma: Non fuerunt ex æquabili & ſimplici ligno, ſed habuerunt duas eminentias, & velut cornua, aut tres, aut quatuor, id eſt, ramos in majori ſtipite, qui reciſi, ut cornua eminebant; tales præſertim in ſummo erant. Studioſe acutæ fuerunt illæ eminentiæ vallorum, ne quis facile poſſit apprehendendo evellere, lubrico ſcilicet ligno: Et contra tranſgreſſum & tranſcenſum. Itaque longiuſculos fuiſſe oportuit hos vallos, cum pars in terram defigeretur, firmamenti cauſa; & pars emineret: etſi implexos & devinctos inter ſe etiam fuiſſe ſciam.

Valli modus parte una 2017 pedum, altera pluſculo major 2050.

De Portis.

Portæ in caſtris *quatuor*; ad unumquodque latus una. Atque inter eas prima *Prætoria*, quæ ſcilicet vicina & a tergo Prætoris. Solet ea plerumque obverti hoſti, ut Decumana averti: & per hanc plerumque exercitus in prælium eductus. Livius vocat

Extraor-

Extraordinariam, ab iis ipsis turmis & cohortibus, quæ illic tendunt. Duæ laterales & proximæ portæ *Principales*, è quibus læva altera ad discrimen, altera dextra: ita dictæ, quod ibi tendant principes ordines, capita & apices castrorum, ut Tribuni, Præfecti, primique Centurionum: vel etiam à Principiis ipsis, sed tum magis essent *Principales*. Quarta *Decumana*, à cohortibus Decimis ibi tendentibus dicta. Ea est opposita Prætoriæ, & remota ab hoste. Hæc eadem *Quæstoria* olim dicta. Extra hanc supplicia à militibus delinquentibus sumpta. Inferior ætas minores quasdam portulas interstruxit. Fores & januæ etiam iis impositæ ad serandum ac reserandum. Turres etiam in portis ad defensionem lego. Quæ talia tamen, non nisi in Stativis & diuturnioribus sedibus, habuisse credendum est: in unam noctem ne foribus quidem valde opus.

Portæ singulæ, 50 pedum: latiore enim ingressu opus vehiculis & jumentis.

Ambitus Castrorum.

Castra in toto ambitu erant milliare unum & semis, & aliquot passus. In eo spatio peditum 16800 locarunt belle & commode, equitum 1800, præter comites Prætoris, Legatorum, Tribunorum, præter omne genus calonum, jumentorum, & impedimentorum.

De munitione Castrorum.

Ad castra munienda Romani & Socii communiter & solenniter adhibiti: imo ipsi Imperatores manum interdum admoverunt, in calcar & exemplum. Quotidiana erat, &, si qua alia res, hæc militem firmabat & indurabat. In muniendis vero castris perpetuus & certus ordo, & ut quisque in iis locum & tentorium suum noverat, sic partem quoque operis, quæ obveniret. Nam Socii semper duo latera habebant, ubi tendebant; & eo ordine etiam, quo tendebant: Romani duo reliqua, per manipulos sic divisi. Cum socii jam esse desierunt, per legiones divisio facta, &, si plures, singulis suum latus. Operi intendunt per partes Centuriones, sed toti operi præsunt & curant duo Tribuni, ut scilicet universe omnia apte & cohærenter, & nequid Centuriones remittant. Hi duo Tribuni, ex quaque legione unus, qui per menses suos imperium habebat, ut infra dicemus.

Duo autem fuerunt militum genera; *Munifices*, & *Immunes*. Illi, qui munus facerent, id est, fossas, vallum struerent, excubias stationesque obirent: in quo genere omnes gregarii, & quibus honos aut gradus vacationem non dabat. Isti, qui his omnibus vacarent; qui & *Beneficiarii* dicti, quod beneficio Imperatorum muneribus vacarent. Ejusmodi Immunium duo genera: alii, qui *ex lege* & more; alii, qui *ex beneficio* vacabant. *Ex lege*, omnes Tribuni, Centurionesque, qui arbitri & exactores munerum erant, non actores. Item equites, ob dignitatem. In eodem numero

Veterani

Veterani & Evocati, quos omnino probabile eſt, cum ſponte militiam ſumerent, munerum hac neceſſitate non adſtrictos, niſi item in neceſſitate. A quo exemplo exauctorati, & qui ſub vexillo habebantur temporibus Principum. *Beneficio* autem, quibus id indultum per gratiam, ſive quia virtute meruiſſent. Nec Imperatores ſolum ipſi dabant, ſed indulgebant aut connivebant etiam pro tempore Tribuni. Remiſſiore jam & minus intenta militia invaluit, vacationes pretio etiam, idque à Centurionibus, emi. Inter alia, quæ militiam & rem Romanam everterunt, hanc ſcito eſſe inter occultas cauſas.

Poſteriore ævo quin munierint, opuſque fecerint, dubitari non poteſt vel ex Vegetio, qui diſtinguit duo genera militum: *Principales, qui privilegiis muniuntur: Munifices, qui munus facere coguntur.* Ipſe *Principales* appellat, illos eximios & in gradu: *Munifices*, viliores & gregales. Calones aut ſervi raro his operibus manum admoverunt, ipſi Romani munierunt: ſicut & Macedones. Non enim vilia aut ſervilia iſta habenda ſunt, quæ domini Orbis terræ uſurparunt. Sub Principibus tamen, molliore illo ævo, lixæ & ſervi fecerunt hæc munia, interdum & Provinciales.

Poſtea cum pulverulenta virtus ſorduit,& jam pene dedecus eſſet, vere virum eſſe, tota res abiit, & deſierunt etiam muniri caſtra, metationis ſcientia aut uſu prorſus intercidente.Etſi jam aliud muniendi genus & levius cœperat, ut non vallo,ſed ſcutis, idque multiplicata ſerie, cingerentur. Hæc ſcuta quidem recta & juncta ſtetiſſe videntur, ad pila aut haſtas acclinata, ſed milites item appoſiti ad tuendum. Græci poſterioris ævi, ſub quibus munitio iterum vixiſſe viſa eſt, ἄπληκτα, pro caſtris dixerunt. Suidas enim ἄπληκτον vocat locum, ubi à via quieſcunt legiones.

DISCIPLINA MILITARIS.

Sedem Diſciplinæ quia vidimus, Caſtra nimirum, nunc ipſam. Ad Diſciplinam *tria* ſpectant. 1. MUNIA. 2. EXERCITIA. 3. LEGES. Quæ deinceps inſpicienda.

I. MUNIA.

Tribunorum munera in caſtris erant, vigilias diſponere, circuire, teſſeras & ſignum dare, denique quidquid ad uſum, imperare. Sed imprimis etiam jus dicebant, & cauſas ſive lites militares cognoſcebant: imo puniebant etiam, & de capite cognoſcebant.

Unius legionis ſex Tribuni in tres ſe partes dividebant, & bini imperabant per binos menſes: ita, cum duæ legiones in caſtris, quatuor erant qui imperabant; nec ii continuo, ſed diebus alternis, Iſta diviſio commoda fuit, & prudens: commoda ad alternam requiem; prudens ad concordiam. Quiſque enim ſuis diebus & menſibus, in ſua legione, imperium inhibebat. Idem imperandi modus Præfectorum in Socios, qui Tribunis ubique adæquantur. Quæres, cur in ſemeſtria tantum? cur non diſcreti ſic in totum annum?

annum? Ratio, quod annus actionibus & negotiis inæqualis; æſtas tota in expeditione & opere, hyems pigra & otioſa. Ne quis ergo queri poſſet, aut honoratum ſe parum, aut nimis oneratum, omnes, ad res & otium admittebant, prout tempora erant.

Cum prima luce unius legionis omnes 60 Centuriones, & 30 Decuriones veniunt uno agmine, & compoſitè, ad Tribunos, quorum illis menſibus imperium, per ſpeciem officii, ut ſalutent, & ut deducant. Ipſi Tribuni cum hoc comitatu ad Imperatorem ſummum. Nonne decore omnia & utiliter ad dignitatem imperantium augendam? ad imprimendam ſubditis venerationem? Nec otioſa hæc aut honoraria tantum ſalutatio, ſed viſio. Numquid vellent? Itaque Imperator tunc iis ſignum dabat, atque alia pro tempore edicebat agenda. Vide pulcherrimum imperandi modum. Imperator Tribunis edicit, iſti Centurionibus, Centuriones ſuis.

Sunt autem Munia militaria, *Miniſteria*, *Excubiæ*, *Vigiliæ*, & hæc ſimilia.

De Miniſteriis.

Poſitis caſtris, poſt juramentum præſtitum (de quo infra) primum quod curant Tribuni, eſt partitio manipulorum ad miniſteria, & munia diurna. Ordinant itaque Tribuni ſorte ex utraque legione, ita ut ſex & ſex Tribuni, quiſque non niſi ex ſua legione manipulos capiat, ne miles extra ſuam legionem miniſterium Tribuno præſtet.

Prima ergo cura eſt loci, qui ante Tribunos. Ea ſunt Principia, celeberrimus & ſacerrimus locus, ad quem ordinant duos manipulos ex quaque legione, Principum & Haſtatorum. His curæ eſt, ut Principia verſa & terſa ſint. Nam quia frequenti itu & attritu neceſſum erat pulverem aut lutum fieri, (ibi enim ſermones & conventus in totum diem, atque etiam judicia, & ſi quid aliud publica agendum) juſſerunt indies viam hanc aſpergi & mundari: Illud, cum pulvis: hoc, cum lutum. Sordes humanas extra caſtra & vallum fecerunt, cum liceret, id eſt, de die: ſi nocte urgerentur, in tentoriis & vaſis, ac calones aut ipſi aſportarunt, nam diſcurriſſe in tenebris per caſtra & excubias, non opinor, & fraudi fuerit locus. Quid ſi etiam, ut Turcæ hodie, in foſſis quibuſdam hæc excreverint, iiſque terra repletis, alias, ſubinde novas foderint? Id potuit. Et Turcæ majoribus tabernaculis tentoriola quædam conjuncta habent cum his ſcrobibus. Quæ tentoriola ſcilicet crebro mutant. Faciunt ſimile in extis, aliiſque rejectamentis carnium, & ea defodiunt atque humo operiunt ſtudioſe contra fœtores. Salubria haud dubie caſtra, per minutas has obſervationes.

Reliqui 18 Manipuli ſenis Tribunis per vices miniſtrant, tres in ſingulos. Cum caſtra metantur, eorum tentoria ſtatuunt, & locum circa complanant, ceſpitem viridem comportantes, & teſſellatim diſponentes: nec abnuam etiam de glarea aut lapide, ſi locus

G vicinus

vicinus præberet, aut diuturna mora poſceret, ut in Stativis aut Hibernis. Et, ſi quid ſepiendum aut claudendum ſit ad vaſorum utenſiliumque cuſtodiam, id præſtant. Aquatum, lignatum, pabulatum quoque iſtos iſſe in uſum Tribunorum crediderim. Viſum enim, hæc omnia, quæ militiam tangunt, per milites fieri, tum contra ignaviam & otium, tum cauſa obſequii, & ut opportuni magis imperiis atque obnoxii eſſent. Hodie abnuunt, per malum faſtum; qui in milite bonus, ſed in hoſtem: apud duces obſequioſi & flexi animi conveniunt.

De Excubiis.

Præter jam dicta miniſteria, dant etiam excubias Tribunis. Excubia autem eſt e viris 4. quorum pars ante tentorium, pars poſt illud juxta equos agunt. Cum autem ſint cuique Tribuno tres manipuli, & in quoque iſtorum viri ſupra 100, (Triariis exceptis & Velitibus, nam hi non miniſtrant, illi ob dignitatem, hi ob vilitatem, & quia utrique alio vocantur) non niſi in quartum quemque diem ad manipulum redit & incumbit. Tribunis vero ſimul & commoditas ex hiſce miniſteriis; ſimul & dignitas atque honos imperio accedit. Sunt enim hi velut cuſtodes quidam Tribunorum aut apparitores. Imo fallor, aut cum ipſis Tribunis, ſi exibant, pars eorum exibat, ut honeſte ſcilicet per caſtra & alibi incederent, militibus ſic comitati.

Erat & equitibus excubia una Triariorum. Nam hi à miniſterio Tribunitio liberi, curabant cum alia, tum equos maxime, ne aut vinculis impediti illigatique lædantur, inutiles futuri ad militiam; aut ſoluti & ruentes, turbas ac conſternationem excitent in caſtris. Percommodum enim viſum, ut Triarii equitibus miniſtrarent, ſine moleſtia ulla ſua, in ſuis tabernaculis manentes.

Imperatori unus ex omnibus manipulis in diem excubabat; quæ res & tutum præſtabat ab inſidiis, & ornatum ſpeciemque magiſtratui addebat.

Sociorum manipuli etiam ad exemplum legionis diſtributi, ut quidam Principia munda habuerint in ſua parte; aliæ excubiæ fuerint Præfectis, exemplo Tribunitio: denique & Imperatori manipulus forſan unus.

Excubiæ etiam ad portas & vallum: atque adeo Romanus mos fuit, totas cohortes & turmas habere & ponere quietas ante ipſas portas, non unum aut alterum militem, ut hodie ſolet, quos à ſentiendo *Sentinellas* vocamus. Illi plures, atque etiam cum periculum eſſet, alios ſuper alios, & longius abjunctos. Id vocabant ab ipſa re, *Stationes*: ſtabant enim, tam equites, quàm pedites. Et diſtinguunt paſſim à vigiliis, quod hæ diurnæ eſſent. Græci προφυλακὰς, bene & apte vocant, quaſi dicas *Procuſtodias*. Ammianus *Stationes agrarias* aliquoties dixit: Vegetius compendio, *Agrarias*, quod in agris ſcilicet & ſub dio. Hæ Stationes olim quidem totum

totum diem habitæ, ſed mutavit Æmylius, ob cauſas, & binas in diem ſtatuit. Utiles valde, quod nunquam hoſtis imperatos aut paucos deprehendebat, imo qui eſſent reſiſtendo, donec ſuccurreretur. Anxie autem ſervatæ; & omnino capitale (niſi magna vi abriperentur potius, quam pellerentur) deſeruiſſe. Has Stationes puto ex omni genere militum, exceptis Velitibus, obiiſſe: ad ſingulas portas non minus cohorte & turma una; interdum ad plures, cum juxta hoſtis. Quatuor autem portæ, in univerſum 40 cohortes, & totidem turmæ. Exceptis iis, qui ad prætorium Extraordinarii, aut Selecti. Hi enim ab hac re immunes. Ergo munus rediit decimo quoque die. Imo quinto die, ſi illum medium dividis & ſecas cum Æmylio. Aliter paulo Spartani, qui aſſervabant fœderatos ſuos & armorum ſocios una illa cuſtodia, altera hoſtes. Cuſtodia in ſocios, peditum fuit: in hoſtes, equitum, atque ea in locis fere montanis aut excelſis.

De Vigiliis.

Sicut Excubiæ erant diurnæ, ita Vigiliæ nocturnæ: etſi illæ quoque pro iſtis uſurpatæ, & eſt generale nomen: at non è contra. In Vigiliis *tria* conſideranda. 1. TESSERA. 2. IPSÆ VIGILIÆ. 3. CIRCUITIO.

1. *Teſſera* hoc modo data & accepta. In quoque genere, equitum & peditum, ex decimo ſigno, quod ultimum eſt, & in ſtrigarum parte extrema, vir unus eligitur, qui à reliquo munere excubiarum immunis ſit, *Teſſerarius* dictus ab ipſa re. Is quotidie, Sole jam inclinante, ad Tribuni tentorium venit, & ſignum petit: illud Tribuni ab Imperatore accipiebant, in milites per Centuriones transfundendum: ibique quotidie referebatur numerus militum, utili more, & cauto Duci omnino imitando: ut, quoniam multi per comneatus, aut qua alia cauſa defluunt, multi caſu aut ferro pereunt, ſciat quotidie ſuas vires, & quid militum ad manum. Ruunt multi in pericula fiducia virium, quas habere putant, nec habent: & fraudes quæ hic hodie, non eſt ignotum, cum nomina magis Centuriarum, quàm numeri conſtant.

Signum aut Teſſera militaris erat tabella latiuſcula è ligno, inſcripta, nempe ipſo nocturno ſigno aut dicto, quod eſſe vellet Imperator. Sæpe unum, alterum verbum inſcriptum erat: interdum mandatum, aut ſententiam habebat, aut verſum, ut in pugna: de qua vide ſupra ſuo loco. Et Imperator quidem ipſe ore dabat & pronunciabat, ſed Tribuni tum inſcribebant, & dividebant. Hanc tabellam ſive σύνθημα non ad ipſas vigilias ſolum, ſed ad mandata etiam adhibuerunt, quæ teſſeris ſic inſcripta, ſecuritatis cauſa, ne quis quid excuſaret, atque ideo ſæpe grandiuſculæ fuerunt, & quibus inſcribi plura poſſent, Imo *Libellos* Suetonius appellat. Sic enim tuto data ſub noctem, & ſine periculo revelationis, vigiliis jam ponendis. Denique & celeriter ſic tranſmiſſa, ordine noto.

Per tesseras etiam iter edicebant sæpissime, & ad absentes quoque mittebant. Dabant & interdum signatas, nec nisi tempore & loco referendas.

Tesserarius, accepta Tessera à Tribuno, non loci aut dignitatis ordine dabat, incipiens à primis manipulis: sed contra, redibat ad suum & ultimum manipulum, & Centurioni dabat: ille acceptam proximi manipuli Centurioni, iste iterum proximi, donec ad primos manipulos perventum esset. Bonus hic ordo dupliciter: tum ut Vigiliæ in ultimis castris & hosti propinquis statim constituerentur: tum ut tessera sic via recta & sine flexu ad Tribunos rediret. Magna etiam ibi celeritas: nam luce ambigua, & Sole occiduo, tesseræ à Tribuno datæ, ante eundem occasum oportuit relatas. Si mora aut culpa, inquiritur, punitur. Cognoscitur culpa ex inscriptione: nam præter signum nocturnum, unum & idem omnibus in unam noctem. Alia etiam erat inscriptio, quæ notaret partem & genus. Exempli causa Tesserarius Hastatorum, Principum, Triariorum, Equitum, quisque suam tesseram accipiebat, cum notula H. P. T. T. aut tali, quæ initialibus aut pluribus literis notaret genus, ut inde statim constaret, in tali parte peccatum. Tessera dabatur adhibitis testibus; nam in tabernaculo data Centurioni, præsentibus militibus, ne quis negare posset ibi datam, aut Tusco (quod aiunt) jurgio alter alterum culparet. Hodie in aurem saltem insusurramus, quam facili lapsu aut venia, si neges intellectam! Discursu etiam datur. Nihil hic opus. Et distribuitur in summa quiete. Ipsi quidem Centuriones legunt, & porro tradunt; sed lectam iis enunciant, quorum sunt vigilandi vices. Ita omnia ordine; à summo Imperatore Tribunus, ab ipso Centurio, ab hoc miles in suo manipulo quisque accipit: denique ratio sic imperandi aliquid aliud, proba & quæ omnis it sine tumultu.

2. *Vigiliæ* per manipulos erant dispositæ. Imperatorem & Prætorium manipulus accubans custodit, Tribunos & Equitum turmas ii, qui è quoque manipulo constituti sunt, ut in diurnis excubiis, & in numero nihil, sed homines mutantur. Sunt autem in quaque legione manipuli 30. ergo excubabant homines 120. Per singulos manipulos omnes ex se ipsis vigiliam disponunt, reliquas ipse Imperator ordinat. Fiunt autem plerumque tres vigiliæ apud Quæstorem, id est, homines 12, & apud quemque Legatorum duæ. Exteriorem vero aspectum castrorum Velites complent, per totum vallum de die accubantes: & videntur illic sedes, & tentoriola sua habuisse. Vigilarunt autem sparsim & per excubias divisi: singulis centenis pedibus una erat excubia: nempe in latere uno 20 excubiæ, sive viri 80. Adde, quod etiam in portis excubiæ, sed & ibi Velites, junctis equitibus, imo manipulis & cohortibus.

Vigiles quaterni se diviserunt in 4 partes, ita ut singuli vigiliam unam noctis obirent, sorte dividente per ternas quique horas. Erant

ergo

ergo 4 vigiles; atque ii una: ſed unus ex iis ſua vigilia quiſque perſtabat intentus, & vere vigil, alii adjacebant aut accubabant. Itaque his quies aliqua, & ille ſtans, ſi auxilium poſceret, ad manum habebat. Multo melior hæc ratio, quam noſtrorum Sentinellarum, qui prorſus ſolitarii & certe à ſuis abjuncti. Itaque facile intercipiuntur, imo & occiduntur, ſine aliorum ſenſu. Qui vero ad vigilias deſtinati ſunt? Ex ſingulis eorum excubiis unus cujuſque manipuli Tergiductor ſeu Optio ducit veſpere ad Tribunum qui primas ſunt acturi. Quis ergo ſecundos, tertios, quartos? Nemo, nec ullus ultra diſcurſus in caſtris; ſed probabile eſt, ipſos iſtos primos teſſerulas quoque eorum vicem accepiſſe. Caſtra quidem noctu omnino quieta. Ideoque ſtatuendum, vigiles primos, etſi depenſo ſuo penſo, tamen non abiviſſe ad tentoria: ſed illic reliquum noctis manſiſſe: idem in ſecundis & tertiis, non poſt veniſſe ſub ſuam horam, ſed illic eam otio exſpectaſſe.

Optio omnibus vigiliam acturis dat teſſerulas plane exiguas pro quaque vigilia. Hæ teſſerulæ diverſæ fuerunt à priori: Illa uniuſmodi fuit, & ſignum aut dictum nocturnum, quo ſeſe ab hoſte internoſcerent: Iſtæ diverſiformes, & propriæ cuique vigiliæ: Etiam in modulo diſcrimen. Illa tabella latiuſcula, iſtæ plane exiguæ, aut velut taleolæ. Omnino non aliud fuiſſe videntur, quàm ligella, cum nota duplici impreſſa: altera manipuli, altera vigiliæ ipſius. Id hoc fine, ut Tribunus, ea reddita, ſtatim conſpiceret quis in quoque manipulo, & quota vigilia, munus feciſſet aut non feciſſet.

3. *Circuitio* poſitas vigilias firmabat, alioquin in noxam ruituras. Circuitio Græce ἐφοδεία, *obitus* aut *luſtratio*. Priſci, auctore Feſto, dixerunt *Fraxare*, vigiliam circuire. Hæc circuitio commiſſa equitibus de more: ipſi interim Tribuni etiam circumiverunt, ſi propius diſcrimen. Quin & ipſe Imperator interdum & cum eo Legati. At ſub Vegetii ævum *Circitores* proprium munus fuit, & militiæ gradus.

Oportet primum turmæ Præfectum aut Decurionem in quaque legione uni Tergiductorum ſuorum præcipere mane, ut 4 juvenibus turmæ ſuæ indicet atque edicat ante prandium, iis qui debebunt circuire. Deinde ſequentis turmæ Præfecto oportet eundem veſpere indicare, quod ad eum ſequentis diei circuitionis cura pertineat. Qui cum audierit, oportet ſimiliter jam dictis eum facere in ſequentem diem: pariter & eos qui ſequuntur. In quaque turma tres Præfecti ſeu Decuriones. Hæc cura fuit primi e tribus, idque per vices ivit in orbem: ergo undecimo die redibat ad turmam circumeundi munus, ſi tamen e quaque legione Circuitores capti. Ergo 8 fuerunt in unam noctem & partiti ſunt luſtrationem. Qui vero ordinati ab Tergiductoribus fuerint ex prima turma quatuor, poſtquam ſortiti fuerunt vigilias, eunt ad Tribunum, & ſcriptum accipiunt, quotam & quot debeant obire. Poſt quæ illi 4 accubant

ad primipilum ad Aquilas, uno abeunte reliqui tres accubant, ut ſcilicet proximi ſint ad audiendum ſignum, atque ei attendendum, ut in tempore detur: ejus enim Centurio curam habet ad quamque vigiliam buccina ſignum dandi. Initio vero vigiliarum omnia ſigna cecinerunt, aut potius paulo ante ipſas, cum nimirum Prætorium dimitteretur: & hoc ſignum erat imperii. Erant autem vigiliæ quaternæ, & ſingulæ in horas ternas diviſæ. Has Primipilus clepſydris diſcernebat: habebant vaſcula aquaria; ſive menſuras ex aqua, quibus 4 illa tempora æqualiter diſtinguebant.

Cum tempus appetierit, primam vigiliam circuitis, qui eam ſortitus eſt, habens apud ſe teſtes aliquos. Primum, fidei cauſa, ut, ſi culpam alicui ingerat,non ille regerat aut abnuat: deinde decori etiam cauſa & periculi, quia nec honeſtum, nec tutum fortaſſe, ſolos ita circuire. Ergo aliquem, vel aliquos ex amicis aſſumebant, ſæpe ejuſdem illius ordinis, & quibus operam hanc in ſimili reddebant. Perluſtrat vigilias. Quod ſi reperit, qui primam agunt, vigilantes, capit ab iis teſſerulam; ſin aliquem dormientem, aut loci deſertorem, teſtificatus proximos abit. Idem fit & ab iis: qui ſequentes vigilias luſtrant. Quiſque autem Circuitorum una cum luce ad Tribunum defert teſſeram; & ſi omnes redditæ ſint, ſine culpa abeunt. Quod ſi quis pauciores fert, quàm pro numero vigiliarum, inquirunt ex charactere, quænam vigilia defecerit. Quo cognito, vocat Centurionem, qui ducit eos quorum vigilia fuerat, ii diſceptant cum Circuitore. Et, ſi vigilum delictum eſt, ſtatim oſtendit Circuitor adhibitis teſtibus e proximis; id enim facere tenetur. Si nihil horum in ipſum cadit culpa, ſtatimque concilio advocato Tribunus judicat, &, ſi damnatus fuerit, fuſte percutitur.

Vigilabant armati; olim tamen ſcutum iis ademptum, ne, ubi feſſi ſint, innixi pilo, capite ſuper marginem ſcuti poſito, ſopiti ſtarent. Poſtea vero redditum. Qui illo die in expeditione fuit, ne vicibus quidem ſuis vigilabat: cauſa ab humanitate, & quia tales egent quiete.

Duo adhibita ad excitandum: *Signum* ſive buccina, & *Voces*. Hæ ex ipſa re, *Vigila, vigila*. Sed hoc videtur a Circuitore illo magis, quàm vigile uſurpatum. Facit magis, quod hodie apud Turcas ille mos, & in arcibus oppidiſque excubias ita agunt, ut alta voce invicem appellent ſe, & reſponſent. Pannones idem factitant, qui clare & mutuo ſibi accinunt. *Szollay megh, ſzollay megh, virraztu, ſzollay megh*, id eſt, *Vigila, vigila, vigil, vigila*. Et cum ſub Auroram ſe recipiunt, canunt: *Haynal vagyon ſzep pyros, haynal, haynal vagyon*, hoc eſt, *Erumpit jam elegans rubens* (ſcilicet Aurora aut dies,) *erumpit jam*. Sed & Perſæ cantitare ſoliti in Vigiliis laudes ſui Regis. Quæ omnia bona & utilia contra ſomnum, nemo neget. Græcis etiam tintinnabula ſive campanulæ ad excitandum; ut & Romanis in urbe. Quod nec hodie prorſus exolevit,

olevit, & in arcibus plerisque ad campanulam vigiliæ excitantur. Erant quoque crebro ignes vigilibus, quos cœnæ aut corporum curandorum causa ita structos, in noctem & vigilias producebant, donec paulatim extinguerentur: etsi de facibus proprie ad vigilias, non abnuam, quas vigiles ipsi aut manu tenuerunt, aut apud se fixerunt. In turribus aut speculis etiam ignes structi ad illucendum, & ut accedentes noscerent: vel ad indicandum aliquid aut significandum. Tale hoc genus Græci dicunt φρυκτὸς. Horum usus pro literis esse potest, ut per specularem hanc significationem indicetur quid agendum. Inventum Simoni attribuit Plinius; Palamedi verius plerique Græci. Usurparunt & Romani: qui noctu igne, de die panno rubro in hasta sublato significabant.

2. EXERCITIA.

Altera Disciplinæ militaris pars *Exercitia* sunt, à quibus ipse Exercitus nomen accepit: & Romanis præter & supra plerasque gentes usurpata exercitia. Hæc autem triplicia. 1. ONERIS. 2. OPERIS. 3. ARMORUM.

1. *Exercitia Oneris.*

Quatuor oneris genera milites in agmine ferebant: *Cibum, Utensilia, Vallum, Arma.*

1. *Cibus*, primum onus: nam plus dimidiati, & sæpe etiam totius mensis cibaria ferre cogebantur. Mansit hæc durities, etiam molliore ævo, & in Principum inferiorum rebus onera ista leguntur. Ambigitur, an frumentum ipsum datum & latum, an vero panis excoctus, quem *Buccellatum* (quia sectus in bucceas) vocabant, imo potius iste: nam Buccellatum communis cibus, sed delicatiores quidam asperitatem illam aut siccitatem refugientes, habuerunt interdum in exercitu pistores ad panem recentem. Erat talis panis *bis coctus*; quod nomen hodie retinet, atque ita olim Græcis, nam δίπυρον dicebant, *bis ignitum.* Byzantinis dicitur *Paxamus*, sive *Paxamadium.* Hos panes in peris & saccis pelleis ferebant. Antiquitus frumentum portabant, non panem aut farinam; illud tundebant, pinsebantque, aut molis manuariis frangebant. Istas enim molas inter instrumenta militaria fuisse, & comitatas castra, docet Livius, quas in jumentis ferebant.

2. *Utensilia*, secundum onus: Præter hastam & scutum Romani pedites ferebant serram, & corbem, rutrum, & securim: amplius lorum, falcem, & catenam: Pertinent enim hæc ad lignandum, pabulandum, muniendum, & postremum ad captivos vinciendos. Tulerunt ista, & plura etiam; ut ollam, veru, & talia ad victum, dicit Appianus, res ipsa vult, & monumenta antiqua ostendunt.

3. *Vallum*, tertium onus: Non unum vallum, sed vallos ternos aut quaternos ferebant, ex usu & more, nonnunquam plures, & septenos, imo duodenos legas. Isti ferebantur, ut statim liceret vallare se & munire, si castra subito locanda, aut alia necessitas

esset. Cogita numerum militum, qui fuere in Consulari exercitu supra 16000. ter aut quater tot vallos, profecto densa & firma munitio statim strui potuit, contra equitem peditemque. Ita nec in agmine facile fuit eos opprimere aut dissipare.

4. *Arma*, quartum onus: imo non onus: & habent milites quasi sua membra: quæ quidem ita geruntur apte, ut si usus foret, abjectis oneribus, expeditis armis, ut membris, pugnare possint. Pendebat galea ab dextro humero ad pectus, (id quoque ad duritiem, incederent capite nudo) scutum in sinistra, in eadem pertica cum sarcinis. Ob tot ac talia ferenda, pedites Romani, joco *Muli* vocabantur. Unde *Muli Mariani*, in proverbio. Nam C. Marius recidendorum impedimentorum gratia, quibus maxime agmen oneratur, vasa & cibaria militum in fasciculos aptata furcis (quas appellarunt *Ærumnulas*) imposuit, sub quibus & habile onus, & facilis requies esset. Sic ergo onusti milites iter grande sæpe conficiebant, & gradu quidem militari, qui grandior: horis enim 4 æstivis hoc militari gradu 20 millia passuum conficiuntur. Cæsar bello Africo 16 millia passuum confecit cum toto exercitu, nec totis 6 horis, idque nocturnis & æstivis; eæ sane noctu breviores, pro more Romano. Idem 50 millia confecit à media nocte ad diei alterius initium cum 4 legionibus & equitatu, sed (quod sane mirum) rebus gerendis & hoste impeditus. Idem Cæsar, periclitante Q. Cicerone, cum M. Crassus hora tertia diei advenisset, eo die circiter 20 millia passuum progressus est. Nec longe à duritia ista Romana abierunt Macedones. Item Catti prisci. Quin & Turcas hodie ollam æneam, scutellam, securim, igniarium, sacculum cum annona, & talia quædam, ferre scimus.

Habuerunt quidem Romani servos aut calones, sed nec multos, nec vulgo; Tribuni, Centuriones, & digniores militum, habebant, gregarii non habebant, quibus amputata hæc adjumenta inertiæ: sed & dignioribus arcte modus statutus erat, ultra quos & quot, non haberent. Nec aliter in veteri militia. In sequenti, hoc & alia solutiora, ubi magnus calonum & servorum numerus in exercitu increbuit. Ab his tamen lixæ sunt diversi, qui velut negotiatores quæstus sui gratia castra sequuntur. Jumenta quoque plura in castris, sed gregariis militibus, non nisi ad usum communem, nempe ut tentoria, ut molas, & si quid tale, ferrent. Digniores sibi quædam habuere & ad proprium usum. Reperies, & his, & vehiculis, modum etiam positum; imo rarenter vehiculis eos usos, quia hæc scilicet impediunt aut morantur iter, præsertim per angusta & confragosa.

De Agmine.

Sub jam dictis oneribus compositi & ordinati ibant, nec viæ tantum, sed pugnæ apti. Et hoc *Agmen* dicitur; cujus duo potissima genera. *Primum* commune, & cum sine motu incedunt, quod tale

est:

est: Præeunt Extraordinarii, & agmen ducunt; quia portæ Prætoriæ vicini, per quam fere egressus: atque etiam quia ordine pene illo exeunt, quo metati. Secundi, Cornu dextrum Sociorum; & istos prædictorum jumenta sequuntur. Tertii, prima legio, à tergo habens vasa sua & impedimenta. Quarti, secunda legio, cui subsequuntur jumenta sua, & Sociorum item impedimenta, qui à tergo locati sunt. Ultimi, lævum Cornu. Ad latera equites, aut quisque post suorum agmen, id est, Sociorum post Socios, Romani post legiones: habet enim quæque legio suam Alam, & item Cornu. Media his singulis ordinibus sunt impedimenta. *Alterum* genus non ita commune, & cum in hostico, & vicino periculo incedunt. Id tale. Præeunt impedimenta Hastatorum, ipsi sequuntur; tum iterum impedimenta Principum, & mox ipsi, idem in Triariis. Est igitur tum quasi composita ad pugnam acies, nisi quod evolvere se oportet ab impedimentis; quod fit, ad latus alterum declinando, & in hostem eundo, impedimentis subsistentibus, aut retro subductis. Velites in fronte positi, aut præmissi ad explorandum hostem.

Cum igitur castris discedendum, ter signum dant, *Itinerarium sonare* appellant. Cum primum signum datum est, tabernacula sua detendunt, sarcinas componunt, & vasa colligant. Sed nec detrahere, nec constituere cuiquam tabernaculum fas, priusquam Tribunorum & Imperatoris erigatur deponaturve. Cum vero secundum signum sonuit, imponunt sarcinas jumentis. Cum tertium, procedere oportet primos, & movere tota castra ordine jam dicto. At Præco, id est, Accensus, aut Apparitor dexter Imperatori assistens ter rogabat, *An parati ad bellum*; id est, *An in procinctu essent?* Illi toties alta atque alacri voce acclamabant, se paratos esse. Et fortassis hic est ille clamor respondentium, quem Cæsar aliique tangunt, cum *Vasa* aiunt *clamari*, & inter solennia ponunt. Signum nempe alacritatis ac fiduciæ erat, nec clam se subducentium.

De Castrorum metatione.

Cum appropinquarint ubi castra ponenda, præeunt Tribunis ex quaque legione unus, & Centuriones illi, qui ad hoc munus electi sunt: nam castra metari munus fuit in certis hominibus, qui dicti *Metatores*. Est autem *Metari* non aliud, quàm dividere, secare suis finibus & metis. Inde *Metator agrorum* Ciceroni est Finitor: cui rei Gruma & Decempeda serviebat. Hinc *Degrumare viam*: & *Decempedator*, pro Metatore. Porro *Metandi* vox fusa latius, & a castris in urbem iit. Hospitia, mansiones, & quidquid tale adsignatum, *Metari* dicunt, & *Metata*: Primo quidem ipsorum militum, aut Palatinorum, sed mox & aliorum. Sic in Suida, *Metator* præmissus à Principe nuncius ad loca designanda: nostro verbo *Forerius*. Sic *Metatio*, *Metatura*, *Metatorium*, pro domo adventoribus

toribus parata. *Metacula Deorum*, Martiano Capellæ domicilia & ſedes ab Aſtrologis datæ. Sic *Metator* in militia (ut eo redeam) qui vel caſtra, vel hoſpitia deſignat.

Cum igitur hi totum locum circumſpexerint, ubi metari oportet, primo deſignant Prætorium, & ad quod latus aſpectumque loci prætorio adjacentis ponere legiones oporteat. His electis & captis, dimetiuntur Prætorii ambitum; deinde lineam dictam, ad quam tabernacula Tribunorum locantur; tum aliam lineam æquidiſtantem, à qua incipiunt metari legiones. Conſimiliter & latera utrimque deſcribunt lineis, de quibus ſupra ubertim dictum. His factis, vexillum unum figunt: & primum in loco, ubi Prætorium ponendum; ſecundum in latere electo; tertium in media linea, ubi Tribuni tendunt; quartum, ubi legiones: hæc quidem punicea, illud autem Imperatoris album: ad latera porro interdum tenues haſtas defigunt, interdum vexilla coloris alterius. His factis, ſtrigas demetiuntur, & Haſtas in quaque ea figunt: è quibus, cum appropinquarunt copiæ, & in conſpectu habent caſtra, ſtatim omnia omnibus innoteſcunt, indicio & ratiocinio uſis à Prætori ſigno. Ita milites in caſtra ibant, tamquam in notam & ſuam urbem. Illic enim ſtatim à portis declinantes procedunt, & quiſque veniunt ad ſuas ædes ſine ambage aut errore, quoniam & univerſæ, & in parte cognoſcunt, qua regione urbis iis divertendum: Simile igitur & in Romanis metationibus evenit.

2. *Exercitia Operis.*

Exercitii ſecunda pars, *Opera*, quæ tam ſtupenda apud Romanos, ut fidem ſuperent, & fieri humana manu vix poſſe videantur. Rem aſſeram paucis & illuſtribus exemplis.

Cæſar in Gallia Atuaticorum oppidum, obſidens, vallo pedum 12, in circuitu 15 millium paſſuum, crebriſque caſtellis circum-munivit. Mirum, in paucis diebus ſola militari manu hæc confecta. Idem ingreſſu Helvetiorum in Provinciam excitatus, cum una legione militibuſque qui ex provincia convenerant, a lacu Lemano ad montem Juram, mill. paſſ. 19 murum in altitudinem pedum 16, foſſamque perduxit. Id quoque opus non multis diebus confecit, & Helvetios conſilio & aditu dejecit. Non tam grandis munitio, quæ ad Aleſiam ejuſdem Cæſaris, ſed operoſa magis & multiplex. Ipſa enim in circuitu 11 millium paſſuum tenebat, ſed foſſa fuit pedum 20 directis lateribus ducta. Iterum ab ea foſſa pedes 400 recedens, reliquas munitiones inſtruxit. Eæ erant duæ foſſæ 15 pedes latæ, eadem altitudine, quarum interiorem aqua ex flumine derivata implevit. Poſt iſtas aggerem & vallum pedum 12 exſtruxit; huic loricam pinnaſque adjecit, grandibus cervis eminentibus, qui aſcenſum hoſtium tardarent: & turres toto opere circumdedit, quæ pedes 80 inter ſe diſtarent. Adde jam alias minores foſſas, cippis conſitas, & ſcrobes ſtimulis repletas. His rebus perfectis

fectis, pro loci natura 14 millia passuum complexus, pares ejusdem munitiones, diversas ab his contra exteriorem hostem fecit. Addo ejus Cæsaris munitionem, qua Pompeium ad Dyrrachium clausit, omnia omnium opera superantem: Ille enim aggressus est difficile & inopinatum opus, ut uno muro omnes Pompeii copias circumplexus, à mari ad mare eum duceret; etiam si cœptis excideret, magnam apud posteros super hac audacia gloriam laturus. Erant enim stadia 1200.

Licinius Crassus bello Spartacio in brevi tempore fossam à mari ad mare duxit per cervicem peninsulæ, stadiorum 300 latitudine, & altitudine 15 pedum: super fossam vero struxit vallum altitudine & firmitate mirandum.

Augustus bello in Cantabros, Medullum montem perpetua 15 milliarium fossa obsidione cinxit. Idem civili bello ad Perusiam, circumvallavit eam urbem primum spatio 56 stadiorum; sed brachia inde ducta ad Tiberim, quæ usum fluminis eriperent: Postea alias fossas vallumque struxit, additis 1500 ligneis turribus, quæ 60 pedes inter se distarent.

Plura, atque ea operæ & structuræ melioris passim legas, perite & affabre facta: non quia olim in ipsis legionibus seorsim fabri, sed quia milites ipsi, aut aliqui inter eos, longo usu sic docti, & mixti fortassis aliqui ex professo tales; denique præerat & dirigebat Præfectus fabrûm. Postea vero quæque jam legio habebat fabros lignarios, structores carpentarios, ferrarios, reliquosque artifices ad hos usus. Itaque etiam in pace & otio, sed contra otium, militari manu mansura multa struebant, ut vias, pontes, naves, aggeres, templa, porticus, basilicas, theatra, aquæ ductus, imo oppida tota.

3. *Exercitia Armorum.*

Pars tertia Exercitii, *Arma*. Hæc quoque pars à Romanis diligenter habita. Non enim illis initium armorum ipsum bellum fuit, nec solum cum usus aut necessitas erat, manus moverunt, in pace feriati; sed tanquam congeniti armis, numquam pausam exercitii faciebant, non exspectantes occasiones. Omni die, omni ætate exercebantur: tirones bis die, veterani semel. Ipsi Duces faciebant, ut scientiam ostentarent, & in exemplum; ut Scipio Africanus, P. Valerius, Pompeius. Quin ipsi Imperatores, ut Trajanus. Quisque ergo miles quotidie omni alacritate tanquam à bello exercebatur; sed maxime in Stativis aut Hibernis, cum quies scilicet à vero certamine & ab hoste. Nec pluviis aut hyemantibus diebus cessarunt, sed ei rei porticus quasdam & basilicas, leviter canna aut stramine tectas, habuerunt, in queis equites, peditesque exercerentur. Alias in campo: inde *Campestres exercitationes*, in Suetonio: *Meditatio campestris*, in Plinio. *Campidoctor*, ipse ὁπλοδιδάκτης, sive *doctor armorum*. Et hoc officium certum inferiori ævo, non

certum

certum veteri; ſed tunc Centurio aliquis aut miles annorum armorumque vetus docebat. Exercitia autem illis varia.

1. AMBULATIO. In hac duo ſpectata: *Celeritas* in ordinato inceſſu, ſub ſignis & ſub armis: tum etiam *Æqualitas*, ut ſuis juſtiſque intervallis. Hinc conſuetudo vetus, ut ter in menſe, tam equites, quàm pedites educerentur ambulatum, 10 millia paſſuum, armati inſtructique omnibus telis pedites, militari gradu ire ac redire in caſtra jubebantur; ita ut aliquam itineris partem curſu alacriore conficerent. *Juſtum* autem *iter* diurnum erat quantum militari gradu vulgo ſolet confici, aut certe circa: ſic tamen ut horas ſemper aliquot ſumas ad quietem.

2. DECURSIO. Haud longe ab Ambulatione eſt, & fit in armis, & ſub ſignis. Decurrerunt 4 millium ſpatio. Finis & fructus; ut majore impetu in hoſtem procurrant, ut loca opportuna celeriter occupent, ut ad explorandum alacriter pergant, ut fugientium terga facilius comprehendant. Hæc Decurſio ad tubam facta, & ad eandem revocata.

3. SALTUS. Hujus utilitas, ut vel foſſas murales tranſcendere, vel impedientem aliquam altitudinem ſuperare, & ſine labore tranſilire poſſint.

4. NATATIO. In mari vel fluvio caſtris vicino. In ipſa Urbe, aut ad Urbem hoc olim factum, & Romani veteres Campum Martium vicinum Tiberi ideo delegerunt, in quo juventus poſt exercitium armorum, ſudorem pulveremque dilueret. Fuit & Piſcina huic rei, in Feſto. Cum cura res habita, imo parentes quidam ipſi liberos ſuos docebant, ut Cato Priſcus filium ſuum.

5. PALARIA. Non fuere aliud quàm armorum exercitium & pugnæ, quæ in manibus eſſet; Statuebatur palus (Diaconus Latinitate ſui ævi *Lanceam* vocat) in terram rectus & fixus, qui ſex pedes eminere ad modum hominis, cumque hinc illinc tiro aſſiliebat & variis ictibus, aſtante magiſtro, petebat. In qua exercitatione ſervabatur illa cautela, ut ita tiro ad inferendum vulnus inſurgeret, ne qua ex parte ipſe pateret ad plagam.

6. ARMATURA. Hæc levium fuit, ut Palaria gravium. Sub hoc nomen non aliud venit, quam haſtilium, jaculorum, pilorum, ſagittarum miſſio. Cauſa, quod ipſi leves milites dicti ſunt, *Armaturæ*, compendio; nam olim quidem juncto nomine altero, *Leves armaturæ* dicebantur. Et ſunt alii ab iſtis, de quibus Græcorum ſcholia; ὁπλοχορευταὶ *Armiſalii*, qui cum armis ſaltant. Non id ad nos, & eſt Pyrrhicha quædam, aliena à ſeria militia. Ad noſtram ſpectant, haſtilia jacere, ſudem torquere & vibrare, arma tractare, ſub vineam vel vitem haſtas jacere.

7. SALITIO. Ea ad Equites ſpectat; diſcebantque celeriter & expedite ab utravis parte, gladiis etiam ſtrictis, aut contum tenentes, ſaltare in ligneum equum. Iidem curſus, flexus, orbes, aliaque

aliaque didicere. Noſtri Equites tenuere concurſus quoſdam ludicros, quos *Torneamenta* & *Gioſtra* vocant; ſed ii ad delicias fere verſi & oblectamenta aulæ.

3. LEGES.

Pars ultima Diſciplinæ militaris ſunt *Leges*, quæ *ſunt inſtituta militiæ ſcripta aut non ſcripta*. Ea multa & varia: nos tangemus ea, quæ tangunt *Furta*, *Stipendia*, *Pœnas*, *Miſſionem*.

De Furtis.

Furtorum quia magna occaſio & materies in caſtris,ubi pleraque aperta & incuſtodita, placuit ea ſevere cohibere & punire. Ergo poſt metationem caſtrorum primam, ſtatim ut dilectus habitus eſt, & educti ſunt in campos, Tribuni convocantes omnem copiam, tam liberos, quàm ſervos, juramento adigunt viritim, ita ut calones & ſervitia quoque, & quidquid humanorum capitum in caſtris, adſtrinxerit hoc juramentum, quod tale eſt: Nihil e caſtris furto tollere, imo ſi quis invenerit quidpiam, id ad Tribunum relaturos. Itaque qui aliud e caſtris furto abſtuliſſet, fuſte percutiebatur. Militem Prætorianum ob ſurreptum e viridario pavonem, capite punivit Tiberius. Peſcennius Niger ob unius gallinacei direptionem, 10 commanipulones, qui raptum ab uno comederant, ſecuri percuti juſſit.

Nec ipſa prædatio illis libera, ſed per manipulos, cohortes, legiones, ſæpe miſſi milites, ut prædam agerent ex hoſtili terra & ferrent; ſed cum lege, ut communis nempe ea præda eſſet: Romani igitur avaritiæ, & quæ aſſita eſt, injuſtitiæ coërcendæ, prædam omnem in publicum fere vindicabant, & ad Quæſtorem jubebant deferri: atque is divendebat, & ex pecunia militi perſolvebat. Præda igitur plurimum relata in publicum; & ſi quando militi conceſſa, ad excitandum eum in re aliqua ardua, id quoque ſub lege & diviſionis norma. Interdum quotidie permutabantur milites, qui manerent, qui raperent; interdum minime, ſed ſemel per manipulos ſeponebantur & ſecernebantur: puta, ex quaque legione vel ala, 5 cohortes mittebantur; 5 ad ſigna retinebantur. Præda autem relata æqualiter diviſa; & ipſi Socii quoque æquas partes accipiebant. Sors etiam interveniebat, ubi res dividebant, non ubi manubias ſive pecuniam ipſam. Et hæc res una eſt inter præcipuas, quæ Socios tot ſæculis tenuit in fide, lucellum & gloria, ex aſſiduis & felicibus bellis.

A furtis ergo tam caſti Romani, & tam manus eorum continentes, ut memoriæ tradiderit Scaurus apud Frontinum, pomiferam arborem, quam in pede caſtrorum amplexa fuerat metatio, poſtero die, abeunte exercitu, intactis fructibus relictam.

De Stipendiis.

Stipendium Græcis, ὀψώνιον, & ὀψωνιασμὸς, quod velut in opsonium pecunia ea primo data. Latini inferiores *Annonas* dixere: nec enim ipsum quod esui modo, sed mercedem militarem & pecuniam intellexerunt. Græci infimi ῥόγας, *Rogas* appellarunt: an ab *erogando?* nam & ipsam rem ῥογεύεσθαι dicunt. Suidas tamen pro donativo Principis capit.

Olim certum est, Romanos nullo publico ære militasse, idque annis plus 300. quibus milites privato sumptu se alebant de suo. Institutum 17 circiter annis ante Urbem à Gallis captam. Erat autem Stipendium triplex, *in Pecunia, Frumento, Veste.*

Primum peditum stipendium fuit oboli duo in diem. Si computes, sunt in mensem Denarii 10. Id est, Philippæus noster. Exigua certe summa, & tamen tam multi ad militiam prompti; quia frumentum additum exiguo pretio, tum crebræ etiam in triumphis donationes: amplius, erant promotiones, & per virtutem ad altiores ordines veniebant, ergo & ad stipendia meliora. Julius Cæsar, qui per milites magnus, hic quoque leges fregit, & legionibus stipendium in perpetuum duplicavit. Res semel mota non hic stetit, sed magis Augustus auxit. Qui omnes ubique milites ad certam stipendiorum præmiorumque formulam adstrinxit. Eum modum fuisse 10 diurnos asses, ex Tacito liquet. Mansit tamen non diu, sed sive Nero, sive Claudius, sive potius Otho aut Vitellius, aliquid, imo multum addidere, & jam Domitiani ævo stipendium menstruum erant Aurei terni. Ii essent in diem 25 Asses; quibus ipse Domitianus iterum addidit menstruum Aureum unum, id est, Denarios 25. Tanti enim Romanus Aureus. Centuriones, Succenturiones sive Optiones, fortasse & Signiferi, duplum accipiebant. Et fuerunt etiam e grege milites quidam sic honestati ob egregia facta. Hi *Duplicarii* dicti, quia annonas duplices accipiebant. Sed & *Sesquiplares* legas, qui unam semis. Equites habebant triplum, quoniam erant super Centuriones, tum quia genere digniores, tum quia onerum plus ferebant. Tribunis stipendia magna. Ita ut adagionem fecerint, *Tribunorum salariis emere.* Habebant enim quadruplum salarii vulgaris, & alia uberiora in veste, frumento, speciebus.

Frumentum quoque accipiebant pedites Romani, quod certo etiam die datum, & cum cura, ne is laberetur. Bonum & utile institutum: militi semper victum esse, nec inopia cogi ad rapiendum, aut deserendum. Si pecunia in hunc usum, potuisset ire in alium usum; igitur maluerunt rem dare ipsam: atque ita, ut nefas etiam haberetur vendere. Itane culpa, mercari, aut vendere? hodie nec rapere: & vis aut injuria fere est quæ militem alat. Dabantur autem Attici medimni duæ partes. Medium faciunt 6 modios: ergo militi, Romano modo & sermone, dabantur modii quaterni. Quidni

tantum,

tantum, cum ipsi servi eos acceperint in dimenso? Magno & multo igitur opus frumento ad plures legiones. Hinc è provincialibus frumenta hæc coacta, & è Decimis quas hoc fine aratoribus imponebant. Si vero in hostili, tum etiam è vicinis provinciis, aut ex ipso hostico; sed sic, ut non in privatum & sibi miles raperet, sed desecta aut inventa frumenta deferret ad Quæstorem. Equites hordei 7 medimnos ad jumenta, (pro quo & æs aliquando accepere, quod *Hordearium* dictum Festo) frumenti duos accipiebant: ergo triplo peditem excedebant; non enim illi fuere soli, servum aut servos potius habuerunt, & justum est hoc dimensum in capita terna, modii 12. De hordeo etiam satis largiter: sed certum est, præter equum militarem jumenta alia habuisse. Socii pedites capiunt par Romanis: merito, nam & tantum capiebat eorum venter. Equites vero frumenti medimnum unum & trientem, quia minus digni aut opulenti quàm Romani, eoque nec à familia sic instructi; singulis ergo famulus unus suffecerit: & est mensura hæc in duo capita, modiorum scilicet 8. Simile in hordeo, & habuere pauciora impedimenta. Datur autem hoc sociis muneri. Cum enim pecuniæ stipendium à suis acciperent, quid minus à Romanis debuere quàm victum? illorum certe usui & gloriæ militabant. Contra in Romanis fuit: quibus nec muneri frumentum quidem datum, minus arma aut vestis, sed pro his omnibus certa alia pecunia de stipendio detracta. Militibus etiam salem (sine quo vita non est) & leguminum aliquid datum passim legimus. Data etiam suilla salita, id est, laridum. Atque hi tales sunt quos *Militares cibos* scriptores appellant.

Bis die cibum sumpserunt milites, sua hora quisque, & addo etiam suo cibo. Prandium tenuius, & sine ullo apparatu. Stantes fere prandebant, & cibum sine igne; in cœna addere poterant, si copia esset, carnem assam aut elixam. Metellus coquos, lixas, & totum id genus, castris ejecit, vetuitque vendere cibum coctum. Vendere vetuit, non sumere: noluit prostare cibos tales, & facilitate parandi gulam irritari; sed si quis haberet, è præda aut pecunia, ipse pararet & vesceretur. Hoc fine inter instrumenta militis verua & ollæ. Nolebant curiose & ab professo opifice panem coctum sumi, sed subitarium, & quem sua manu miles parasset. Ipsi coquebant, illi ingenui, illi cives. Quid? imo ipse aliquis Imperator, nec ex Curiis aut Fabriciis, sed novitiis, ut Antoninus Caracalla, qui triticum sua manu molens, quod ipsi satis esset, massamque ex eo conficiens, & in carbonibus coquens, eo vescebatur. Ergo manuarias quasdam molas circumferebant, aut lapide tundebant: denique sine furni aut clibani opera, subito sic in carbonibus, aut sub cinere coquebant. Panis igitur ille gravis, madidusque, & Plinio *Panis militaris*, talis subitus & subcineritius, nec bene aut diu excoctus. Sed & sine pane frumento suo usi in pulte: unde à Plauto

Pultiphagi

Pultiphagi Romani appellati. Potus militis aqua, eaque mera vulgo. Interdum usi aceto, non solo, sed cum aqua mixto, quod *Poscam, vel Puscam* vocant. Pro mensis iis plerumque elatior cespes, aut cespites quadri. Cibum capiebant sedentes, non jacentes delicate aut recubantes, civili illo promiscuo ritu: imo steterunt, præsertim in prandio, ut dixi. Luxus deinde castris importavit triclinia, porticus, cryptas, trichilas, id est, umbrosas pergulas, Græcis σκιάδες. Pocula erant lignea, nam rarum castris argentum, nec id frugalitas castrensis admittebat: certe non copiosum. Nemini præterea fas prandium aut cœnam sumere, nisi ad signum.

De Præmiis.

Præmia & Pœnæ, quæ omnem vitam & societatem continent, vinculum & coagulum rerum publicarum: primis studiose à Romanis habita. Duo autem Præmiorum genera: *Minora*, & *Majora*. Minora sunt, quæ ob læsum aut dejectum hostem data. Majora, ob servatum civem.

Cum igitur occasio se dat, & aliqui fortiter & strenue fecerunt, Imperator, re divina prius facta, covocat classico in concionem omnes copias, & circumponens sibi eos, qui auctores egregii facinoris, primum quidem laudes eorum edisserit,& super hoc facto, & si quid aliud in omni vita gesserint laude & memoria dignum. Ii ibi conspicui, in loco edito, juxta tribunal; a tergo, à latere, Duces; ante & circa immensa multitudo: sicque voce Imperatoria laudantur, mox donantur.

Si quis extra ordinem, aut in singulari pugna, ut in excursione aut velitatione, aut tali tempore, in quo nulla necessitas fuerit viritim periclitandi, sponte se & ultro eo dederit, & hostem percusserit, *Hasta* donabatur: quod jaculi genus sine ferro, ideoque dicta *Hasta pura*: sicut *Argentum purum*, cui nihil insculptum: & *Vestis pura*, cui nihil e purpura attextum. Qui vero hoc amplius, hostem dejecerit, aut spolia legerit, duplex jam hic præmium, diversum pro genere militiæ: nam pediti datur *Phiala* sive *Armilla*, equiti *Phalera*. Phaleræ distinctæ a Torquibus: illæ demissæ ad pectus pendebant, hæ stringebant magis & ambibant ipsum collum. Diversitas etiam in forma, quod illæ planiores & magis jacentes: istæ contortæ & ex annulis aut catellis plexæ. Unde ipsæ, *Catellæ* dictæ. Hoc præmium mansit ad infimum ævum. Et quamvis notum sit; torques Gallorum jam olim gestamina propria & patria fuisse: tamen ab hoc militiæ ritu manasse magis arbitror, quod hodie nobilitas Europæa tam passim sibi vendicat torques. Inter minora præmia erant etiam *Vexilla*: eaque vel *pura*, quæ uniusmodi coloris, nec tincta: vel *bicolora*, quæ diversi coloris. Vulgo etiam argenteis vel aureis filis & textu.

Majora dona sunt *Coronæ*: quæ plures, ob plures causas. Prima *Civica*, quæ data illi, qui civem servaverat, & eodem tempore

etiam

etiam hostem occiderat. Hac eum Imperator honestat, & Tribuni cogunt servatos (nisi id quidem ultro faciant) servatorem suum coronare. Colit autem hunc qui servatus est per omnem vitam, ut parentem, & omnia ei conferri ac deferre debet, ac si genuisset. E quercu sive ilice fuit: cujus causam vide, si lubet, apud Plutarch. Altera, vel potius prima (superat enim dignitate Civicam) est *Obsidionalis*, quam ii, qui liberati sunt, dant ei Duci, qui liberavit. Nulla hac nobilior: & merito, cum non unus, sed plures civium morte erepti. E gramine hæc fuit, decerpto è loco, intra quem obsidebantur: quia summum victoriæ indicium erat, herbam porrigere victos. Hanc ipsi quoque dant, qui servati sunt, ut in Civica factum. Tertia *Muralis* est, qua donatur ab Imperatore, qui primus murum subiit, inque oppidum hostium per vim ascendit. Huic vicina est *Castrensis*, quæ ejus, qui primus hostium castra pugnans introivit. Utraque hæc aurea fuit. Vallis igitur distincta ista fuit, & ideo *Vallaris* quoque dicta: sicut illa prior habuit & prætulit murorum pinnas aut turres. Quarta *Navalis* corona, ex auro, data ei, qui primus in hostium navem armatus vi transilivit. Hæc re & materie non abit à Murali aut Castrensi, distincta tamen à *Rostrata*. Nam hæc in summo pretio, & non iis data, qui in navim aliquam transcendissent, sed qui navale aliquod magnum decus aut victoriam magna industria peperissent. Data ipsis Ducibus, & assimilanda aliquatenus Obsidionali: soli Civicæ eam cedere facit Plinius. Communiter sæpe donata corona aurea, sine alio agnomine, virtutis ergo. A Græcis hoc manasse videtur, & maxime Atheniensibus, qui viritim & populariter sic donabant. Pœni quoque hoc de coronis usurpasse videntur, forsan exemplo & imitatione Romana.

His donis etiam sua commoda adjuncta, sed quæ fere honore constabant. Nam qui ea adepti dona, præter gloriam in exercitu, & domi etiam famam, cum redierint in patriam, ludos pompasque ita conspicui ineunt: quoniam solis iis licet ornamenta hæc gestare & imponere, qui ab Imperatore virtutis causa donati sunt. In triumpho (quod tempore primum) etiam sic ornati incedebant. Si quis plures etiam coronas aut dona meruisset, tulissetque, ea ipsa præferri moris fuisse videtur. Equites equo publico in Transvectione annua donis istis usi. Solebant in judicium quoque aut discrimen hæc introducere interdum, virtuti ostentandæ.

In ædibus vero, conspectissima earum parte, ponunt spolia, indicia & testimonia suæ virtutis. Appellantur *Spolia*, arma & exuviæ, detractæ cæso hosti. Id jam olim apud Græcos solebant, & ostendere monumentum virtutis. Apud Romanos honori ea res, postibus ipsis & foribus suspendere, in transeuntium aspectum. *Antipagmenta* vocat Festus, valvarum ornamenta, quæ antis, id est, lateribus ostiorum adpanguntur, id est, affiguntur, Imprimis

hoc etiam triumphales usurparunt, & arma hostium suspenderunt. Etiam Rostra suspensa fuerunt, id est, spolia marina. Ista autem spolia affixa revellere, aut refigere, aut tollere non licuit, etiam alienatis ædibus. Hic ergo spoliorum honos; & quia magnus, multi ambitiose, nec meriti affectabant.

De Pœnis.

In castigando tria sunt imperii & juris Tribunorum. Primo, *mulctam dicunt* : deinde, *pignus capiunt* ; denique, *verberibus castigant*. Idem jus Præfectis in Socios. Capitis causas cognovit & punivit Tribunus, si Consilium adjunctum, & una cognoscant: alias sæpius ipse Dux summus cognovit, damnavit: cui etiam fas erat sine causæ dictione (nempe ubi res liquida) condemnare, sine Consilii advocatione ulla, ita ut etiam provocatio nulla esset. Sed a Principibus hic novatum, quibus non ex usu aut dignitate sua, visa tam libera hæc potestas, & circumciderunt. Gregales puniri à Ducibus permiserunt. Centuriones aliosque primores sibi adservarunt. Legati Prætorii jus in vitam non habebant; Legati Consulares habebant, sed cum exceptione, ut ne in digniores. Præterea pignus capiebant Tribuni, nempe cum mulctam non solverent: & dicitur *Censio hastaria*. Privabatur parte armorum miles, eaque pecunia debebat luere.

. Verberabant autem Tribuni ad castigationem, vitibus aut virgis: sed & ad mortem, fuste; de Consilii tamen sententia. Et hoc dictum Latinis *Fustinarium* (quam pœnam vigiliis & circuitioni neglectæ fuisse, supra dixi,) Græcis ξυλοκοπία. Ea autem talis: Fustem capiens Tribunus ipse (neque enim hic lictores ulli administri, aut carnifex,) condemnatum leviter tangit & delibat, & quasi signo dato, objicit reliquæ multitudini militari: quo facto, omnes, qui in castris sunt, ferientes, alius fustibus, alius lapidibus, in ipsis castrorum Principiis occidunt. Objiciebant etiam delinquentes gladiis militum, item saxis occisi; quæ pœna fere Macedonum fuit in hac re, quam & Romani adhibuerunt. Quin & securi percussi: sed sub Principum tempora gladius securi successit.

Fustuaria hac pœna ad mortem puniebantur, præter eos, quos dixi, alia quatuor genera delinquentium. *Primo*, qui furto aliquid abstulit e castris. *Deinde*, qui falsum testimonium dixit: quia læsum aut spretum perjurio supremum Numen, suprema pœna luunt. *Præterea*, qui in flore ætatis corpore suo abusus deprehenditur. Id crimen olim ante Scantinium in toga non fuit capitale, fuit tamen in castris: quia occasio ejus magna, nullo feminco sexu, & multis juvenibus in ipso vigore formæ, sub annum decimum septimum. *Tandem*, qui ter ob eandem culpam mulctatus fuerit. Sic leviores & pecuniariæ culpæ, capitales fiunt, si ter repetitæ. Causa: quod talem pravo ingenio censebant, & factum ad peccandum: fortasse etiam contumacia iis visa punienda, & quod

quasi

quaſi per ludibrium & contemptum legis peccaret. Bene factum; nihil ſatis adſtricti aut ſeveri inter armatos: & terrent niſi timent. Hac eadem pœna puniebantur & alia delicta, militiæ propria. *Si-qui* falſo ſtrenuum aliquod factum ſuum referunt ad Tribunos honoris præmiique cauſa: tale mendacium & prava ambitio morte caſtigabatur. Ratio; quia in militia eorum varia & multa præmia virtuti poſita, ad quæ ne indigni aſpirarent, & decus hoc polluerent, rigide fraus punita. *Deinde*, ſi qui in præſidio aut ſtatione poſiti, per metum deſeruerunt locum. *Tandem*, ſi quis abjecerit armorum aliquid in ipſo diſcrimine per metum. Nam miles vitam amittit, ſi ſua arma: cum duplici reſtrictione, ſi in acie, ſi per metum. Idem in Signiferis qui ſigna. Hinc Græcis ῥιψάσπιδες proverbio infames ſunt.

Quod ſi plures peccaſſe contingat, & manipulos aliquot ſimul locum deſerere, fiebat *Decimatio*, ratio puniendi commoda pariter & terribilis. Vetus Romanum inſtitutum hoc, & patria lex, qua decimus quiſque ſorte ad ſupplicium lectus. Interdum etiam *Viceſimatio* adhibita. Imo & *Centeſimatio*. Et hoc modo puniebantur turbidi & ſeditioſi in Ducem. Utilis iſte modus, quia periculum omnibus ſuper caput eſt atque imminet ob incertam ſortem, atque inde metus, qui fere inhærere ſolet iis, qui ſemel ſerio admoti ad extremam illam metam: ſicque metus ad omnes, pœna ad paucos pervenit.

Duo præterea hic conſideranda in pœnis: *Caſtigatio* & *Ignominia*. Illa verberibus facta: & fuerunt in hac re, *Fuſtes*, aut *Virgæ*: illi honeſtiores, iſtæ acerbiores. Sed Fuſtes iterum duplices: è *Vite*, aut *alia materia*. E vite, civibus reſervati: & eligebant nodoſam, ad validiorem ictum. Et hæc vitis geſtamen & inſigne Centurionum, aut Evocatorum erat, eaque bifurcata aut incurva: ſicut Græcorum Ducibus fuit baculus in manu. Fuſtes ex alia materie ad caſtigandum adhibiti, non ad occidendum: & erat levior iſta pœna quàm virgarum. Fuſtes etiam crebriores, & inferiore ævo. Retinent nunc Turcæ & plerique Orientales, in publica quotidiana caſtigatione. Virgæ raro in militia adhibitæ, niſi ubi mors à ſecuri conſecuta, & hæ ſolenniter tunc præiverunt.

Fuerunt & Ignominiæ, quibus boni honeſtique animi haud minus coërciti, quàm pœnis. Eæ multiplices Romanis fuere. *Primum*, hordeum pro tritico datum: ut indigni viderentur communi militum cibo, ſed rejicerentur potius jungerenturque cum jumentis. *Alterum*, cum ære privantur, & ſtipendium non procedit. Et miles cui ſtipendium non datur propter ignominiam, *Ære dirutus* dicitur. *Reſignatum æs* quoque dicitur militi, cum ob delictum, ne ſtipendium ei daretur, in tabulas refertur. Qui infrequens notabatur, hanc pœnam patiebatur. *Infrequens* autem appellabatur miles, qui abeſt abfuitque a ſignis. *Tertium*, cum extra vallum & caſtra jubentur tendere. Cauſam habuit, quaſi indigni eſſent, qui inter vere milites agerent, projecti & objecti hoſti; idque interdum ſine tento-

riis. *Quartum*, discinctos & turpi habitu prostitui, nempe ut parum viros. *Quintum*, mutare militiam, quod est ab honestiore genere in humilius transcribi. Imo interdum extra omnem ordinem projecti, inter impedimenta, & sarcinas, & captivos agere coacti. Erant & alia quædam minora, ut stantes cibum potumque capere; quod de cœna intelliges; nam in prandio usitatum stare. Istæ de pœnis in Romano ritu, similia quædam in Græco. Charondæ lex statuit, qui pro patria arma non cepissent, aut in bello ordines deseruissent, hos tales in foro per 3 dies sedere in vestibus muliebribus. Spartani eos, qui ignaviæ in bellis comperti essent, varie notabant: omni magistratu arcebant; uxorem ei dare, aut ab eo accipere, infame erat. Percutiebat eos qui volebat obviorum: at illi ferebant, squalidi & humiles, palliaque gestabant colore aliquo tincta & inscripta. Partem etiam barbæ, quæ est ad labrum superius, sive mustaca, radebant, partem vero alebant. Et hi stimuli apud varias gentes, excitandæ virtuti, socordiæ comprimendæ.

De Missione.

Post confecta stipendia, mittebatur miles, liber deinceps & immunis. Sed debebat explevisse legitima stipendia: ea 20 annorum in pedite, 10 in equite, ut supra dictum. Atque his confectis mittebantur. Si quis aliter se subduxisset, mors aut servitus pœna: nec dubium, quin pro desertore puniretur, si quis sine justa missione recessisset; de qua ipsa Censores etiam Romani cognoscebant.

Justa Missio *duplex*: Honesta, & Causaria. *Honesta*, quæ emeritis stipendiis datur. *Causaria*, quæ ob vitium, defectum, morbum. Puta aliquem manu truncatum, oculis captum, valetudine aut aliter inutilem militiæ factum; mittebatur. Hæc quia justam causam habebat, etiam præmiis interdum Honestæ æquata.

Injusta missio item *duplex*: Gratiosa, & Ignominiosa. *Gratiosa*, per gratiam aut ambitum, ab Imperatoribus impetrata; sed sæpe invalida; & Censores rescindebant. *Ignominiosa*, qua ob delictum aut crimen quis militia solutus: & ideo sic dicta, quia nominis notam & infamiam adferebat.

Sub Augusto duplex Missionis genus factum; *Exauctoratio* & *Missio*. Illa fuit, cum expletis stipendiis solvebantur onere omni militiæ, nisi pugnæ in hostem. Nec jam sub signis aut Aquilis erant, ut alii milites, sed sub uno vexillo habebantur seorsim: dicebanturque *Veterani*. Id repertum, quia plena Missio commoda & præmia sua habebat, instituta ab Augusto, quæ non statim solvi & repræsentari a Rep. poterant, atque ideo exspectabant ea sub vexillis, unde & *Vexillarii* dicti. Sed fraus sæpe in hac re, & de industria protrahebantur, bono fisci. Missioni præmia adhærebant, quæ alio verbo *Commoda missionum* dicuntur. Eorum quantitas: Prætoriani post 16 annos capiebant 5000 drachmarum: alii post 20 annos 3000. Id sub Augusto institutum, at a Caligula accisa & admodum reducta commoda.

ΠΟ-

ΠΟΛΙΟΡΚΗΤΙΚΩ͂Ν,

SIVE

DE OPPUGNATIONE URBIUM,

LIBRI V.

LIBER I.

DE MACHINIS.

MACHINA, Græcis μηχανὴ, παρὰ τὸ μήδω, ab inveniendo aut ſapiendo, ſive παρὰ τὸ μὴ χαίνειν, quod hiſcere non ſinat. Sane ab ingenii conſenſu derivant, quod intervenit: & poſteriores ſcriptores Latini hæc ideo *Ingenia*, & eorum Architectos *Ingeniarios* dixerunt. Itaque fraudes, doli, inſidiæ, in hoc nomen apud Comicos, alioſque, paſſim venerunt. Sed & molitiones altiuſculæ, *Machinæ*. Unde *Machiones*, Gallorum *Maſſons*, fabri cæmentarii. Veteres Græci μάγγανα etiam hæc dixerunt: ita Heſychius, & Hegeſippus. Eſt & Conſtantinopoli *Mangana*, locus à Conſtantino exſtructus, ad inſtrumenta bellica reponenda.

Origo Machinarum, ut & plerumque armorum, Moyſi aſcribitur. Græci, & cum iis Homerus, non videntur initio habuiſſe, nec ſub Trojanum bellum. Romani habuere ſub ipſis Regibus, & ſtatim poſt exactos Reges, A. U. 252.

Machinæ *triplices*: 1. MACHINÆ, preſſe magis & reſtricte. 2. TORMENTA. 3. TELA. De quibus dicendum eſt. Sed iterum cum diſcrimine, quia duplex Oppugnatio: *Subita*, & *Diuturna*.

De Oppugnatione ſubita.

Oppugnatio *ſubita* eſt, cum impetu, nec circumvallatione adhibita incurrunt. Ad hanc rem leviores machinæ adhibitæ. Primum uſi *Corona*, tum *Teſtudine militari*, ſæpe & *Scalis*, *Cratibus*, *Vineis*, *Pluteis*, variis *Teſtudinibus*, *Muſculis*, *Vectibus*, & ſimilibus.

De Corona.

Corona primum adhibita, ad terrendum aut claudendum, ſed & ad deſtinendum. Hinc ſæpe occurrit, *Corona cingere urbem*; *Corona capere, expugnare.* Fuit interdum ſpiſſa, id eſt, duplex, triplex, aut ſupra, ut numerus militum, aut magnitudo loci oppugnandi, erat.

In Corona introrſum erant pedites, quorum invadere; extrorſum equites, quorum inſpectare & tueri. Et eminus quidem ſeries ita duplex aut triplex: ſed cum appropinquabant, ratio vult, magis arctatos multiplicatoſque item fuiſſe, in gyro ſcilicet aſſidue anguſtiore. Et forſan etiam corpora alibi militum & cohortes relictæ, ad ſubita belli, & ſubſidium aut præſidium. Hoc etiam amplius, primos ordines peditum ſcutatorum graviorumque fuiſſe, qui cominus aſſultarent, invaderentque: retrorſum leves aut velites, ut funditores, ſagittarios, qui eminus pellerent telis, & deturbarent propugnatores. Coronam hanc Græci cum Sagena comparant, dicuntque rem ipſam, σαγηνεύειν, quod eſt, *Corona cingere*, & includere velut piſces.

De Teſtudine militari.

Sequebatur *Teſtudo*, qua ſtatim ſub muris uſi, ut tecti & conferti ſuccederent, abſcederentque. Teſtudo vero, ſive φάλαγξ Græcis, aut συνασπισμὸς, *Conſcutatio*, eſt junctio corporum armorumque, & ſcuta partim lateribus applicata; partim capitibus ſuperlata. Uſi ea Romani in triplici diſcrimine, in *Oppugnando*, *Pugnando*, *Repugnando*: unde & *triplex* teſtudo.

In *Oppugnando* fuit, cum ſcutis ſuper capita elatis muro ſuccedebant, primis altioribus, & ordine paulatim, tecti ſimplicis in morem, decreſcente. Cauſa, ut tela injecta per proclive laberentur, & minus inſidere poſſent aut infigi. In has ergo teſtudines manipulatim aut centuriatim ſe conglobabant. Hujus teſtudinis finis unus, ſuccedere & ſubruere: alter, ſuccedere & aſcendere. Nam aſcendebant alii ſuper alios, ut faſtigio altitudinis muri æquarentur. Id Tacitus vocat *Iteratam teſtudinem*, & quaſi duplicatam, imo etiam tertii ſuper duplicem illam ſeriem aſcenderunt.

Teſtudo altera in *Pugna* eſt, cum globo facto, & tecti ſcutis, ſic invadebant ac perrumpebant. Ea denſatio firma utiliſque fuit in equitatum repellendum. In hac autem ſecunda teſtudine nec latera ſemper tecta, item ſubſeſſio illa & inclinatio per gradus.

Tertia Teſtudo eſt in *Repugnando*, cum ab equitatu aut levi armatura cincti, huc decurrunt, ut in orbem ſe muniant, mediis altioribus, extremis undique deſidentibus. Accuratiſſime hanc deſcripſit Dio, *lib.* 49. his verbis: *Teſtudo talis eſt, & fit hoc modo: Impedimentis & levi armatura, & equite omni in medium acceptis, gravis armaturæ pedites illi, qui oblongis & in tubi dimiati modum factis ſcutis utuntur, in extremis partibus pro muro ponuntur,*

ponuntur, & reliquos omnes ipsi extra spectantes ambiunt. Cæteri, qui latiora scuta gerunt, in medio densi locantur, & scuta cum super se, tum super alios tollunt, ut in tota phalange non aliud sit, quàm scuta cernere, & à telorum jactu omnes tutos esse, ob densitatem instructionis. Adeo enim valide firmant, ut & super eam homines aliquot ingredi possint: imo etiam equi & currus agi, quoties in cavo & angusto aliquo loco constipantur. Hæc est forma ejus instructionis, & nomen à testudine cepit, ob firmitatem, & quia optime tegit. Usus autem duplex. (Illum pugnæ omittit, quia rarus Romanis.) *Nam & in oppugnanda munitione aliqua subeunt, & sæpe in ipsum murum quosdam attollunt: aut circumventi à sagittariis, inclinant se omnes simul:* (nam & equi docti sunt in genua submittere se & inflectere) *& sic opinionem hostibus defatigationis suæ præbentes, iis appropinquantibus, statim terrore injecto, consurgunt atque incurrunt.*

De Scalis.

Præter Testudinem *Scalæ* etiam communiter admotæ. Harum inventio ad Capanea refertur, qui Thebas sic invadere conatus, à Jove fulmine repulsus est.

Varia autem sunt Scalarum genera: Quædam *Compactiles*, id est, quæ aut pluribus partibus constant, ut plicari rursumque explicari possint; aut ipsi gradus removeri & recondi quasi in vaginam, stipite coëunte. Appianus κλίμακας πηκτὰς, sive *plicatiles*, appellat. Plutarchus διαλυτὰς, *solutiles*, quas Aratum apparasse ait, cum de Sicyonis arce invadenda cogitaret, & recondidisse in arcis quibusdam thecisque rusticis, quas *Achanas* dicebant. Nam transferri istæ sine suspicione poterant, & minore etiam molestia; atque is finis. Sed fuere præterea *Cariaceæ*, quæ sunt instar utrium, consutæ è corio, & inunctæ sævo aut adipe circa suturas, ne evaporent; eæque erigebantur ad murum spiritu inflatæ, & dabant ascensum. Erant item *Reticulatæ*, aut *Stuppeæ*, quæ ex funibus stuppeis instar retis contextæ, ad quarum summitates hami adjecti, ut murorum pinnas apprehenderent. Hæ eædem vocatæ *Nauticæ*, quia nautæ fere id genus scalis utuntur. In Herone sunt & aliæ Scalæ, quas ipse *Spectatores* vocat, basi accuratiore instructæ, ita ut erigi possint & attolli, & in supremis iis aliquis constitui, qui spectet quid in urbe agatur, is enim earum finis, & inde Spectatorum nomen. In eodem aliæ sunt Scalæ rotis impositæ, iisque procedentes, quibus supremis pons adhæret, qui è propinquo injicitur in muros.

Sunt & alia, quæ etsi non formam, tamen usum Scalarum habent, ut *Tollenones* & *Sambucæ*. Est autem *Tolleno*, quoties una trabs in terram prælte defigitur, cui in summo vertice alio transversa trabs longior, dimensa medietate, connectitur, eo libramento, ut, si unum caput depresseris, aliud erigatur. In uno ergo capite,

cratibus sive tabulis contexitur machina, in qua pauci collocantur armati, tunc per funes uno depresso attractoque capite, alio elevati ponuntur in murum. Res facilis, & traxit originem ab instrumentis, quibus aquam haurimus, pondera navibus educimus, quæ *Grues* aut *Ciconias* dicunt. Huc quoque adhibetur *Sambuca*, cujus usus maxime in navibus: dicta à similitudine Musici instrumenti, quod erat forma trigoni, *Sambuca* dictum. Nostra autem Sambuca ita fiebat, formata ex Polybio: *Scalæ fiunt latitudine 4 pedum, altitudine quanta muris sufficit & pariare potest. Earum duo latera pluteis muniunt, superne loriculis tegentes. Has deponunt in latus, & reclinant super navium proram, longe super rostra eminentes. In malis autem navium aptata trochleæ, in iis funes, quibus funibus, cum opus est, ad caput scalarum religatis, ii qui in puppe, attrahunt eas, & attollunt. Sed & in proris quidam adjuvant sublationem, fulcris aut tignis subrigentes. In supremis porro scalis est tabula, cujus tria latera cratibus muniuntur, in quam veluti turriculam viri 4 conscendunt, per dictas scalas, & in muros insiliunt, cratibus remotis: alii deinde consequuntur.*

De Cratibus.

Quartum in subita oppugnatione, sunt *Crates*. Hæ in duplici usu: sive ut tegerent antelatæ: sive ut fossas iis explerent, & mixto aggere quasi per pontes irent. Crates autem, quibus fossas explebant, non fuerunt elaboratæ ad modum illarum stabilium, quas in obsidione defigebant; sed leviores: fortasse nec tecto aut lateribus, sed simplici textu vimineo, quem ante se ferebant. Sane aliæ accuratiores, *Vineæ*, quibus in obsidione diutina maxime usi.

De Vinea.

Vinea à similitudine veræ illius dicta, quæ jugata, & in rectum allevata. Sub illa quia considere fas, & altera sic clausa; hæc quoque militaris nomen sumsit. Talem dat Vegetius: *E lignis levioribus machina colligatur* (nempe quia transferri opus; & à militibus moveri: hinc ad illum motum indicandum, *Vineas agere, procedere, proferre*, dicebant: nam eminus paratæ, paulatim admovebantur ad oppidum, sive ut sub iis Arietem admoverent, sive subruerent muros) *alta pedibus* 8, *lata* 7, *longa* 16. (totam magnitudinem si consideras, dixeris duplicem virorum seriem sub ea stetisse, quinos & quinos.) *Hujus tectum duplici munitione, tabulatis cratibusque contexitur. Latera quoque vimini sepiuntur*, (atque hæc præcipua ejus materies & tegmen, ideo Græci γέῤῥα dicunt: interdum tamen, si plura aut graviora in oppido tormenta, nec vim sufferrent hæ craticeæ, faciebant è crassiore ligno: hinc Cæsar vocat *Porticum*: quia species ea longior) *ne saxorum telorumque impetu penetrentur. Extrinsecus autem, ne immisso concrementur*

mentur incendio, crudis ac recentibus coriis vel centonibus operitur. Cum plures factæ fuerint, junguntur in ordinem, sub quibus subsidentes (quia is fere latentium caventiumque habitus) *tuti ad subruenda murorum penetrant fundamenta.* Vineis *Plutei* assident.

De Pluteis.

Plutei fuere olim è tabulis & asseribus, quod ipsa vox dicit; nam id *Plutei* Latinis: & distincti erant à Cratibus, & Vineis. Postea faciebant Pluteos è cratibus, corio intentos. Formam describit Vegetius: *Plutei dicuntur, qui ad similitudinem apsidis contexuntur è vimine, & ciliciis vel coriis proteguntur, ternisque rotulis, quarum una in medio, duæ in capitibus apponuntur, in quamcumque partem admoventur, more carpenti.* Cedrenus *Lesas* appellat, sub id ævum etiam *Spalionæ* dictæ. Hæc sunt nomina, res eadem, & finis suffodiendi muros.

De Testudine triplici.

Jam dictis vicinæ sunt *Testudines*: imo eo nomine inferiores Scriptores etiam Vineas & hæc talia comprehendunt: faciunt generare Testudinum nomen in machinas omnes has tegentes. Harum plura genera & formæ: sed præcipua tria, quæ proprie *Testudines* dicuntur.

Prima quæ Græcis χελώνη χωστρὶς, Vitruvio *Testudo ad congestionem fossarum*; quadrata fuit, habens quoquoversus latera singula pedum 25. *Altera* est, quam ὄρυγα Græci agnominant, Vitruvius, *Testudinem ad fodiendum comparatam*, fossoriam, sive rostratam nam frontem habet, quemadmodum anguli trigonorum, ut à muro tela, cum in eam mittantur, non planis frontibus excipiat plagas, sed ab lateribus labentes, sine periculoque fodientes, qui intus sunt, tueatur. *Tertia* denique *Arietaria*. In qua Aries suspenditur.

De Musculo.

Inter subitæ oppugnationis instrumenta fuit etiam *Musculus*: differt à Vineis, Pluteis, cum forma, tum modulo, & firmitate. Exiguus enim est, &, muris quasi facie, oblongior, sed lignis validis structus, & ne perfringi desuper possit. Dictus *Musculus*, quia instar ejus animalculi foderit sub eo terram: aut quia milites, ut mures, cavum id subirent. Vegetius cum testudinibus miscet, quarum finis æquare. Cæsar alium à Vegetiano diversum describit, cujus hanc tradit formam: *Duæ primum trabes in solo æque longæ, distantes inter se pedes 4 collocantur, inque eis columellæ pedum in altitudinem 5 defiguntur. Has inter se capreolis molli fastigio conjungunt, ubi tigna, quæ musculi tegendi causa ponant collocentur. Eo super, tigna bipedalia injiciunt, eaque laminis clavisque religant; ad extremum musculi tectum trabesque extremas, quadratas regulas, 4 patentes digitos defigunt, quæ lateres, qui super musculo struantur, contineant.* (Istas regulas hodie *Latas* dicimus.

dicimus. Sunt directa & tenuiora ligna.) *Ita fastigiato atque ordinatim structo, ut trabes erant in Capreolis collocatæ, lateribus lutoque musculus, ut ab igne, qui ex muro jaceretur, tutus esset, contegitur.* Et paulo post, *Interim sub musculo milites Vectibus infima saxa turris hostium convellunt.*

De Vectibus & Dolabra.

Quid sint *Vectes*, quæ eorum vis & forma, non ignotum. Græci *μοχλία*, vel *μοχλὺς* vocant. Et sunt pali è ligno aut ferro, ad onera sublevanda aut promovenda. Vitruvius & torculari vertendo adhibet: eumque, qui vecte immisso torquet. *Vectiarium* dicit. Si è ligno essent, lingula e ferro in altero capite addi soler, atque hos tales *Lingulatos* dixere, sive *Rostratos*. Utebantur & ad muros subruendos, sed ferreis haud dubie. Hinc *Vecticularia vita* dicitur eorum, qui vectibus parietes perfodiunt furandi gratia. Inter exercitia etiam militaria erat, in vecte robur ostentare. Et utiles sane isti ad lapides, prægrandes emovendos emoliendosque, uti sæpe in veterum muris. Ubi minores aut infirmiores, Dolabris magis hoc peragebant.

Dolabra autem distincta à Securi, licet forma sit securis, sed unica & simplici acie, parte altera in mucronem acuminata, quæ serviebat maxime muris diruendis, ut Securis vallo & lignis cædendis. Eo sensu Corbulo dicebat, *Hostem dolabra vincendum esse*, id est, opere & munitionibus.

LIBER II.

DE OPPUGNATIONE DIUTURNA.

D*iuturna* oppugnatio admota, ubi *subita* non successit: & aut artibus ingeniisque vincendi hostes, aut longa fame domandi erant. Sed hanc exspectare anceps, arduum, & ideo ad majora OPERA, & TORMENTA, conversi.

DE CIRCUMVALLATIONE.

Inter *Opera* primum CIRCUMVALLATIO. Ea solenniter olim adhibita Græcis Latinisque, cum premere obsidio munitionem aut locum vellent. Causa justissima: claudere enim prius opus erat, ne nuncii, cibi, auxilia intrarent; tum & ne quis exiret: sed etiam ut sese obsidentes munirent contra subitas eruptiones. An & causa etiam aliqua, terror? certe enim metum, aut & desperationem concipiant, necessum est, qui vident sic arcte se claudi;

&

& quamquam cætera adſunt, cogitatio tamen illius carceris nocet, tum & fiducia aut pertinacia hoſtilis. Ergo plerique olim circumvallabant, ii quidem, quibus, cura aliqua bonæ militiæ, aut artes. Græcis ſæpe nominatur ἀποτειχισμὸς, καὶ περιτειχισμὸς & ii quoque accuratè uſi. Veteres eorum hiſtorici πλίνθους καὶ πλινθία ad hos muros ſtruendos adhibent, id eſt ; *lateres aut laterculos*, ſed crudos ſcilicet : nec ratio aut otium fuiſſe videtur ad excoquendum. Fuere igitur ut Romanorum ceſpes. De Romanorum Vallo alibi diximus; nunc addo, non ſimplicem ſæpe hunc murum fuiſſe, ſed duplicem, contra exteriorem etiam hoſtem. Si enim auxilia metuebantur, & vis aliqua major, ipſi ſeſe includebant, ne ſubito adventu aut impetu poſſent ſuperfundi. Hoc in obſidione Platæenſium factum deſcribit Thucydides. Mira etiam fuit P. Scipionis Minoris obſidio, qua Carthaginem cinxit, ut ſcribit Appianus in Libyco. Sed Cæſar ille Julius, qui in omni re militari ſuper omnes, etiam in iſta fuit. Adſumatur una nunc Aleſiæ obſidio, in qua res geſtæ, quantas audere, vix hominis ; perficere, pene nullius, niſi Dei, eſſet.

Opus igitur illud tres habuit partes. INFERIOREM MUNITIONEM, EXTERIOREM, tum CIRCUMVALLATIONEM his interjectam. Hæc autem poſtrema habuit has partes : 1. *Vallum.* 2. *Loricam.* 3. *Cervos.* 4. *Turres.*

1. *Vallum Circumvallationis.*

Vallum fuit pedum 12. Quid vero in ejus ſtructura fuerit, diximus in *Militia*, ſupra 113. Nunc addo, nomen aliquando variare, & *Brachium* appellari. Cauſa nominis, quod ejuſmodi valla in brachium & cubitum fere curvantur : unde & à Græcis ἀγκῶνες dicuntur, ſive & σκέλη, *Crura.* Alioquin flexus illi etiam & ſinus terræ, *Brachia* ſimili cauſa appellantur.

2. *Lorica valli.*

Pars ſecunda Valli, *Lorica.* Ea vox varia ſignificatione innotuit : pro tegmine pectoris militari, ut frequentiſſime : pro tegmine aliarum etiam rerum, aut inductione per traductionem ab illa militari, quæ corpus amplectitur & tegit. Paulatim longius itum, & objectio aliqua aut tegmen nobis antepoſitum, ſive munitiuncula, *Lorica* dicta. Ita muruli in ambitu, minores valli minuſque lati ; ſed & è cratibus, aut tabulis pluteiſque ſepimenta, in hoc nomen venere. Sed & alia ambitio aut περίβολος ſic dicta, ut ſtructura illa ſupera ædium ; quam quidam e Latinis *Loriculam* dixerunt, Græci στεφάνην, qua ſolaria ſua ambiebant & cingebant, contra caſum aut delapſum. Nam plana tecta eorum eſſe ſolebant, ad apricandum aut inambulandum ; atque in orbem iſti muruli quibus innitentes fas erat deſpicere. Davidi hoc factum, quem ſacræ literæ aiunt deambulaſſe in ſolario domus regiæ, & vidiſſe lavantem illam, quam in omni vita pœnituit vidiſſe. Pro vallo autem aut terreo murulo, crebro apud veteres. Sed & legitimum ipſum Vallum,

lum, ſudibus turribuſque inſtructum, Vegetius vult ſic dictum. *Loricam* item de cratibus & viminea ſæpe, item de Pluteis intelligit Cæſar. Interdum & lignea fuit. Atque hæ Loricæ murorum vallorumque, ſunt pinnis diſtinctæ, ἐπάλξεις Græcis προμαχῶνες, & creberrime Latino ritu θώρακες, ſive θωράκια. *Loricæ* aut *Loriculæ* dictæ.

Majores has tenuerunt, & paulum modo vetuſtiores muri noſtri Europæi habent, idque cum diſtinctione iſta pinnarum. Hodie omitti placuit pinnas, ob infirmitatem, etſi Loricas tenemus, & noſtro verbo *Parapettos*. Hæc in humili vallo fuit paulo humilior, grandiuſcula in altiore.

3. *Cervi.*

Tertia Valli pars, *Cervi.* Non ii quidem in omni vallo erant. Et ſunt ramoſi trunci arborum, in faciem & ſimilitudinem cornuum cervi: atque ii firmiores alias, alias infirmi. Iſti teneriores & infirmi. *Cervoli* dicebantur, verbo diminuente.

Utebantur his in vallo ſtruendo, ad terram coërcendam adſtringendamque, identidem interjectis. Nos hodieque facimus: quod tamen, ubi legimus denſuſque ceſpes, vix opus. Et minorum hic uſus: majorum diverſus, & fere duplex. Receptiſſimus iſte, ut truncos illos firmiores in terram depangerent, & varie ſererent, itineri impediendo aut obſtruendo. Fuere foſſæ & valli, & ante ea Cervi iſti. Amburi ſolebant, ad robur & duritiem, & ſimul acumen, ut in ſudibus præuſtis. Atque is prior uſus, & creber: alter, qui in Cæſare, rarior; ut eminerent in exteriore vallo, inſerti inter loricam ligneam & aggerem ipſum, ſimplicis coronæ in modum, ſicque aſcenſum hoſtium tardarent. Agreſtes noſtri ſpineas ejuſmodi projecturas in loricis terreis eidem fini uſurpant.

In Virgilio *Cervi* etiam leguntur; ſed pro arborum truncis longioribus, iiſque furcatis, quibus tranſverſa tigna injici poſſent, ad ſuſtinendum. Fit in tuguriis, & rudi opere ruſticorum.

4. *Turres.*

Pars Valli quarta, *Turres*; quæ toti operi circumdatæ, intervallo inter ſe pedum 80. Atque hæ diverſæ turres erant ab iis, quas poſtea dicam, mobilibus: fixæ enim iſtæ, & minus operoſæ, minuſque etiam altæ. Julianæ ſane crebræ fuerunt; & calculus evincit, fuiſſe in 11 milliarium ambitu ad 687. Quid in ambitu exteriore 14 milliarium?

INTERIOR MUNITIO.

Ea comprehenſa eſt in latitudine pedum 400. ab oppido caſtra verſus, & habuit has partes: 1. FOSSAS. 2. CIPPOS. 3. LILIA. 4. STIMULOS.

1. *Foſſæ.*

Foſſæ fuerunt tres. Prima, ſub ipſum oppidum ad radices collis, pedum 20 directis lateribus. Ab hac pedum 400 ſpatio, duas iterum

foſſas

fossas duxit, sub ipsis castris, 15 pedes latas, eadem altitudine. Ex duabus autem istis ultimis, alteram interiorem, campestribus ac demissis locis, aqua ex flumine derivata, complevit.

2. *Cippi.*

Totum deinde illud spatium 400 pedum varie fuit impeditum. Prima *Cippi* ibi defixi. Nam *truncis arborum, aut admodum firmis ramis accisis, atque horum delibratis* (melius *dolabratis*) *ac præacutis cacuminibus, perpetuæ fossæ quinos pedes altæ ducebantur: huc illi stipites demissi, &, ab infimo revincti, ne revelli possent, ab ramis eminebant. Quini erant ordines conjuncti inter se atque impliciti: quo qui intraverant, sese ipsi acutissimis vallis induebant. Hos,* Cippos *appellabat.* Hæc Cæsar.

3. *Lilia.*

Ante Cippos obliquis ordinibus in quincuncem dispositis, scrobes trium in altitudinem pedum fodiebantur, paulatim angustiore ad summum fastigio, (imo, *ad infimum*: scrobes nempe ita factæ, ut patula rotunditate, paulatim angustarentur coirentque ad imum.) *Huc teretes stipites, feminis crassitudine ab summo præacuti & præusti dimittebantur, ita ut non amplius 4 digitis ex terra eminerent. Simul confirmandi & stabiliendi causa singuli ab infimo solo pedes terra exculcabantur,* (ex tribus ergo illis pedibus altitudinis, tertius ab imo deperiit, terra aggesta ad stabiliendum stipitem, & circa eum stipata & exculcata, *reliqua pars scrobis, ad occultandas insidias, viminibus ac virgultis integebatur* (ut summam oram foveæ texerint ei superstrata: imo & herbidus cespes super ea virgulta, ad magis occultandum stylum: qui etsi 4 digitos eminebat, tamen facile hac tali materie celabatur.) *Hujus generis octoni ordines juncti, ternos inter se pedes distabant. Id ex similitudine floris,* Lilium *appellabant.* Aspicit similitudo totam foveam superne expansam, jacentemque in orbem, cui medius deinde stipes inseritur: atque id est velut Lilium patens, cum stamine suo aut stylo. Festus id *Cæcum vallum* dixit. Alii passim *Stylos* vocant.

4. *Stimuli.*

Quartum in hac area opus, *Stimuli.* Non enim contentus Cæsar dupliciter impedisse iter, hos quoque addidit; *& ante Lilia, taleæ pedem longæ, ferreis hamis infixæ, totæ in terram infodiebantur, mediocribusque intermissis spatiis omnibus locis disserebantur: quos* Stimulos *nominabant.* Et notandum, totum opus per gradus crevisse, primo minoribus Taleis, mox majoribus Liliis, maximis denique Cippis: crevisse dico, aspectu eorum qui invasissent.

EXTERIOR MUNITIO.

Munitio exterior fuit eadem, facies modo diversa: & hæc hostem spectavit, ut illa oppidanos. In hac ergo tot iterum Fossæ, Vallum alterum, Turres, denique Cippi, Lilia, Stimuli: omnia hic, aucto ambitu, auctiora.

Tale

Tale opus Cæſar 10 legionibus haud longe ſupra 30 dierum ſpatium fecit. Exitus quidam ad frumentationes, pabulationes, equationes, alioſque uſus relicti in caſtellis. Nam in ea circumvallatione 23 caſtella, id eſt, parva quædam caſtra fuerunt, in his cohortes aliquot militum, & velut corpora, contra vim & incurſum. Inter exterius & interius vallum fuit intervallum 954 paſſuum; propemodum milliari uno, ut ſcilicet equi laxius haberentur, & pabulum etiam iis eſſet: tum denique ob calones, lixas, & id genus, quos probabile multos fuiſſe. Sic vallum interius habuit in ambitu 11 milliaria, exterius 14.

DE AGGERE.

Clauſum habemus hoſtem, nondum oppugnatum. Ut id fiat, Opera alia ſtruenda ſunt: in primis AGGER. Is fuit terreus quidam, & alia materie mixta, mons & elevatio: quem paulatim verſus urbem producebant & attollebant, ut ex alto pugnarent, & *Turres* ibi conſtituerent, ſed & *Tormenta*. *Agger* vocabatur ab ipſa re: quia aggerebant & cumulabant: poſterior ætas *Aggeſtum* dixit, ſed & alio genere, *Aggeſtus*. E terra, lapide, ligno, congeriem ſtruebant: Virgulta etiam & faſces maxime hic uſui, ſive ad implendum & attollendum, ſive ad ligandum. Itaque & *Aggeris* voce, hæc ſæpe intelligebant. Imo videbatur vix ſtrui ſine iſtis. Arbores quoque requirit Agger, non ob virgulta ſolum, & tenuia ramorum, ſed ob ipſos truncos: quia illa in mediam molem ſtipabant; hos & ad latera applicabant, firmando & coercendo. Struebant enim latera, & cancellatim tignis directis tranſverſiſque varie ligabant. Unde *Stellatos axes* vocat Lucanus, quod tranſverſi & decuſſati, radiorum aut ſtellarum aliquam faciem referrent.

Aggeres vulgo alti, & id fere pro muris, in quos ſtruebantur: nam æquare aut ſuperare debebant, & ſæpe muris plane admoti ſunt, ut e propinquo pugnarent. Apud Cæſarem legimus Aggerem altum pedes 50, latum pedes 300. In oppugnatione Maſſadæ, caſtelli Judææ, ſitu & opere mirifice muniti, Agger erectus fuit, cujus altitudo 310 cubitorum.

Admovebant autem muris paulatim & progrediendo. Nam latera vinciebant claudebantque lignis: ſed antrorſus & urbem verſus pars ea manebat aperta. Aggerebant igitur paulatim & promovebant, in foſſas ipſas, denique ad muros. Dum id fieret, nihilominus Turres in aggere impoſitæ, quæ adminiſtrantes aut operantes tuebantur: ſed eæ quoque cum aggere paulatim procedebant. Scite tergum & cauda aggeris humilior fuit, & in clivum, frontem verſus, aſſidue ivit. Qua in re interdum factum, ut Agger, ſi parum firmatus aut denſatus, prolaberetur in foſſas. Sed cavebant ſcilicet, & virgultis aut lapidibus idemtidem adfirmabant.

De

De Turribus mobilibus.

In Aggere *Turres*, & ſtatim ab eo ſtructæ, imo & tunc, cum is nondum perfectus: & tutelæ operis miniſtrorumque cauſa imponebantur. Vineæ enim primum factæ, ut ſub iis commeare miles & aggerere poſſet: ſuper eas (id eſt, altius quam eæ) ipſe Agger, & in eo denique Turres. Hæ igitur ſtatim ſtructæ, ſed paulo ab urbe longius, & ne tela vitiarent aut impedirent. Gallis, Indis, Barbaris, ignotæ, & ſtupori erant qui divinum quid eſſe rati. Enimvero apud Græcos, aut certe Siculos, reperta primum res. Ideo caute capiendus Athenæus, qui non dicit, Diadem primum reperiſſe turres *ambulatorias* ſimpliciter, ſed τὰς φορητὰς πύργους, id eſt, eas quæ circumferri poterant, ſolutiles, (has forte Appianus vocat ἐπτυγμένους, *plicatiles*; quia per partes ſcilicet tollebantur, ponebantur, reponebantur: nec enim ad illas, quæ pegmatum modo deprimebantur attollebanturque per cochleas, puto reſpexiſſe Appianum.) Nam ſimplices *ambulatoriæ*, aut *ſubrotatæ*, ſane jam ante inventæ in Sicilia. Hæc igitur inventio non ipſarum Turrium, (fixæ enim illæ jam diu innotuerant, in oppidis, in caſtris) ſed *mobilium*, & quæ rotis agerentur.

Agebantur rotis ad minimum 4, ſed & 6, aut 8. etiam ſubditas, prout turrium modus eſſet, legimus. Et oportebat ſane humum æquabilem denſamque huic rei eſſe. Actæ igitur rotis, ſed latentibus & internis, aut certe interius movendis. Hoc ideo, ne telis hoſtium, qui agerent, exponerentur, & turris tueretur ſuos motores: à tergo tamen quidam appliciti, qui propellerent; & licuit, quia non illinc metus.

Turres autem triplices, Majores, Minores, Mediæ. *Minores* erant 60 cubitorum in altitudine, baſi quadrata: unumquodque latus 17 cubitorum: 10 tectorum: ſupremum tectum quintam partem baſis habebat. *Majores* autem & harum ſeſquialteras, 15 tectorum faciebant, in altitudine cubitos 90. Iterumque duplas, quæ 20 tectis conſtarent, altas cubitos 120, latas quaquaverſum fere 24. Sed turres in tot tabulata non æqualiter ſurrexerunt, ſed inſtar Phari Ægyptiacæ, paulatim & per ea ſingula decreverunt: qui modus ſane aptior in ſpeciem, in ſtabilitatem, in motionem. Proceritas autem ipſarum tanta fuit, ut non ſolum muros, ſed etiam turres lapideas altitudine ſuperarent. Latitudo non ad normam artis adſtricta, ſed pro temporibus, & voluntate ſtruentium mutata. Tecta vero ſive Tabulata, quæ & *Faſtigia* & *Vertices* dicuntur, plerumque plura in turribus, ut defenſores plures imponerent, tum ut Tormenta, ſed non maxima, Scalas, Pontes, & talia ad invadendum.

Frontes harum turrium ferratæ erant, munimen contra ignes. Cum enim præcipuum in eas remedium & repugnatio eſſet, per jacula ignita, faces, malleolos, murices: repertum, ut totæ ferro tegerentur, aut certe à triplici latere: ſic enim ſtabiliores ob pondus,

&

& igni incorruptibiles. Alia quoque materia turribus interdum circumdata; scilicet centones, coria, floreæ, & hæc de more.

De Pontibus.

Vulgatæ & notæ Pontium formæ apud Romanos. Nos rariores aliquot dabimus. Et primo hanc, qua sæpissime usi in fluminibus transmittendis, ponte e navibus facto. Bella inventio, & Eunapius scitissime depingit. *Latæ jacentesque sunt naves, quibus fluvius jungitur. Sursum autem paulum in statione sunt supra locum eum, ubi pontem facturi sunt. Atque ubi signum datum est, unam solam è navibus dimittunt prono flumine ferri, juxta suam & amicam ripam. Ea ubi ad locum jungendum & ponti destinatum venerit, corbem plenum lapidibus in flumen jaciunt, alligatum fune quodam, velut anchoram; quo navis devincta juxta ripam consistit, & sternitur tabulis tignisque, quæ affatim ipsa navis vehit. Et statim ita ad finem descensumque in terram usque constrata est. Deinde vero aliam demittunt, paulo ab ea remotam, aliamque ab ista, donec in adversam ripam perduxerint pontem. Quæ autem hostili ripæ navis objacet, ea & turres habet, & portulam, & sagittarios, & catapultas.* Sed Hispani ritu gentico, leviori etiam opere, inflatis utribus incumbentis, solent tranare, quod & Romani interim fecere: & Græci usi. Stramentis etiam & aridis sarmentis utres impleruntur. Ita fiebat: Utribus junctis, lapides iis appendebant, quos velut anchoras demiserunt. Denique toti operi sarmenta cratesque injecerunt, & terram superstraverunt. Pontem simili junctura Romani voce Græca dixerunt Ascogephyrum, quasi *Pontem utrinum.* Sed usi ad hanc rem & cuppis interdum, sive inanibus vasis. Huc quoque refertur Pons ille nobilis, quem Julius Cæsar in Rheno struxit.

LIBER III.

DE TORMENTIS.

SEquuntur TORMENTA; & inter ea præit *Aries,* tum *Catapultæ* excipiunt, *Ballistæ, & Scorpiones.*

De Ariete.

Origo *Arietis* vetus, sed parum certa, cum pars ad Græcos, & Epeum; pars ad Tyrios sive Carthaginenses referant: vel ipsa ratio aut natura commonstravit. Certe qui impetum facere in fores aut objectum aliquid vult, cubito id facit, aut pedis impulsu. Ab eo exemplo tignum in auxilium assumptum: & nostri protervi aut ebrioli in foribus perfringendis quotidie usurpant. Ubicumque autem,

autem, sic dixere à similitudine & reciprocatione ictus arietini. Dixit deterior ætas *Carcamusas*, à sono fortassis. Eadem autem sequens, etiam *Cancrum*. An à similitudine aliqua fabricæ? an quia identidem retro iret?

Aries iste non uniformis aut simplex, sed *triplex* fuit. Est *Rudis*, & à prima inventione, quem manibus lacertisque validi homines sustinent & agunt. Est *Compositus*, qui trabem quoque alteram jungit & statuit, à qua pendulus, vi majore, conatu leviore libratur. Hic in plurimo usu, & inter Romanorum opera ex professo Josephus descripsit. *Est*, inquit, *Aries, trabs prægrandis, quæ malum navis adsimilat.* (Imo ex ipsis malis navium interdum lecta & adsumpta; genus verò abies vel ornus: longitudo 80 pedum. Vitruvius & Græci formant pedum 106, imo & 120.) *Is solidatur in capite gravi ferro, in arietis formam, unde & nomen adsumpsit.* (Caput arboris ferro tegitur, & affigitur laminis paulo longius: antrorsus in acumen producitur, quod *Cornu* Hegesippus dixit; Græci ἐμβολὴν, sive *Rostrum*; iidem communius & κεφαλὴν, sive *Caput*, sicut Latini: & fuit interdum trifidum, quadrifidum in mucrone, ut solent navium rostra. Finis & opus præcipuum Arietis fuit, cum grandiores firmioresque lapides, more prisco, muris inderentur, juncturas penetrare ac findere, & lapides emoliri.) *Dependet medius funibus suspensus ex alia trabe,* (vel etiam catenis) *velut trutina; quæ trabs tignis utrimque firmis munita est & fulta. Repulsus porro magna virorum manu retrorsum,* (quantam scilicet admittebat longitudo: sed recens manus manui succedebat, eratque perpetuus is ictus) *iisdemque antrorsum statim & cum impetu reflectentibus, quatit muros prominulo ferro. Neque est ulla turris tam valida, aut mœnia tam lata, quæ ut primas maxime plagas tulerint, sustinere, & subsistere assiduas eas possint.* Ideo Diaconus *Exterminatorium instrumentum* dixit: quia is admotus signum erat perdendæ urbis; uti hodie mos, aut lex est, durius in eos consuli, qui tormenta exspectarint: sic olim qui arietem. Circa hunc Arietem compositum alius etiam labor & cura: Nam & cratibus tegebant, & coriis, contra jactus aut ignes. Etsi pro his tegumentis receptum etiam, ut solida testudine totus Aries tegeretur. Atque ea forma est tertia, *Testudo arietaria*, vel *Testudo, aries* dictus. Hunc quoque Carthago reperit.

Aliud instrumentum, ad muros diruendos describit Athenæus, quod *Terebra*, Græcis τρύπανον dicitur. Est autem gladii aut mucronis quædam similitudo, quo muros perfodiebant. Romani ea non usi.

De Catapulta.

Duplex instrumentum priscis, quo in hostes emitterent & jacularentur; altero, tela vel grandiores sagittas; altero, lapides & saxa. Id prius *Catapultam* dixere, posterius *Ballistam*: alii postea confudere.

Catapulta Græce dicitur καταπέλτης, ἀπὸ τῆ πέλτης, id eſt, *haſta & jaculo.* Erat autem machina, quæ tela & ligna jaciebat, quamquam alii & pro inſtrumento ſaxi jaculo ponant. Nam vox Catapultæ paulatim in deſuetudinem venit, & pro ea *Balliſtam* dixere, quæ antiquis non niſi ſaxa jecit. Repertam Catapultam à Syris, refert Plinius: Græci Siculis adſcribunt.

Fuerunt duplices Catapultæ: *Majores* & *Minores.* Illæ, quæ telum fere 3 cubitorum emitterent: iſtæ, quæ dimidiatum. *Telum illud *Triſax* dictum. Græci vero minores Catapultas vocant τρισπιθάμους ὀξυβελεῖς, quia tela 3 ſpithamarum, id eſt, 36 digitorum, jaciebant. Interdum tamen & machinæ, & tela grandiora, imo non tela, ſed tigna, & aſſeres 12 pedum, imo 12 cubitorum, & ad ſtadii ſpatium, jaciebant. Nihil ergo mirum, ſi plures homines ſimul penetrarint.

Formam Catapultæ, ex ligno, ferro, nervo fabrefactam, ita deſcribit Ammianus: *Ferrum inter axiculos duos firmum compaginatur & vaſtum, in modum regulæ majoris extentum, cujus ex volumine tereti, quod in medio ars polita componit, quadratus eminet ſtylus, extenſius recto canalis anguſti meatu cavatus, & hac multiplici chorda nervorum tortilium illigatus, eique cochleæ duæ ligneæ conjunguntur aptiſſime: quarum prope unam aſſiſtit artifex contemplabilis, & ſubtiliter apponit à temonis cavamine ſagittam ligneam, ſpiculo majore conglutinatam. Hocque facto, hinc inde validi juvenes verſant agiliter rotabilem flexum. Cum ad extremitatem nervorum acumen venerit ſummum, percita interno pulſu à balliſta ex oculis avolat, internum nimis ardore ſcintillans.*

De Balliſta.

Priſcis Balliſta ſemper lapidem jecit, nec aliter ante Cæſarem legas, etſi poſteriores variant. Græcanica autem ſtirpe videtur vox, ἀπὸ τῦ βάλλειν, *jaciendo,* & ideo *Balliſtam* gemina conſonante, vel potius Balliſtram, ſcribi melius. Sed quamquam ab iis vox, ipſi vix ea uſi: & dicunt λιθοβόλυς, πετροβόλυς, πετροβολικὰ ὄργανα: communiter magis ἀφετήρια ὄργανα, itemque μάγγανα, aut μαγγανικά. *Manganum* ſane communiter *Machina,* ſed huc transfertur ad violentiſſimam machinarum. Poſterior ætas etiam *Mangam* appellavit: ſed leguntur etiam in avorum aut proavorum hiſtoriis, *Mangonella, Mangonalia, Mangatella.* Item *Bibliam petrariam,* & *Petrariam* ſimpliciter, Balliſtam dici notum eſt.

Jaciebant vulgo, & minoribus Balliſtis, lapides fere centenûm pondo: atque eo ſenſu Lucilio ipſa, *balliſta centenaria* dicitur. At majoribus amplius jaciebant, & vel talenta tria: id eſt, pondo 360. Noſtra iſta fulminea hodie non capiunt aut pervehunt hoc pondus. Igitur non ſolum contundebant, ſed diſtringebant omnia & diſjiciebant. *Tanta autem hujus tormenti vis erat* (ſcribit Hegeſippus)

ut

ut percussus unus ex sociis Josephi, qui propter adstaret, comminuto capite rueret, & occipitium ejus usque ad tertium stadium excuteretur, mulier quoque alvo gravis, percussa uterum, supra dimidium stadii, de intima sede genitalis secreti excuteret infantem. Non solum rotundos lapides istis jaciebant, sed enormes & sepulcrales, imo & molares: quibus domos & ædificia confringerent, & quidquid incidissent. Etiam equorum hominumque cadavera jaciebantur, stercora, fœtoresque alii; sed & plumbei globi emissi, ferrum candens, metallum fusum. Quin muros sive turres concutere iis solebant, & in pugna interdum utebantur.

Formam Ballistæ satis ubertim Ammianus tradidit his verbis: *Dolantur axes duo querni vel ilicei, curvanturque mediocriter, ut prominere videantur in gibbos: hique in modum serratoriæ machinæ connectuntur, ex utroque latere patentius perforati; quos inter, per cavernas funes colligantur robusti, compagem, ne dissiliat, continentes. Ab hac medietate restium stylus exsurgens obliquus: & in modum temonis jugalis erectus, ita nervorum modulis implicatur, ut alius tolli possit & inclinari; summitatique ejus unci ferrei copulantur, è quibus pendet stuppea vel ferrea funda: cui ligno fulcimentum prosternitur ingens cilicium, paleis consertum minutis, validis nexibus illigatum, & locatum super congestos cespites, vel latericios aggeres. Nam muro saxeo hujusmodi moles imposita, disjectat quidquid invenerit subter, concussione violenta, non pondere. Cum igitur ad concertationem ventum fuerit, lapide rotundo funda imposito, quaterni altrinsecus juvenes repagula, quibus incorporati sunt funes, explicantes, retrorsus stylum penes uncinum inclinant: itaque demum sublimis astans magister, claustrum, quod totius operis continet vincula, reserat malleo forti percussum. Unde absolutus ictu volucri stylus: & mollitudine offensus cilicii, saxum contorquet, quidquid incurrerit collisurum.* Et tormentum *quidem appellatur, quod ex eo omnis explicatio torquetur:* Scorpio *autem, quoniam aculeum desuper habet erectus. Cui etiam* Onagri *vocabulum indidit ætas novella, ea re, quod asini feri, cum venatibus agitantur, ita eminus lapides calcitrando post terga emittunt, ut perforent pectora sequentium, aut diffractis ossibus capita ipsa displodant.* In tota hæc paratura duo adnotanda, de *Nervis*, & *Funda*.

Nervi ad omnia hæc tormenta maxime requirebantur: secundo *Capilli*, sic copia eorum non esset. Nam tormenta nihil prosunt, nisi funibus nervinis intenta. Equorum tamen setæ de caudis & jubis utiles, indubitanter vero crines feminarum: illi enim cum tenues sint, longi, multo oleo perfusi, cum plectuntur, vires & intentionem validam accipiunt, ut nec dissonent multum à robore nervorum. Historiæ etiam passim de hoc capillo. Carthaginenses obsessi ad catapultarum intentiones raserunt feminas, aliorum cri-

nium inopia. Romani idem fecere: Nam in Capitolii obſidione, cum nervorum copia defeciſſet, matronæ abſciſſos crines ſuos viris obtulere; & ob hanc memoriam *Veneri calvæ* templum ſtructum fuit. Idem de mulieribus Salonenſibus apud Cæſarem, de Aquileienſibus apud Capitolinum legimus.

Funda, quæ in Balliſta ſive Scorpione ponitur, ſtuppea aut ferrea, receptaculum lapidis fuit, & in qua firmaretur. Et ideo ipſæ Balliſtæ ſive Monangones à nonnullis *Fundæ* vocantur, Græcis σφενδόναι, quas rectiſſime Hieronymus *Fundibula* vertit. Ita enim illo ævo dixerunt.

De Scorpionibus.

Scorpiones Balliſtis jam dictis vicini, ſed tamen diverſi ab his & Catapultis. Deſcribit Tertullianus: *Scorpio ſpiculum & fiſtula eſt, patula tenuitate in vulnus: & virus, qua figit, effundit.* Vegetius *Manuballiſtas*, ait vocari Scorpiones. Vir unus dirigebat, & utebatur, ideo non magni fuerunt. Ut illi ergo parvi, ſic proportione & foramina illa, ac cavi.

De Muris Veterum.

Ut plene & firmiter noſcatur Tormentorum vis, *Muri* Veterum ſunt noſcendi. Hos enim quatiebant & diruebant Arietes illi & Balliſtæ; hos ſub Muſculis aut Vineis diruebant: & neſciemus quo robore ii aut viribus? Caligat omnis machinalis & oppugnatoria iſta res, niſi hæc illuſtratur.

Muri Veterum validi & operoſi faciunt, *Firmi*, *Magni*, *Alti*.

De firmitate ſic Vegetius: *Murus ut numquam poſſit elidi, hac ratione perficitur. Intervallo pedum vicenum interpoſito, duo intrinſecus parietes ædificantur: deinde terra, quæ de foſſis fuerit egeſta, inter illos mittitur, vectibuſque denſatur; ita ut à muro primus paries parum inferior, ſecundus longe minor ducatur, ut de plano civitatis, ad ſimilitudinem graduum, quaſi clivo, molliuſque ad propugnacula poſſit aſcendi. Quia nec murus ullis poteſt arietibus concuti, quem terra confirmat: & quovis caſu deſtructis lapidibus, ea quæ inter parietes denſata fuerit, ad muri vicem ingruentibus moles obſiſtit.* Paulo firmiorem dat Vitruvius: *Interiore parte ſubſtructionis, fundamentum, diſtans ab exteriore introrſus amplo ſpatio, conſtituendum eſt: ita ut cohortes poſſint, quemadmodum in acie, inſtructæ ad defendendum ſupra latitudinem aggeris conſiſtere. Cum autem fundamenta ita diſtantia inter ſe fuerint conſtituta, tunc inter ſe alia tranſverſa, conjuncta exteriori & interiori fundamento, pectinatim diſpoſita, quemadmodum ſerræ dentes ſolent eſſe, collocentur.*

Jam quod *Magni* & *Alti*, ab exemplis aliquot videamus. Appianus ſcribit: *Pyræi muros Athenis (Periclis opus) altitudine fuiſſe 40 circiter cubitorum, ſive pedum 60, ſaxo quadrato exſtructos.* Thucydides de iiſdem. *Latitudine fuiſſe tanta, ut duo currus*

rus juncti inter se vel obvii, per murum transirent introrsus autem neque cæmentum, neque lutum interpositum, sed junctos & coagmentatos grandes lapides, qui secti quadratique essent, eorumque exteriora ferro & plumbo revincta. Dio Cassius: *Byzantii veteris muros fuisse firmissimos, quorum frons exterior grandibus lapidibus constructa, qui crassi 4 pedes erant, lato ferro aut ære inter se vincti.* Herodianus addit: *Adeo tenui & inconspicua junctura, ut nemini compositum opus, sed ex uno perpetuoque lapide videretur.* Voluerunt ergo muros altos, contra turres, machinasque ligneas ad ascensum. Nam muri, quamdiu super eas, tuti erant ab hac pervasione. Firmi igitur, contra Arietes: Alti, contra Turres.

Inter artes munitionum hodie habemus, flexus & sinus in muris facere, ut pateat ad ictus accedens hostis id à veteribus prodit: *Ambitum muri directum veteres duci noluerunt, ne ad ictus arietum esset dispositus, sed sinuosis anfractibus clausere urbes, propterea, quia, si quis ad murum tali ordinatione constructum, vel scalas, vel machinas voluerit admovere, non solum à fronte, sed etiam à lateribus, & prope à tergo, veluti in sinum circumclusus opprimitur.*

Sed & περιτειχίσματα quædam habuere sive *Antemuralia*; quæ fuerunt quasi loriculæ, ante præcipuum murum ductæ. Nec solum loriculæ istæ, sed veri magnique muri plures ducti; ut uno diruto aut capto, alter & alter superessent. Lubet exempla duo dare splendoris atque operis prisci. Prius ex Appiano, de Carthagine, quæ à Romanis capta & diruta. *Murum*, ait, *fuisse triplicem, quorum quisque altus 30 cubitos esset, absque loricis & turribus. Quæ turres 200 pedum spatio inter se distabant, & 4 contignationes singulæ habebant. Ipsi muri fornicati, & capaces: & duplici quasi contignatione facti: in quorum parte ima elephanti 300 stabulari poterant, & adjuncta iis cellæ ac repositoria ad cibos: super eos 4000 equi, item cum receptaculis pabuli hordeique. Viris ipsis ibidem diversoria & habitacula, peditibus 20000, equitibus 4000. Atque hic bellicus apparatus in solis mœnibus erat.* Alterum ex Josepho, de Hierosolymis, superba & valida urbium, quas historiæ celebrarint. *Murus triplex erat: exterior altus 20 cubitos, lorica ejus ternos, pinnæ binos: in totum 25. Lapides in eo plerique, 20 cubitos longi, & 10 lati. In muris turres erant, quæ super ipsos eminebant cubitis 20. atque eadem erat latitudo. Hæc omnia solida, & iisdem lapidibus, quibus muri, structa. At super hanc turrium altitudinem cubicula & cænacula erant, & cisternæ, & lati ad hæc omnia gradus. Ejusmodi turres erant in ei muro 90. intervalla autem cubiti 200, inter singulas.* (Adde turres & portas, fiet ambitus circiter 6 milliarium.) *Murus ipse, in quo erant, in colle fuerat conditus, atque is collis eminebat ad cubitos 30. Mirabilis & lapidum moles: non enim ex latere vul-*

gari, aut ſaxis, quæ homines ferrent, ſtructa erant, ſed è candido marmore: quodque ſaxum, 20 cubitis longum, 10 latum, 5 altum. Ita autem juncta erant, ut unum ſaxum omnia viderentur, ſed manu artificum in angulos & figuras diviſa. Hæc Joſephus.

Qui, & ubi, Machinas fecerint.

De *Machinis* & *Tormentis* pleraque dicta, nondum *à quo, quibusve,* & *ubi* ea facta.

Milites ipſi pleraque fabricarunt: ſic tamen, ut certi iis mixti, qui fabrilem omnem artem ſcirent. Hi tales præformabant dirigebantque opera, etſi milites quoque vulgo adjutarent. His caput unum, & operibus curator exactorque, qui *Præfectus fabrûm* nominabatur. Plutarchus ἔπαρχον τῶν τεχνιτῶν appellat. Hi igitur cum valida illa manu militari, ſubito opera pleraque deſtinabant, & in loco faciebant. Uſi interdum & provincialium auxilio, eorumque ad materiem ſubvehendam jumentis. Sic Sylla cum Athenas obſideret, & mirifica opera moliretur ad Pyræum, 10000 jugorum mularium habuit, quæ ſupportarent ad hunc uſum. Sed & in agmine ac via, horum opera, cum machinas aliquas ſecum ferrent. Conquiri igitur hæc talia & præparari, interdum jam ante ſolebant, alias non ſolebant, at in loco, pro copia, parari.

LIBER IV.

DE TELIS.

TELA, quorum uſus in oppugnando aut repugnando, duplicia: *Lapides,* aut *Ligna.* Illos dupliciter iterum mittebant, aut *Manu,* aut *Funda.* De manuario jactu parum eſt, & natura ac mos docent: nec moneri aliud opus, quam pleroſque veterum uſurpaſſe. Sed de *Funda,* is accuratior, & explicandus eſt.

De Funda.

Funda Latinis dicta, quod ex ea fundantur lapides. De inventione variant. Plinius Phœnicibus tribuit, Strabo Ætolis, communis opinio Balearibus.

Materies Fundæ triplex. *Prima* Melanchræna, quod eſt ſpartum, cujus copia in Hiſpania, eſtque junci acuti ſpecies, atque eo nomine linum & cannabin etiam comprehendimus. *Altera,* pili vel ſetæ. *Tertia,* nervi. Forma talis: Funiculus in medio latior, ovali forma, & paulatim in ſtrictibus abit. At medium & fundus, ut ſic dicam, fundæ circinat. Rotabant enim circum caput, & vires ita dabant, ter, ut videtur, ex arte aut more.

Duo Fundis miſſa, *Lapides* & *Glandes.* Lapides jaciebant minæ pondere, nempe drachmarum 100. Hinc Cæſar dicit *Fundas librales.*

librales. Ad hos lapides, & ut frequentare possent ictum, sacculos pelliceos ferebant iis implendos; magis expedite, quàm ut sinu etiam præ se ferrent. Quod in lapidibus quoque factum. Telum alterum Clandes, atque eæ è plumbo, ideo μολυβδίδες Græcis: & *Plumbeæ* simpliciter Spartiano. *Sphærulas* vocat incertus apud Suidam scriptor. His inscribi aliquando solere, & occulte sic ad hostem mitti, legitur, ut omnia, quæ gererentur, hostes scirent. Appianus ad istam rem tesseras plumbeas quasdam adhibet. Revera autem non istæ communes glandes fuerunt, sed tabellæ magis productæ, & huic rei aptatæ.

Funda variis gentibus in usu, quia prompta, iteratu facilis, tum etiam quia longe & fortiter feriret. Nam sæpe adversum bellatores cassidibus, cataphractis, loricisque munitos, teretes lapides de funda vel substibulo destinati, sagittis sunt omnibus graviores: cum membris integris lethale tamen vulnus importent, & sine invidia sanguinis, hostis lapidis ictu intereat. Ergo per ipsa arma interfecit, etsi sine sangine; quia contusio plerumque & confractio ex ictu lapidis. Glans tamen profecto penetrabat. Quod cum ita sit, telum tamen hoc parum honestum habitum, & junioribus aut vilioribus assignatum. Itaque ipsi Romani raro usi, inter Auxilia habebant.

Præter communem illam Fundam, quæ vulgo in usu, fuerunt etiam distinctæ quædam species; ut *Achaica, Cestrosphendonis, Fustibalus.* De Achaica sic Livius: *Itaque longius certiusque & validiore ictu, quàm Balearis funditor* (loquitur de funditoribus ab Ægio, Patris, & Dymis accitis) *eo telo sunt usi: & est non simplicis habenæ, ut Balearica & aliarum gentium funda, sed triplex scutale, crebris suturis duratum, ne fluxa habena volutetur in jactu glans, sed librata cum sederit, velut nervo missa excutiatur.* Habena autem, Græcis λῶρον, *Amentum* Latinis, hoc loco *Scutale* dicitur, quia pars ea fundæ, cui lapis imponitur, quasi scuti formam palam refert. *Cestrosphendonem* idem Livius describit; sed tenebrosa illius descriptio lucem accipit ex Suida, sic enim apud hunc aliquis: *Novum hoc inventum bello Persico. Ipsum spiculum bipalme fuit, tubulum habens æqualem mucroni. Huic hastile ligneum insertum erat, longitudine spithamæ mensuram æquans, crassitie digiti. In hujus medium tres pinnulæ è ligno infigebantur, plane breves. Hoc in funda, quæ duo funalia imparia habebat, in medio utrorumque amento leviter, & ut solvi posset, ligatum, imponebatur. Tum igitur in circumactione fundæ, intentis finalibus manebat: cum vero alterum solveretur in emissione, excidens amento suo, velut glans è funda ferebatur, & cum impetu incidens, quidquid incurrisset, valide lædebat.* Tertium Fundæ genus, *Fustibalus.* Vox est novitii ævi: appellatur ita funda fusti alligata, quo incusso, lapis scite & robuste emittitur. Et qui eo

 utuntur,

utuntur, *Fustibalatores* dicti, non *Fundibalatores*: nam *Fundibalus* diversus ab hoc. Antiqui has vocabant *Fundas librîles*, & *Librilia*, quasi quæ lapides libræ pondo emittant: *Libratores*, qui iis utuntur. Ita Vegetius descripsit. *Fustibalus fustis est longus pedibus 4. cui per medium ligatur funda de corio, & utraque manu impulsus, prope ad instar Onagri dirigit saxa.*

De Jaculis Rudibus.

Jacula duorum sunt generum. *Rudia* & *Ferrata*. *Rudia* appello, quæ simplici ligno constabant, non alia materie ad lædendum. In eo genere *Sudes*, & *Faces*.

Sudes est lignum, in capite acutum leviter, & igni duratum. Vetus id telum, & plerisque gentibus sic usitatum. Sed tamen meliore etiam ævo, & in legitimis bellis, usurpatum.

Faces, non adustæ, sed urentes quædam hastulæ, è picea, tæda, larice, & si quod tale genus. Obvium & populare fuit hoc telum.

Huc quoque referuntur *Præpilata missilia*, quæ sine ferro, nec aliud quam pilæ instar, obtuso acumine, rotunda. *Præpilare* enim Ammiano non aliud videtur, quàm *Præjaculari*. Etsi *Pilare* idem usurpat, pro *prædari*, *vacuare*. Aliter Servius; cui *Pilare*, est *cogere*, *premere*: & ita interpretatur *Pilatum* agmen, *densum*.

De Jaculis Ferratis.

Jacula *Ferrata* pluria & multigenera sunt, nec alia in re fœcundius Martialia ingenia luserunt. Nos crebriora quædam tangemus: 1. *Hastam.* 2. *Lanceam.* 3. *Verutum.* 4. *Gesum.* 5. *Tragulam.* 6. *Securim*, & similia.

1. *Hasta*, Græci δόρυ, etsi commune fere id nomen est, & in plura valet; diciturque tam de grandi illa, qua cominus utuntur, quàm de leviore, quam eminus jaculantur. Simile in Lancea & Conto, in Sarissa & Pilo. Ab Hasta dicti *Hastati*, jaculatores olim in legionibus.

2. Alterum nomen communius. *Lancea*, Græcorum λόγχη. Et est Hispanica vox, ut Varro & Agellius testificantur; Gallica, ut Diodorus. Sed potest esse Hispanica stirpe, in Galliam tamen post traducta, uti & in Latium ipsum. Vox quidem *Lanceare* quod est *jacere, mittere*, ipsis Hispanis Gallisque & hodie est in usu. Lucanus Lanceam pro Pilo usurpat, ut est profecto nomen jaculis commune. Hinc λογχοφόροι, bene redduntur *Jaculatores*, & sunt ista, quæ *Menaula* posterior & deterior ætas dixit. *Venablum*, seu *Venabulum* idem; unde & vox depravata videtur *Menaula*. Sunt quidem Lanceæ venatorum.

3. Tertium, sed magis strictum. *Verutum*; cui nomen & formatio ab ipso Veru, quod refert. Itaque alii *Veruinam* dixerunt. Non nemo etiam *Veru*. Est spiculum tenue & longum, aptum forare.

forare. Σαύνιν Græci *Verutum* dicunt. Etsi Samnites primo & proprie usi, tamen & alii Itali. Livius levi armaturæ tribuit, sed veteri. *Hastæ velitares* haud longe iverunt ab istis, si non eædem.

4. *Gesum*, alii, & sæpius Græci, *Gesam* scribunt: vox ac tela peregrina videntur. Athenæus quidem Romanos petisse ab Hispanis vult, alii magis à Gallis. Est autem telum vel contus, longe feriens: & grandius fuisse jaculum, etiam Festus indicat, cum vocat *grave jaculum*. Pastoricium telum Livius facit, & Silius.

5. *Tragula*, dicta quod scuto infixa trahatur. Hispani ea usi, apud Livium: sed & Galli, apud Cæsarem. Usi & Romani. Validum fuit telum, hamatum, forte ob etymon illud à trahendo. Hoc telo Cotta tam validam plagam inferebat, ut percussum per loricam, per latera transfigeret, & velut clavo terræ affigeret. Vegetius *Tragularios* vocat, qui ad manuballistas vel arcuballistas sagittas dirigebant.

6. *Securis* etiam est in hoc numero, nam & missilis fuit, etsi cominus pugnasse ea non nego: Sidonius Scythis, Horatius Rhætis, tribuit: atque etiam nunc habent & sic utuntur Boiemi, & vicini. Veteres item Galli. Securis ferrum crassum est, & utrimque acutum. Hanc Franci in primo congressu jacere in hostem consueverunt eo impetu, ut scuta perfringant; & ipsos simul interimant. Ipsum hoc telum est, quod *Haggones* patria lingua, *Haacken*, Franci dixerunt, vel *Anconas*, ut apud Agathiam, & sunt brevia tela, quorum pars major ferro obducta est, ita ut ex ligno aliquid, præter manubrium, vix exstet. In superiori ferro tanquam hami utrimque sunt, & deorsum vergunt. Non est plane *Hallebarda* nostra, etsi hæc potest inde nata esse. Suntne Græcorum *δίζελλα*, *bipennes?* Isthinc fortasse originem habent *Matriobarbuli* qui his telis scienter & fortiter utebantur.

7. *Aclis*, exiguum & teres quoddam missile. Fuit, religatum lino vel loro, ut peractis vulneribus posset redire. Fere idem est Aclis cum *Cateia*, quam sic describit Isidorus: *Est genus Gallici teli, ex materia quam maxime lenta, quæ jactu quidem non longe propter gravitatem evolat, sed quo pervenit, vi nimia perfringit. Quod si ab artifice mittatur, rursus ad eum redit, qui misit.*

De Amento.

Jacula alias manu sola missa, alia loro revincta: & eo excusso adjuta. Id dicebant *Amentum*. Latini & *Nodum* vocant, item *Ansam*: unde *Ansatæ hastæ*. *Habenam* etiam alii. Græcorum id inventum. Fuit autem non aliud, quàm lorum revinctum in hasta media circiter, quod manui deinde & primoribus digitis illigabant leviter, in emissu cum impetu solvendum. Et videtur plane esse Græcorum *μεσάγκυλον*; etsi teli certum genus Grammatici proponunt, certe vix aliud, quàm *telum amentatum*, possunt & debent explicare.

explicare. Nam Græcis ἀγκύλη, *amentum* est, & ἀγκυλίζεσθαι, *amentare* proprie, etsi interdum pro *Jaculo* & *Jaculari* usurpant. Ante pugnam strictis illigatisque amentis ad digitos primores incedebant, prompti scilicet & parati. Contra, ubi ignavia aut metus, laxe ea habebant & solute: quod etiam in pluvia fiebat; & humor resolvebat.

Quia igitur amentum roborat & incitat hastam, inde Tertullianus metaphorice dixit, *Amentavit sententiam*, id est, fortiter & serio edixit, & velut amento intorsit. Et *Amentata sententia*, apud Ambrosium. Inde *Hastæ amentatæ*, fortes, & sic ligatæ.

De Sagittis, & Sagittariis.

Romanis ipsis ab antiquo vix fuerunt *Sagittæ*. Sed post Punicum bellum secundum creberrime in Romanis castris Sagittarii, sed Auxiliares, non cives. In hoc numero maxime Cretenses, quos & excelluisse hac peritia certum est; & quidam originem primam ad eos trahunt. Alii ad Persas; alii ad Scythas: & certe nostrate lingua *Sagittare*, etiam nunc est *Schieten*, forsan a Scythis. Scythiæ igitur inter inventores censentur, & celebratur Arcus Scyticus, cujus forma τῦ Σ Græcorum. Sed & Parthi hoc tali arcu usi. Ab Arcu Festus notat *Arquites* dictos, arcu præliantes, qui nunc Sagittarii. Ipsæ Sagittæ dictæ etiam *Virgæ*. Sic & Græci usi voce ῥάβδοι. Item *Calami*; quia sæpe ex leviore illa materia, etsi quædam firmiores atque etiam grandiores. Et Arabes majoribus usi. Pleræque autem Sagittarum hamatæ, & ne facile avelli possent: quædam etiam triplici hamo; quædam quadruplici, Hippocrati τετράγωνα βέλη, *quadrangulæ Sagittæ*. At illæ Parthorum mirificæ, quæ videntur aciem super aciem habuisse, quæ tenui ferro nexæ, aut ut involucrum insertæ, in corpore fere manerent, & rumperentur, si quis tentaret educere. Tanta autem violentia sagittæ emittebantur, ut arma perfringerent, & per omne quod obstaret, durum aut molle, penetrarent, quibus neque thorax ullus, neque scutum possit resistere.

Fuerunt & thecæ sagittis, quas *pharetras* aut *Corycos* prisci dixerunt. Leo Imperator pharetras vocat *Cocura* sive *Cocurra*; vox nostras, *Kokeren*. Festo *Scorteum*.

LIBER V.

DE REPUGNATIONE.

OPpugnati non ita peribunt inulti & indefensi, sed repugnabunt nostris armis, quæ dabimus in tutelam eo ordine, quo dedimus oppugnantibus, ad singula nocumenta & plagas, adhibebimus medelas, amoliemur Tormenta & Tela.

Contra Testudinem.

Primum in subita oppugnatione fuit *Testudo*, & globus militum densus, qui incurrit, & nisi amolimur, scandit. Resistebant & saxis, aut ponderibus adventantem obruebant, aut certe dissipabant. Primum igitur erat saxis obruere: si pars aliqua leviter cessisset, aut se abjunxisset, tum contos aut lanceas inserere, donec compage scutorum soluta, jam intutos, lapidibus, pilis, aliisque missilium prosternerent. Quod si qui per ipsam testudinem tamen scanderent, ii vero gladiis & armorum incussu præcipitati, sudibus & pilis obruebantur.

Contra Scalas & Ascensum.

Contra *Scalas*, repugnantes, *Furcas* usurparunt. Certum fuit furcæ genus oblongioris, aut in pertica longiore. Dupliciter igitur Furcæ utiles, ad scalas ipsas rejiciendas & resupinandas; sed & ad homines ipsos.

Erant & alia communiter in ascendentes, tum in eos, qui testudine nixi; tum & qui sparsi, aut sine ea. Primum inter hæc, liquida quædam, aut liquefacta; ut, Oleum fervens, Pix, Sulphur, Bitumen, Plumbum, & si quid tale. Oleum enim celerrime à capite ad pedes, per omnia sese arma insinuat, & carnem instar ignis depascitur: quippe quod natura facile accenditur, & tarde refrigatur, ob pinguedinem & lentorem. Loricis itaque & galeis illigati cum essent, fuga non erat hujus pestis; sed nunc subsilientes, nunc dolore se incurvantes, decidebant de Pontibus. Picem, sulphur, bitumen; vasis plurimum inserebant, sive fictilibus, eaque fervefacta appropinquanti exercitui injiciebant, & imbris in modum dense & confertim inspergebant. Corbes etiam, sitellæque è ferro, huic rei adhibitæ: item Quali; sed ipsos vimineos, & una cum materie ardentes jaciebant. Et hæc non in viros tantum, sed & in machinas ipsas ligneas usurpata. Imo vasa hæc eminus etiam projecta in hostem, idque auxilio fundarum. Jam & Plumbum liquefactum infusum scandentibus, quod in vasis æreis, perticis contisque protendentes, effundebant. Atqui non plumbo solum usi, sed & ferro; quod, cum fundi non posset per naturam, raserunt in pulverem, eumque ignitum sic injecerunt. Cui adsimile, sed parabilius, quod Curtius Tyriis factum in Macedonas narrat: *Ii clypeos æreos multo igne torrebant, quos repletos fervida arena cænoque decocto è muris subito devolvebant. Nec ulla pestis magis timebabatur.* Idem Tyrii Macedonas scalis ascendentes, retibus piscatoriis involverunt, & inutiles ita factos, scalis facile detruserunt.

Fuit & illud callidum & novitium: Fœnum Græcum elixum tabulis pontium, quibus usi ad ascendendum, inspergebant & superfundebant; qua re milites lapsantes & casabundi, incerto vestigio vacillabant, adeo ut nec progredi, nec regredi rectis iis esset, aliique super ipsos pontes resupini caderent, alii in aggeres delaberentur.

berentur. Rumices & Tribulos spargi non rarum fuit, nam & hi in defensionem valent, contra ingressum: & in oppidorum tuitione item utiles esse possunt; sed & castrorum. Utile inventum hoc ligandi, & sic retrahendi. Reperio etiam Sudes plumbatas in flumine defixas. Sed & contra equos & camelos (quorum molles ungulæ) rumicibus usi, sæpe cum successu. Remedium in eos, calcei è ferro aut duriore ligno.

Sed quædam ex dictis rara, aut novitia: lubet addere inter vetera de Doliis, Cylindris, aliisque talibus, quæ oppugnati, & in homines, & in machinas, usurpabant. Dolia saxis farcire solebant, & sic cum pondere & impetu immittere, præsertim per declive. Sic molis & columnarum fragmentis pugnatores obruebant. Item de ligno Crates fecerunt, quas *Metellas* vocaverunt, lapidibusque complerunt, ea arte inter bina propugnacula constituta, ut, si per scalas ascendisset hostis, & partem aliquam ipsius contigisset, supra caput suum vergerent saxa. Rotas quoque de lignis viridibus ingentissimas demittebant per præceps, non solum ut obruerent subeuntes, sed etiam machinamenta confringerent. Intercisos etiam ex validissimis arboribus Cylindros (quos *Taleas* vocant) ut essent volubiles, lævigabant, qui per pronum labentes, prosternebant bellatores. Præterea axæ vinctæ trabes, per pronum incitabantur, axibusque eminebant, in modum Ericii militaris, veruta binûm pedum. Est enim *Ericius militaris* nil aliud, quàm transversariæ ad portas trabes, aculeis confixæ, eæque versatiles; quarum & hodie usus manet. Currus etiam quadrirotos ponderibus onustos dejiciebant. Item lapides molares: qui non tam grandes, ut nostri, ut nec ipsæ molæ, quæ manuariæ tantum, & a servis volvendæ. Itaque crebræ eæ, & fere domesticatim erant. Nostros enim molares quæ brachia, imo qui vectes, subito movissent?

Contra Machinas ligneas.

In omnes Machinas è ligno duo tela valuerunt, *Saxa & Ignes*: in Vineas dico, Pluteos, Musculos, Turres, & si quid tale. De saxis aut ponderibus dictum jam satis. Ignes restant: ii varii.

Fuere *Faces*, communes illæ è picea, larice, abiete, & quibus in usum luminis domi etiam usi; hæ paulo robustiores aut grandiores. Has manu jaciebant & destinabant in machinas propinquas: sed & iis pugnabant.

Aliæ magis sepositæ & militares: quas *Malleolos* dicebant. Id quoque duplex genus. *Simplices* & rudes, atque hi non aliud videntur, quàm manipulus aut collectio spartea, ligata in medio, forma quadam mallei, & pice aut sulphure illita, sic projecta. At *Alterum genus*, magis efficax & militare, quod teli in morem formatur & aptatur. Id Ammianus ex professo describit: *Malleoli, teligenus, figurantur hac specie. Sagitta est cannea, inter spiculum & arundinem multifido ferro coagmentata, quod in muliebris*

coli

coli formam, quæ nentur ſtamina, concavatur, ventre ſubtiliter & plurifariam patens, atque in alveo ipſo ignem cum aliquo ſuſcipit alimento, (lino aut ſtuppa, continendis alimentis illis ignis.) *Et ſic emiſſa lentius in valido arcu* (*jactu enim rapidiore exſtinguitur*) *ſi hæſerit uſquam, tenaciter cremat, aquiſque conſperſa, acriores excitat æſtus incendiorum, nec remedio ullo, quàm ſuprajecto pulvere, conſopitur.*

Malleolis addident σιδήρια σπινθηρίζοντα, *ferramenta minuta ſcintillantia*: item φλογερὰ σιδήρια, *ignita ferramenta*, quæ non proprie Malleoli, ſed hami quidam aut unci ferrei, ſive murices, qui toti igniti ad incendium adfigerentur.

Haſtæ ardentes tormentis adigebantur, quæ proprie *Falaricæ* dictæ, quas deſcribit Livius: *Falarica erat miſſile telum, haſtili oblongo, & cætera tereti, præterquam ad extremum, unde ferrum exſtabat: id ſicut in pilo quadratum ſtuppo circumligabant, linebantque pice. Ferrum autem tres in longum pedes habebat, ut cum armis transfigere corpus poſſet.* Solebat è locis editis turribuſque mitti, quas priſci *Falas* dicebant: atque inde *Falaricæ* nomen, ut Grammatici volunt. E balliſta has Falaricas & Malleolos jaculabantur.

Contra Aggeres.

In oppugnatione diuturna conſidero primum *Aggeres*, qui everſi aut conſumpti dupliciter: *Cuniculo*, aut *Igne*. Illo, cum ex urbe duxiſſent, terram ad ſe introrſus idemtidem ſubtrahebant: cum foris aſſidue injicientes, minus tamen attollerent, ſubducto ſcilicet inferius aggere, & in locum vacuefactum aſſidue ſubſidente. Nec ſubtrahebant ſolum Cuniculo, ſed & incendebant ſuppoſito igne. Sed alia item ratio, & magis expoſita, deſtruendi per ignes: cum ſcilicet faces, malleolos, aliaque ad inflammandum, aut jacerent eminus, aut ipſi in aggerem inferrent.

Sed eſt & tertium ſubſidium in Aggeres, molem & velut aggerem alium opponere in ipſis muris. Noſtri mechanici æmulantur, & eſt res quotidiana hodie in defenſione. Sed & Corbes terra aut arena repletos, & in faſtigium ſic exſtructos invenias: quod haud longe abit à Sportis aut Gabionibus noſtris, imo iis dedit exemplum.

Contra Turres.

In *Turres* præcipuum telum Ignes: ſed & ſaxa è catapultis, quibus perfringebant. Utrumque hoc ſatis innotuit è prædictis. Sed & tertia repugnatio: Aſſeres aut trabes advenientibus incuſſa, atque ita impetu evertebant aut frangebant. Muros quoque ea parte, ad quam turris admota, attollebant & augebant. Alias etiam turres ſtruebant opponendum illis.

Contra Arietem.

Aries violentiſſimus machinarum, & maxime terribilis, eoque plura in eum adinventa. *Primum* remedium. Centones & culcitræ paleis plenæ, quas demittebant funibus in eam partem, qua impetus Arietis ferebatur, ut hoc modo & aberrare facerent ictum: aut ſi excepiſſet, vanus redderetur, mollitie & laxitate fractus.

Secundum. Laqueis excipiebant frontem prominentem Arietis, & ſurſum trahebant, in obliquum, & cum ipſis teſtudinibus evertebant. Sed & laqueis *Falces* murales ſoliti avertere. Falces ſcilicet illas, quæ lapides è muris extrahunt, & vicem ac vim pene Arietis habent: non illas, quibus pinnas detergebant: quibus navium funes abſcindebant, atque talia patrabant.

Tertium. In modum forficis dentatum funibus illigabant ferrum, quem *Lupum* vocabant, apprehenſumque Arietem aut avertunt, aut ita ſuſpendunt, ut impetum non habeat feriendi. Hunc Lupum alii *κόρακα*, ſive *Corvum* appellant.

Quartum. Ponderibus grandibus ſuperne incuſſis aut injectis Arietem deprimebant, aut frangebant. Item Tollenonibus libramenta plumbi aut ſaxorum, ſtipiteſque robuſtos incutiebant. Nam magnas trabes adaptantes longis catenis, à capitibus utrimque ſuſpenderant ad duas antennas, ſuper muros inclinatas & extenſas. Has trabes ſurſum trahebant, attollebantque obliquas, & quoties invaſura machina eſſet, ictumque datura, trabem dimittebant, laxatis catenis, manuque remiſſa: atque is impetus decutiebat caput Arietis. Et plumbum ipſum in trabium formam factum, & in maſſam longiuſculam productum, ut certius feriret.

Quo, ſi tanta vis fuerit, ut murus Arietibus perforaretur, & decideret, una ſalutis ſpes ſupererat, ut deſtructis domibus alius intrinſecus murus adderetur, hoſteſque inter binos parietes, ſi penetrare tentaverint, perimerentur. Hoc remedium hodie quoque receptum contra demolitoria noſtra tormenta; imo ut nos lunari fere forma tum ducimus ſic illi.

Contra Balliſtas, & Catapultas.

Balliſtis, Catapultis, & toti generi levium telorum unicum fere obſtaculum & oppoſitio, *Coria, Ciliciæ, Vela.* His enim vim excipiebant & frangebant, molliter ita ſuſpenſis: imo & ignita jacula repellebant. In urbe, extra urbem utebantur, quia utrimque ſcilicet periculum & metus vocabant. Tegumenta & vela è caprillis pilis, Cilicia vocabant. Ea juſta & ſufficienti craſſitie ac longitudine ſuſpendebant è proceris lignis, & ante ſe prætendebant. Ita nec ignita jacula, nec alia tela eos attingere poterant, ſed in ipſis ibi tegumentis ſiſtebant & hærebant. Sed & in alio opere uſurpabant; tum ne conſpici ab hoſte poſſent; tum ut & tela ſic eludi. Commodum inventum, & à noſtra hodie militia non alienum.

num. Imo vero ſiſtebant etiam lapides Balliſtarum. Aqua quoque centones aut cilicia, aut coria humectabant, contra ignes aut ignita, quo minus corriperent, aut corrumperentur. Et proprie huic rei acetum habebant. Legimus, culcitras paleis aceto maceratis aut humectis farctas, & in ignes oppoſitas; quod e lana noſtros hodieque facere accepi in tormenta.

Contra *Catapultas* proprie, habebant totas marmoreas quaſdam oppoſitas, crebris intervallis aut ſeptis diſtinctas. Has per machinam quandam in orbem volvebant: & telorum alia frangebant, alia avertebant, omnia revolvebant.

DE AMPHITHEATRO LIBER.

LOcum ſpectaculi & ludicræ voluptatis, quem hodie *Coloſſæum* dicunt, quia Neronis cum capite Coloſſus in vicinia, priſci tribus nominibus appellabant, *Amphitheatrum*, & ſæpe *Caveam*, ſæpe *Arenam*. *Amphitheatrum* Græca voce ideo, quia gradus circum undique, & ſedilia continenter diſpoſita ambibant in orbem. At *Cavea* Latinis, ab interiore hac parte, quæ concava, & capaci quodam profundo. Quod nomen quidem apud antiquos (libera rep. dico) in Theatris fere hæſit; ſed ſub Principibus, cum gratia & uſus Amphitheatrorum increbuiſſet, bono jure migravit ad iſta.

Sed & *Arenam* dixere vulgo, ſcilicet quia is locus deſabulari ſolet, & arena ſterni in uſum pugnæ. Nam ſi lapide aut ruderato, in tam crebra effuſione ſanguinis, lubrico ſtatim pavimento, quæ ratio ſtandi aut certandi? Arenam igitur injecere, quæ bibula: & quam ipſam per intervalla ludorum renovare, & velut inarare ſoliti per pueros quoſdam, non ſine luſus ſpecie. Vulgaris arena inſternebatur; niſi quod quidam raſuram lapidis albi deſtinarunt etiam huic rei, quæſita gratia candoris. At Principes interdum arenæ loco inſtravere minium aut chryſocollam. Sed hæc monſtrorum aliquot dementia, quibus ſatis non fuit oſtentare opes ſuas in ſpectaculis, voluerunt etiam calcare. Cæterum Editorum vulgus contenti arena: inde ea vox paſſim pro certamine amphitheatrali, proque ipſo loco. Ab hac ſtirpe *Arenarii*, qui in arena depugnant.

Dii, quibus Amphitheatra ſacra.

Dedicabant in primis locum & ludum hunc Dianæ, Tauricæ ſive Scythicæ: nec ab alia cauſa Dianam pro ipſa venatione amphithea-

phithea.

phitheatrali posuit Martialis. Sed & Jovi sacrabant, sive Latiari, sive Stygio. Et aram imo Ditis, in Amphitheatro positam, quæ sanguine humano perfusa, videtur agnoscere Prudentius. Quin imo ex Minutio colligas, solenne quoddam ibi hominis sacrificium fuisse, velut ad committendos ludos: mactatio horrida, nec Romanorum cultu digna. Præter hos Deos, Saturnus etiam in partem venit hujus tutelæ.

Origo Amphitheatrorum.

Nata Amphitheatra haud diu ante tempora Reip. desidentis: & quidem temporanea primum, & e ligno. Ita Curionem (illum Tribunicium, qui tuba belli civilis) ligneam molem exstruxisse, quæ diducta, duo theatra redderet, iterumque Amphitheatrum unum, conducta, refert Plinius. Et in Dione legitur, Theatrum quoddam e ligno exstructum corruisse cum multorum clade. Sane valde recepta & crebra theatra hæc lignea. Et Cæsar ipse Julius, jam Dictator, Amphitheatrum ligneum exstruxit in campo Martis.

At sub Augusto, & venatio valde jam increbuit, & increvit ejus dignitas. Sive una cum opibus augescente luxu: sive potius, quia ipse Princeps valde in hunc ludum pronus. Itaque statim venationi tunc reperta propria & mansura domus; Amphitheatrum exstructum e lapide, Augusti suasu, Statilii Tauri opibus & sumptu, in campo Martio, Anno urbis 725. Hoc solum primumque lapideum Amphitheatrum Romæ fuit ad tempora Vespasiani.

Illud ergo in multa fama & usu, donec ambustum sub Nerone. Et quamquam restitutum postea, tamen quia incendio illo informius redditum & infirmius; occasio data Vespasiano & cupiditas struendi novi. Struxit, & quidem in media Urbe; hoc ipsum, cujus semiruta moles adhuc Romæ visitur, & quod jure miremur injuriis restituisse tot annorum, tot bellorum.

Struxit autem Vespasianus in Consulatu suo Octavo, id est, vix biennio ante vitæ finem. Itaque cœpit opus ipse, non absolvit. Struxit, non exstruxit. At Titus filius summam manum imposuit, idemque dedicavit. Duorum ergo Principum opus: etsi fama & vulgus Tito magis adjudicavit; sive favore quodam in illum, sive potius ex Romano ritu, quo receptum, opera censeri a dedicante. Atqui hi duo soli Principes fecere, alii refecere, cum casu aliquo lapsum, aut igne. Inter eos M. Antoninus Pius. Item, Heliogabalus. Denique Senatus ipse eam tuitionem suscepit sub Gordianis. Ita multorum cura, & Genio quodam. Perennitatis, pervenire tanta machina potuit ad hoc ævi.

Amplitudo Amphitheatri Titi.

Altitudo Amphitheatri Titiani nunc quoque miranda est, etsi multum a vertice ejus corruit, multum a pedibus subsedit. Nam mole & ævo magna hæc pondera clare desident, terra cedente: adde

addeaggeſtum ruinarum. Ammianus de altitudine ea ſcribit tantam fuiſſe, ut ad ejus ſummitatem ægre viſio humana conſcenderet.

De ejuſdem capacitate P. Victor aſſerit, cepiſſe loca 87000. Et de gradibus tantum intelligit, in quorum pulvillis ſederunt commode 87000 hominum: at in ambitu illo ſuperiore, & circùmjectis porticuum aulis, non minus item ſpectarunt, quàm dena aut duodena millia, ſive ſtantes, ſive in allatis cathedris ſedentes.

De Forma Amphitheatri.

Arenæ ſive Caveæ totius forma non rotunda & orbicularis prorſum eſt, ſed porrecta magis paulum, & oblonga: quia Amphitheatrum junctum & factum ex duobus Theatris, rejecta ſcena. Ex integro enim circuli ambitu quartam partem ſi abſcindis, quod majus ejus reliquum eſt, ſcito Theatrum fuiſſe: atqui ex iis duo ſi jungis, (ita tamen, ut flexas lineas circa abſciſſionem dirigas, vel potius extra leviter flectas) Amphiteatrum habebis. Ovo aptiſſime comparatur; item Valli, quæ cincta undique ſupino monte.

Area erat pura, ſine ſubſtructionibus aut ædificiis, libera tota ad curſum ferarum & ad pugnam; niſi quod in ea alibi ara fuit e lapide: illa, dico cruda ara, quæ ſacra Jovi Latiari.

De Cloacis, Specubus, & Caveis.

Sub ipſa area Cloacæ, forſan ad exſugendum educendumque humorem illum ſtagnorum (nam in ſtagnis Neronis ſtructum Amphitheatrum) ſtructæ. An potius fuerunt cameræ quædam & ſpecus ſubterranei, ad cuſtodiam & receptum ferarum? ſive etiam ad uſum aquarum, quas in Arenam occulte & ſubito inducebant atque educebant ad Naumachias? Certe cum ferina magna vis quotidie in Amphitheatrum induceretur, credendum eſt, partim ſubterraneos hos cavos fuiſſe, in queis reconderentur ſub ipſos ludos; partim depoſitas eas in caveis ſub interiore porticu, e qua portulæ & aditus plures pertinent in Arenam. Ibi ergo caveæ ferreæ exſtructæ, per quas beſtiæ intromittebantur in Arenam. In his caveis erant portæ, (*Oſtia* vocat Varro, Vopiſcus *Aditus*) ex quibus cum impetu quodam emittebantur in arenam feræ: iterumque in caveas immittebantur poſt pugnam.

Habebant & caveas itinerarias, in quibus feræ clauſæ & tranſvectæ: quæ potuere forſan in his ſpecubus & fornicibus deponi. Hæ autem caveæ ex argento & auro, per ſplendoris ſpeciem, ſæpe factæ.

De vario Arenæ ornatu.

Hæc fuit ſolens & vulgata Arenæ facies: cui comptus aliquis novitius ſæpe additus, & colorum quidam fuci. Varia enim quotidie ab ambitioſis Editoribus excogitabantur, ut ſtudia ſpectantium

allicerent lenocinio quodam novitatis. Ita fuere, qui arboribus hoc planum consererent, & Arenam totam verterent in silvam: scilicet ut vivam imaginem exhiberent veræ germanæque venationis. Arbores validæ per milites radicitus vulsæ, connexis longe lateque trabibus adfixæ erant, terra deinde superjecta: totusque Circus ad silvæ consitus speciem, gratiam novi viroris obtulit. Æmulati sunt hoc idem in provinciis.

Neque in solo solum hæc variatio, sed in caveis ipsis; quarum loco invenerunt antra quædam coëuntia & deeuntia, quæ velut è terra emitterent subito feras. Quæ ipsa decora fuisse fatendum est, & blandientia sensibus imitatione quadam Naturæ.

At illud fuit improbi acuminis; quod navim ædificare solerent grandem aliquam in ipsa Arena, quæ solutilis esset, & subito luxata emitteret omne genus ferarum pro arbitrio magistri temperantis. Ea enim occulte soluta exsiliebant ursi, leæ, pantheræ, leones, struthiones, onagri, bissontes: ita ut septingentas feras aut pecudes, simul & currere liceret cernere, & occidi.

Nec naves solum ejusmodi induxere in Theatra, sed quod magis admirere, quodammodo mare ipsum. Reperti enim qui totum locum, per occultos quosdam ductus & meatus, subito aqua replerent; & pro terrestribus feris, monstra maris ostenderent, & classes & navalem pugnam.

De Podio.

Post Arenam murus occurrit, qui Podium sustinet, quique claudit & ambit infimum solum. Dicitur enim *Podium*, projectura quæ in summo muro, quæ paulum provehitur & propendet instar pedis: Unde & nomen. Mænianorum ea quædam species est, facta in theatris, templis, ædibus, ad circumeundum, innitendum, spectandum. Ergo Podium est muri pars projectior & prominentior, ante imum spectaculorum gradum; cui columnæ impositæ cum epistyliis ad ornatum, sive (cum liberet) ad innixum. In Podiis istis victoriolæ etiam reponi solebant.

Ad hoc Podium spectare soliti primi è Senatu. Nam cum Orchestra plurium graduum esset, dignissimus habitus ille imus, qui Podio proximus & Arenæ; quippe ex quo facillima spectatio. Inter ipsum Podium & gradus, spatii aliquid vacuum fuit latioris, in quo spectare soliti honorati: idque proprie, *ad podium spectare.* Quidam enim sellis curulibus spectarunt. Et eædem sellæ honoris causa positæ absentibus, sive etiam mortuis. Consules, Prætores, aliique quibus id jus in curulibus suis ad Podium sic sederunt, cum lictoribus, viatoribus, & magistratus sui pompa.

Nec magistratus solum ad hoc podium spectavit, sed & ipse Princeps, cui tamen eminentior quidam suggestus exstructus, & velut sua domus. Origo rei à Julio Cæsare, qui inter alios honores, quos nimios recepit, admisit statuam inter Reges, suggestum in Orchestra.

ſtra. Secuti Principes id tenuere. Suggeſtus ille tectus & inædificatus fuit ad modici cubiculi formam: cui proprium etiam ſuum Podium, quod oſtiis quibuſdam ſive feneſtris Arenam verſus aperiretur.

Sed præter hunc ſuggeſtum, ad Podium etiam tribunal Editoris fuit. Cum enim alii honoribus, alii, lictoribus & veſte prætexta, inſignes voluerint eos eſſe, qui ludos exhiberent; tum etiam altiori hac ſede, in qua præſiderent. Quod vero ad Podium ea ſedes, cum ratio evincit, tum Suetonius, qui exadverſum collocat Veſtales: eæ autem ad Podium.

Hujus Podii murus, qui Arenam dividebat, non minus olim altitudinis habuit, cum hoc Podio, duodenos quindenoſque pedes. Hunc ergo nulla fera poterat tranſilire. Et tamen contra inopinatos quoque caſus à catis illis provide proviſum: nam primum retia valida nodoſa, in orbem undique Podium cingebant, quorum raritas ſcilicet non impediebat aſpectum. Et interdum retia illa per luxum inaurata. Nec retia ſolum, ſed verſatiles quidam trunci appoſiti muro & Podio, contra ſcanſionem omnem ferarum & inſultum; ſi quidem ligna illa tranſverſa & verſatilia objecta fuerunt muro, quæ feras, dum enituntur, fallerent, inſilientium impetum frangerent, & vertendo excuterent. Contra elephantes & immanes illas feras alia arma parata; nam aut clathris ferreis Arenam totam circumdabant: aut, quod certius, Euripis: valde enim id genus metuens aquæ.

De Gradibus.

Gradum promoveo ad Gradus, & ad hos Subſelliorum, ut ſic dicam, colles. Non male colles, quia revera per declive jacentium ea forma. Sed ut tota hæc ſedendi ſpectandique ratio ſubtili quadam Minerva intelligatur, non craſſa, opus, hoc omne ſpatium diſtingui per partes: quæ erunt iſtæ. 1. *Gradus*. 2. *Præcinctiones*. 3. *Aditus*. 4. *Via*. 5. *Cunei*. 6. *Cathedra*. 7. *Porticus*.

1. *Gradus* ſunt ea ipſa loca, in queis ſedebant. Sic dicti in Amphitheatris, quia ad formam ſcalarium graduum alii alios conſequuntur. Alti erant pede uno & palmo, ſive palmis 5. Palmus enim 4. digitos continet, Pes 4 palmos. Quamvis iſta altitudo non convenit gradibus Amphitheatri Veronenſis. Latitudo pedes duo & ſemis. Hanc enim latitudinem exigebat in contextu graduum ratio ſedendi. Pedes enim eorum, qui in ſuperiore gradu ſpectant, innixi inferiori gradui proximo: qui ne læderent ſedentes alios, neve ipſi læderentur, opus habuere aliqua laxitate. Fortaſſe etiam ad pone tranſeundum, ſi qui ſurgerent, aut ſedentibus aut aliis intrarent.

Gradus autem iſti è lapide. Unde ſcitum illud Ariſtippi: Cui bono eruditio? *Huic ſaltem*, inquit, *ne in Theatro lapis ſedeat*

ſuper lapidem. quanquam & ſæpe ex ligno. Sero repertum, ut pulvilli inſterneronrur Senatui, ne nudis aſſeribus inſiderent: idque primus Caligula inſtituit. Poſtea id etiam equiti conceſſum.

2. *De Præcinctionibus.*

Præcinctiones non ſunt aliud, quam graduum intervalla & diviſiones quædam in orbem. Videntur autem ſive ad Vomitoria & ipſos Aditus, ſive in diſcriminibus Orcheſtræ, Equeſtrium, popularium, gradus quoſdam latiores altioreſque ſtruxiſſe, qui reliquos minores velut præcingerent & complecterentur. Unde & nomen. Vocatur id alio nomine *Balteus*, à pari cauſa; quia velut cingulum quoddam latum fuit. Eaque re Zodiaci zona etiam Balteus à Manilio vocatur, *Diazomata* item, Græcanica voce, commode appellat Vitruvius. Apparent autem clariſſime Præcinctiones iſtæ in Theatris: obſervavit Torellus in illo Veronenſi, gradum eſſe circa medium, qui duos pedes & uncias 6 altus, cum reliqui tantum pedem & uncias duas.

3. *De Aditibus.*

Aditus ſunt portæ quædam ſive oſtia in ipſa gradatione, per quæ ab exterioribus porticibus venitur & deſcenditur in ipſas ſedes. *Vomitoria* appellat Macrobius, voce vulgi, quod homines inde glomeratim ingredientes in ſedilia ſe fundant.

4. *De Viis.*

Viæ inter gradus duum generum: *Aliæ*, quæ ad cardines ſive limites Balteorum in circuitu; *Itinera præcinctionum* vocat Vitruvius: *Aliæ*, quæ à Vomitoriis illis in deſcenſu aut aſcenſu inter Cuneos; proprie *Scalaria* dicta. In his Viis, qui locum non habebant, quique (ut ſuo verbo dicam) excuneati erant, ſpectabant ſtantes. Latitudo Itineris ad Balteum non minus trium quatuorve pedum. Gradus autem Viarum humiliores aliis ſedentariis parte dimidia.

Canaliculæ quedam & derivationes aquarum ad oram extremam graduum fuerunt, qua Scalaria incipiebant; & uſum habuerunt ſive aquæ cœleſtis derivandæ, ſive potius humanæ. Nam cum dies totos in ſpectaculis perſederent, quin urina reddenda fuerit, non ambigendum, eique uſui hi inciſi canales tributi. Nam ad pluviam, omnes gradus leviter penduli & proclives fuerunt.

5. *De Cuneis.*

Cunei jam (Alexis κερκίδας dixit) inter has vias, medii: Quidquid enim ſedilium dividitur præcinctionum Itineribus, & ſecatur lateralibus viis, in hoc nomen id venit. Nomen datum à forma, quia re ipſa ſcalarum directio talis, ut ab imo ordiens magis divideretur in altum, redderetque cunei formam. Viæ iſtæ ſcalares, non ab imo ad ſummum recta & ſine interciſione iverunt: ſed contra; dirigebantur ſaltem ab ima Orcheſtra ad primam præcinctionem; ibi

ibi definebant, & alternis aliæ incipiebant, cum Cuneorum nova variatione. Apparet hoc clariſſime in Veronenſi. Ita ſi triplex præcinctio, triplex etiam ordo & diſcrimen Cuneorum. Nec abſurde fortaſſe ſenſerit, qui Cuneos & præcinctiones finiat ac diſcriminet limitibus Orcheſtræ, Equeſtrium, Popularium. Inde eſt, *Theatrum cuneatum.* Inde *Excuneandi* verbum, id eſt, ejiciendi & velut extra cuneum excludendi,uſurpatum Apuleio.

Hi cunei certi certis adſignati. Cuneos autem etiam Equitum & Senatorum fuiſſe, clare docet Suetonius. Et Virgilius plebis item ac Patrum agnoſcit.

6. De Cathedra.

Cathedra vocatur ipſe in amfractu ad conſeſſum ſitus; id eſt, ſuperus locus,ubi clivi ſubſelliorum deſinunt, & murus incipit, qui porticum facit, clivoſque illos velut frangit. Nam plani aliquid ſpatii ibi fuiſſe videtur, unde cathedris poſitis ſpectarent. Et ſane de ſellis allatis & illatis quidam ſuadent: & pullati non niſi ex ſuperiore loco ſpectabant, ex Auguſti decreto.

7. De Porticibus.

Porticus ſuperiores, e quibus tenuiores ſpectabant, pars eſt ſuprema, ſive ſummus fornix Theatri. Dio vocat ἀψῖδα θεάτρου. Nec mala: quia porticus illæ arcuato opere tectæ. Ideo *Cameras* vocat Tertullianus.

De Ordine in ſedendo.

Populi Romani priſca diviſio in Senatum, Equitem, Plebem. His diſcreta in ſpectaculis ſua loca & gradus. In Theatris quidem jam olim lege Roſcia, at non ita diu in Circo & Amphitheatris: promiſcue enim ibi ſpectabant, & quovis loco libere, quamdiu libertas Romæ. At id mutatum ſub Principibus, & diſcrimina dignitatum facta, bono jure. Senatui in Amphitheatris ſua ſedes fuit: ſua Equiti, ſua plebi: Illam, *Orcheſtram* dixere; alteram, *Equeſtria*; tertiam, *Popularia.*

Orcheſtræ vox nata in ſcena & pulpito, tranſiit, communi abuſu quodam ad alios etiam ludos. Sedes illi inter gradus imos: Is enim locus, quia Scenæ & Arenæ proximus, ideoque oculis auribuſque expoſitus, optimus habitus ſpectioni, ſive auditioni. Magnitudo ejus in gradibus 4 aut 5, fortaſſe pluribus, ut etiam Sacerdotibus ibi locus; & ſociarum gentium Legatis.

Equeſtria, lege veteri, 14 gradus tenuere. Itaque paſſim legitur *Sedere in quatuordecim*, & pro ipſa equeſtri dignitate. Ut autem numerus idem ſub Principibus fuerit, aucto immaniter numero Equitum, non hercle videtur probabile. Tribuni quoque inter Equites ſpectarunt, militares inprimis,quia adnexum hoc Tribuniciæ illi dignitati. Et quidem hi Tribuni in gradibus primis ſpectabant: fortaſſe & alii, qui vario agnomine ſub Principibus nati.

Popularia sunt loco tertio. Et quamvis *Populi* vox communis est tribus ordinibus; hic tamen pro una ejus & uberiore parte capitur, pro Plebe sola. Popularibus autem attributi reliqui omnes gradus, id est, cavea media & summa. Nam ima Senatui & Equiti vacabat. Itaque propter granditatem discrimen aliquod in ipsis popularibus: & pro varia conditione plebis, varii adsessus. Quosdam, imo plerosque, Suetonius expressit in Augusto: *Militem secrevit à populo, maritis è plebe proprios ordines adsignavit; Prætextatis cuneum suum, & proximum Pædagogis.* Pullati ex loco superiore spectarunt, ut & feminæ. Hinc *Verba ad summam caveam spectantia*, sunt vilia & ad gustum minutæ plebis.

Hos limites, & hunc ordinem migrabat & miscebat sæpe Quiritium turbida plebs. Avidi enim multi ludorum, & exclusionis metuentes, loca de multa nocte occupabant, & inhærebant ut suis. Illud proprio verbo vulgo notabant *Occupare*. Interdum loca pretio aliquo distributa, quod receptum in servis. Et Græci pretium hoc *ὀπτήρια* appellasse videntur, *τὰ ὑπὲρ τοῦ ἰδεῖν δῶρα. dona videndi causa.* Nec in servis hoc tantum, sed receptum etiam in aliis è plebe, qui Locariis nescio quid pro sedibus pendebant. Appellat autem Martialis *Locarios*, qui loca designabant, homines locabant, disponebantque; alio nomine *Dissignatores*. His lictores attributi. Ut enim in funere publico lictores comitabantur Dissignatores, severioris imperii causa & ordinis servandi, sic in Theatris. Non quod proprii Dissignatorum ulli apparitores, (viles enim ipsi olim, & fortasse inter libertinos) sed accipiebant à domino funeris & Editore ludorum. Horum tamen dignitas sub Principibus aucta, & non pro modico beneficio dabatur. Horum munus ordinibus sua loca adnotare, pellere occupatores ab alienis. Et id dicebant theatrali verbo, *Excitare* aut *Suscitare*. Labente ævo, præter Dissignatores, fuere & digniore quodam nomine Tribuni, qui electi ad moderandas & temperandas ludicras populi voluptates. Ii dicti *Tribuni Voluptatum*.

De Fistulis Amphitheatralibus.

Tubi sive Fistulæ in imo & summo Amphitheatro erant dispositæ, ea arte & fine, ut odoratum quemdam humorem ejacularentur leviter & inspergerent in sedentes. Is humor è croco plerumque, qui è fistulis illis per minuta quædam foramina stillabat in modum imbris. Unde Antonius Musa apud Senecam has sparsiones *odoratos imbres* vocavit. Martialis *Nimbos*. Proprie autem vocabant illum rorem ingeniosum *Sparsiones*: & *Spargendi* verbo in hac re usi.

Nec è fistulis solum hic imber, sed scito magis invento è statuis expressus, velut humanus quidam sudor. Et ex Theatri Marcelli configuratione conspicuum, in media & summa præcinctione statu-

as.

as plures fuisse, partim ad ornatum, partim ad hunc usum. Eas autem scire licet concavas fuisse, & per immissas fistulas ferreas sive æneas (quæ grandes fuisse suspicamur, & alias minores, quæ ab illis diffusæ per membra) minutis foraminibus, velut per poros & membra, expressum hunc humorem: non sine præsenti quidem auxilio & manu administrorum, qui in parte inferna stabant.

Sed sparsio hæc non fuit crocus merus aut aridus, sed vino dilutus: mixtus videlicet tritusque flos is herbæ cum vino fuit, quod colorem deinde assumeret & odorem. Hinc *Liquidum crocum* Ovidius dixit. Et fluebat per gradus. Balsamo etiam usi, etsi minus id crebrum. At de croco omnibus spectaculis protritum; etiam Scenicis. Ideoque *solennes crocos* Propertius agnominavit. Adeo ut etiam supinorum hominum deliciis è Theatris in convivia sparsiones migrarint, & eadem illa arte unguentis perfusi convivæ.

De Velis Amphitheatrorum.

Tegmen etiam in Amphitheatro fuit, quod superduci solebat arcendo æstui ac soli. Tegmen hoc è velis. Primus inventor rei Q. Catulus: aut certe jam inventæ primus Romæ imitator. Ejus ritus vestigia in ipsis Amphitheatris, ubi foramina in summis lapidibus ad funes velorum illigandos: ut in Nemausensi illo clare; & in summo Romano quædam grandiora, per quæ, conjicitur, trajici & in altum dirigi antennas solitas, velorum funes sustinentes. At ipsæ deinde antennæ sive mali, per foramina ea immissæ & demissæ, mutulis quibusdam excipiebantur, firmitatis causa. Ad antennas autem subrectas, funes transversim ligati & extensi, super quos ducta vela. Hinc dicunt, *Vela ducere & reducere*: &, *Velorum inductiones.* Huic muneri præpositi milites è classe: scilicet quia maritimi illi, jure periti tractandorum velorum.

Vela illa varie colorata fuisse, ad ornatum, Lucretius ostendit. Et Carbasina vela Plinius nominat cum auctore Lentulo Spinthere. Cæsar Dictator vela serica suspendit. Jam Nero purpurea etiam vela induxit, stellis aureis varie interstincta.

Hæc ipsa vela Juvenalis dicere videtur *Velaria Velarii*, qui præpositi velis in aula ducendis. Sed Theatrica hæc vela non semper extensa, quia sæpe id impediebat ventus. Nec mirum, in tam laxo & capaci circo.

De Pileo & Umbella.

Ne autem indefensi à Sole spectarent, cum vela non superducerentur, duplex iis tegmen, sive *Pilei*, sive *Umbellæ*.

Pileis quidem usi Thessalicis, qui fere idem cum Petaso. Usi & Gausapis & Causia loco illius pilei. Ad hunc usum interdum pilei in Theatris ab Editoribus dati, sive birri.

Umbella autem, à facienda umbra dicta, non aliud fuit tegmen, quàm quo hodie in Italia passim supra caput suspenso utuntur per

viam, & in æſtu. E linteo formant, inſtar obtuſæ & brevioris metæ, quod orbiculata virga extenſum, baculo ſuſtinent ſupra caput erectum. Hanc, puto, colorabant, pro favore cujuſque in hanc illamve Circi factionem, Praſinam, Venetam, &c. Umbellam Græci vocant σκιάδιον. Hinc & *Umbellati clavi*, apud priſcos Architectos, qui capite paulatim inſtar turbinis latiore: itemque *Umbellati flores* fœniculi, aniſi, ſambuci, apud Hortenſes ſcriptores.

De Spoliario.

Spoliarium non erat in ipſis Amphitheatris, ſed juxta ipſa: & videtur è regione ad alteram illam portam fuiſſe, quæ Libitinenſis. Nam Spoliarium, quod receptaculum mortuorum, aut graviter in Arena læſorum, jure conſtituitur juxta mortualem iſtam portam. Enimvero ſolent gladiatores occiſi turpiter unco per Arenam trahi in Spoliarium.

De Gradibus interioribus.

Erant & gradus interiores intra porticus, per quos ad ſpectacula aſcenſus: hi ita flexi & diſpoſiti apte, ut, quantumvis conferta multitudo, ſtatim ingredi ordinate & ſine conflictu potuerit. Ordines hi graduum ſive ſcalarum miro artificio pene invicem decuſſabantur, & ad oſtiola ſua ſive Vomitoria ſinguli ducebant.

Jam columnæ, jam coronæ, epiſtylia, zophori, & uno verbo, omnia exteriora hujus operis, admiranda noſtro ſæculo, non imitanda. Sed hæc videlicet potentia Romana, hæ olim opes, quas etiam docti plerique capiunt dumtaxat & vident per nubem.

De Pegmatis.

Pegmata antiqui appellarunt machinas quaſdam è ligno, quibus uſus in Theatris aut Arenis. Vox Græca origine eſt, ἀπὸ τῦ πήγνυμι, quod eſt *Figo, Gelo, Compingo*: Itaque Gloſſæ priſcæ πῆγμα interpretabantur *Confixum*; & docte Apuleius *Confixilem machinam* dixit, alluſione ad vim ipſam verbi. Pegma paulo aliter, pro loculamentis pluteiſque librariis, Cicero dixiſſe videtur.

At Pegma Theatricum non aliud, quàm grandis quædam & ingenioſa contabulatio, quæ ſponte & occulte ſtatim creſceret, ſtatim ſubſideret; ideoque compacta raris quibuſdam & interlucentibus tabulis & ſublicis, ad laxandum & comprimendum. Quæ ornatus cauſa tecta ſæpe argento vel auro, ſed tenui.

In his Pegmatis varia inventa & ſtupendi luſus ingeniorum, de quibus Auguſtinum loqui ſentio: *Ad quam ſtupenda opera induſtria humana pervenit? quæ in Theatris mirabilia ſpectantibus, audientibus incredibilia, facienda & exhibenda molita eſt?* Nam hæc Pegmata ex ſe ſurgebant, tabulata tacite in ſublime creſcebant, ſubſidebant mox hæc eadem: quin interdum chaſmate & ruina ſubita dehiſcebant,

hiſcebant, ſive tota pegmata, ſive homines qui impoſiti. Et ſolebant interdum ita componere pegma & hanc ruinam, ut ii, qui impoſiti, præcipites ruerent in caveas ferarum, ibique diſcerperentur. Sed & flammarum quidam luſus & imago in hoc pegmate; ſine ulla ejus plerumque noxa. Duces etiam captivos & oppida in Pegmatis ſolere oſtendi, Joſephus adnotat; ſed non hæc theatrica intelligens, verum Fercula, quæ portari ſolita per triumphum.

DE GLADIATORIBUS LIBER.

SPectaculorum apud Romanos quatuor genera fuerunt: *Gladiatores, Venatio, Circenſes, Scena.* Tria ex iis ad oculos maxime, unum pertinuit ad aures. Quæ ad oculos, propria fere Romanorum; aut ſi in alia gente, tenuia præ iſtis, & dictu parum digna. De GLADIATORIBUS dicemus; quod inter omnia celeberrimum fuit frequentiſſimumque Romæ, & in quo plebs maxime vel delectabatur, vel verius inſaniebat, juventutique erat in deliciis.

Spectaculum hoc appellatum proprie, *Munus*: vel quia populo gratis daretur: vel ab officio, quia officium ſe mortuis facere arbitrabantur. Nam *Munus* proprie officium antiquis; ſicut *Munis*, officioſus: & e contrario *Immunis* dicitur, qui nullo fungitur officio. Is qui præbebat, ab ea voce *Munerarius* dictus; Gloſſæ, *Munerarius* ἀγωνοθέτης: cujus vocis primum patrem Quintilianus facit Auguſtum. Nam antea vel *Domini ludorum*, vel *Editores*, & res ipſa *Editiones*. Quamvis hæ voces communes ſint omnibus ludis, *Munerarius* non niſi is, qui munera edit, id eſt, Gladiatores aut Venationes. Hunc Florus magis nove dixit *Muneratorem.* Et *Gladiatores* plus ſemel pro ſpectaculo & munere ipſo uſurpat Cicero aliique homines pro re. *Gladiator* autem ipſe eſt, qui in arena populo ſpectante pugnavit.

In hac autem re de Gladiatoribus *quatuor* ſunt dicenda. 1. ORIGO *progreſſuſque.* 2. LOCUS. 3. HOMINES. 4. MODUS.

1. DE ORIGINE GLADIATORUM.

ORigo Gladiatorum à re funebri: exemplum ab Hetruſcis. At fortaſſe Hetruſci ipſi a Græcis. Undecumque exemplum, cauſa tamen & origo Funus. Nam quoniam olim animas defuncto-rum

rum humano ſanguine propitiari creditum erat, captivos, vel malo ingenio ſervos, mercati, in exſequiis immolabant. Poſtea placuit impietatem voluptate adumbrare. Itaque quos paraverant, armis, quibus tunc & qualiter poterant, eruditos, mox edicto die inferiarum, apud tumulos erogabant. Hæc muneris origo. Atque Gladiatores illi à buſti cineribus *Buſtuarii* dicti.

Itaque prætexu hoc religionis dati publice Romæ primi gladiatores in foro boario, A. U. 490. Dederant M. & D. Bruti, cauſa mortis patris. Dixi *publice*; quia facile ſuſpicor, jam ante privatim & per convivia innotuiſſe. Nam in lætiori convivio ſolenne fuit, in triclinio paria aliquot gladiatorum exhibere ad pugnam, qui cum applauſu convivantium occidebant, occidebantur. Ortus mos à Campanis: ab iis avide hauſerunt Romani, perſeveravitque ille mos ad extrema imperii tempora. Atque hi convivales gladiatores ſunt, quos *Cubicularios* vocat Lampridius.

Olim in funere tantum data munera gladiatorum, nec eo omni, ſed virorum Principum, illuſtriorumque. Non enim dabantur, niſi in funere Indictivo: Imperatorum ergo, Procerumque. Sed paulatim, ut ſolet, res increbuit, & à tenui canali in mare quoddam (fas ſic loqui) excrevit Editionum. Dare enim cœperunt vulgo etiam privati, & pleriſque ea cura in teſtamentis: cavebant enim poſt mortem ſuam tot & tot paria ſibi edi. Imo uſque eo mos evaluit, ut ditiori aliquo mortuo, populus Munus efflagitaret velut debitum, & ex præſcripto legis. Nec vero hoc fine, aut in virorum ſaltem funeribus ſtetit mos, tranſiit etiam ad feminarum. Dux & auctor rei ſtirps illa Veneris Julius Cæſar, qui munus populo epulumque in filiæ memoriam pronunciavit, quod ante eum nemo. Nec dubium, quin Divi exemplum cupide imitatus ſit vulgus.

De Progreſſu Munerum.

Præter funus & religionem, etiam Voluptatis cauſa dati gladiatores. Poſtquam enim res placere populo viſa eſt, & omne vulgus cupiens harum voluptatum, ecce anſa præbendi reperta eſt etiam citra funus. Scilicet nimis raræ illuſtrium divitumque mortes: & inventum, ut Magiſtratus darent, Sacerdotes, Principes, denique omnes, qui gratiam à populo exambire vellent aut honorem.

Primi è Magiſtratibus dederunt *Ædiles*. Quidni enim exemplum rei primum ab illo Magiſtratu cenſeam, cui, velut peculiare munus, ludi? Editio tamen ea quando cœperit, non ſcitur; vix eſt ut ante 600 Urbis annum. Quandocumque cœperint, manſere tamen ad extrema Imperii.

Secundo dedere *Prætores*, more item vetere. Auguſtus hac in re aliquid innovavit & aſtrinxit, è publico aliquid eis dari præcepit, & interdixit, ne quis à ſe aliquid amplius altero impenderet, niſi Senatus decreviſſet. Neve ſæpius, quàm bis quoque anno, Gladiatores

tores daret, neu plurium quàm 60 parium. Postea tamen edictum illud, qua de sumptu est, laxavit idem Augustus: imo è publico aliquid dari ultra vetuit. Caligula etiam aliquid statuit hac in re. At Claudius prorsum vetuit, & à Prætoribus ea munera removit. Videntur tamen iterum irripuisse.

Tertio *Quæstores*, instituto Claudii: quod tamen conatus Nero tollere, qui sanxit, ut ne designatis quidem Quæstoribus gladiatores edendi necessitas esset. Sed reduxit denuo Domitianus, & Quæstoria munera olim omissa revocavit. Non levavit, sed auxit Quæstorum onus Alexander, qui Quæstores candidatos jussit ex sua pecunia munera populo dare.

Quarto dedere *Consules*, exemplis tamen haud ita crebris. Non enim sæpe reperias Consularia munera gladiatorum, venationem sæpe. Hæc de Magistratibus.

Jam vero dedere etiam *Sacerdotes*. Atque ita Pontificales & Sacerdotales ludi passim observantur.

Item novo nomine & re *Ærarii*. Hos alii vocant *Arcarios* qui præerant arcæ fisci.

Denique *Imperatores*, ita quidem frequenter, ut hoc eximium censuisse videantur inter munia principatus. Dabant enim Natali suo, dabant Quinquennalibus, Decennalibus, Vicesimalibus; dabant in dedicatione publicorum operum, in victoria & triumpho, & per variam occasionem. Ista Romæ.

Munera extra Urbem data.

Sed & Provincias pervasit studium hujus ludicri, velut tabes. Primus Perseus Macedonum Rex transtulit in Græciam, majore primo cum terrore hominum insuetorum ad tam cruentum spectaculum, quàm cum voluptate. Nec dubie alii Reges & Dynastæ in sua regna. Et profanæ solum gentes; imo ipsi ecce Judæi, apud quos Herodes Rex sub Augusto in singulis pene oppidis Theatra & Amphitheatra constituit. Et Agrippa una commissione dedit paria 700, Romanos quodammodo ipsos exsuperans.

Nec Reges solum insanierunt hanc insaniam, sed etiam in provinciis passim Proconsules Præsidesque. Editiones ejusmodi aliquando vetitæ, sed obedientia non diuturna. Jam vero coloniæ & municipia æmulabantur, & passim inter reliquias vetustatis Amphitheatra etiam nunc, cædium istarum sedes. Atque ut Romæ magistratus præbebant, sic in coloniis municipiisque Duumviri aut Ædiles. Sed & multi privati dabant, nulla lege, ad populi tantum gratiam, & pecuniæ suæ illudentes: imo & cerdones & libertini. Et ab hac causa in lapidibus frequenter decreti honores leguntur. Frequens etiam titulus præbendi. Salus Imperatoris; quamquam id Claudius, quod in se erat, vetuisset. Atque hi forsasse *Honorarii ludi* Suetonio dicti, quia in honorem Principis suscepti.

Postremo

Poſtremo non homines ſolum certi qui darent, ſed etiam tempora quædam quibus darentur. Saturnalia imprimis. Deinde Quinquatruum feſti dies. Atque etiam per adulationem Senatus dies unus alterve gladiatoribus ſæpe additus, in honorem Cæſaris.

Crebritas Gladiatorum, & Numerus.

Munerum crebritas, & multitudo pugnantium, ſupra noſtram fidem. Cæſar Ædilis 320 paria dedit. Adrianus Cæſar Gladiatorum munus per 6 dies continuos exhibuit. Gordianus ædilitatis ſuæ tempore populo Romano 12 munera, id eſt, per ſingulos menſes ſingula exhibuit; ita ut gladiatorum nonnunquam 500 paria exhiberet, numquam minus 150. Ergo unus ille non minus 3000 dedit uno anno. Titus Gladiatores, Venatus Naumachias per 100 dies dedit. Bonus & moderatus Princeps Trajanus ſpectacula ejuſmodi per dies 123 continuavit, & gladiatorum 10000 dedit. Caius 1000 paria. Itaque magna copia Romæ & in provinciis gladiatorum fuit. Gordianus Romæ habuit gladiatorum fiſcalium paria 1000. nec tamen aut imperium tunc, aut ipſe, ad ævi illius. Otho Imperator 2000 gladiatorum contra Vitellium armavit: credo, ex iis tantum, qui in Principis fiſco.

Legibus inhibita munera.

Calamitas Orbi invecta per hos ludos: nullum enim bellum tantam cladem vaſtitiemque generi humano intulit, quàm hi advoluptatem ludi. Numerum dierum hominumque recenſe; mentior, ſi non unus aliquis menſis Europæ ſtetit vicenis capitum millibus aut tricenis. Neronem culpamus aut Caligulam, qui 100 aliquot homines vita interfecerunt, ira ſive metu: ecce unus Editor homines ſupra 1000 ludens interfecit, & die non toto. Atque hæc delicias vocabant, & cibum oculorum: fiebantque non per unius alteriuſve laſciviam, ſed velut publica lege & decreto. Itaque eo ventum eſt, ut aliis legibus effuſio iſta fuerit coërcenda.

Primo ad ambitum reprimendum, cautum fuit, ne quis daret candidatus. Legem eam tulit M. Tullius Conſul. Cautum etiam de numero aliquid gladiatorum, ſub idem tempus, ſupra quem ne haberent in Urbe. Sicut in Catilinaria conjuratione item remoti gladiatores ab Urbe. Sed Auguſtus certe etiam de numero parium cavit, edixitque A. U. 732, nec Gladiatores ſæpius quàm bis anno dari, nec plurium quàm 60 parium. At Tiberius firmus contra iſta, certum numerum in commune præſcripſit. Sed poſt Tiberium Caligula conculcato hoc edicto, permiſit volentibus cunctis etiam ſupra numerum definitum, gladiatores præbere. Et Domitianus gratificatus contra eandem legem ingenio ſuo & ſæculo videtur.

Nec de numero ſolum Tiberius, aliquid etiam ſtatuit de Munerariis, cavitque SC. nequis gladiatorium munus ederet, cui minor 400000 res. Fortaſſe & idem vetuit, ne quis edidiſſe vellet libertus.

Quin

Quin & Nerone Principe ſtatutum, ne quis Præſes aut Procurator, qui provinciam obtineret, gladiatores daret. Sumptus etiam ad munera coërcitus plus ſemel. Antonius Pius profuſionem vetuit, certa pecunia definita. Poſt illum Marcus Philoſophus. Alexander vero habuit in animo, ut munera per totum annum diſpergeret, ut per 30 dies munus populo daretur, ſalubri conſilio; ſed ſine effectu. Perrupit enim omnia ſepta inveterata licentia; nec jam Princeps aut lex, qui capere poſſet tam effuſis cupiditatibus modum.

Tarde, imo ſero deſcenſum eo, ut gladiatoria ſpectacula prorſum tollerentur. Pulcherrima hæc laus ad Conſtantinum Imperatorem referenda: is primus Romanorum Principum gladiatoria ſpectacula è toto orbe Romano ſubmovit, A. U. 1067. pene 600 annis poſt ea inſtituta. Repreſſit igitur Chriſtianus Princeps: tamen & ſub Conſtante, & poſtea ſub Theodoſio & Valentiniano conati irrumpere; imo irrupere. Etiam ſub Honorio, qui tamen ſuſtulit, occaſione Telemachi cujuſdam Monachi, qui gladiatores Romæ pugnantes, pio quodam ardore diducere conatus, à populo lapidibus obrutus fuit. Ita obviam itum ludo non ludo, & ſublata adeo res cum memoria gladiatorum, ut ægre nunc ad intelligentiam retrahere poſſimus morem fugitivum.

De Habitu Edentium, Spectantium.

Duo genera fecimus Editorum: *Magiſtratus* & *Privatos.* Qui enim munus mortis cauſa dabant, plerique videlicet fuere privati; tamen dabant non quaſi privati; per dies enim omnes muneris, prætextæ illis jus, lictorum, accenſi; omninoque imaginem quandam gerebant, Magiſtratus. Nec illud occaſione prætereundum; propriam quandam veſtem fuiſſe in munere funebri ipſorum ſpectatorum: ſpectabant enim in penula pulla. In munere vero voluptuario ſpectabant togati.

II. DE LOCO GLADIATORUM.

LOcus Gladiatorum duplex: *Ludus* & *Arena.* Ille, ubi habiti altique gladiatores; hæc, ubi dati & producti. De priore prius.

DE LUDO GLADIATORIO.

Ludus gladiatorius inde dictus, quod in eo juvenes uſum armorum condiſcerent. Nam primo gladiatores domi & in reliqua familia fuerunt: mox creſcente numero, & crebritate editionum, aperti iis velut Publici quidam ludi, & in his armorum Magiſtri. Itaque quidam ſplendidiores, etiam poſt inſtitutos ludos, habuere domi eos aut apud amicos. Quod tamen perrarum, & vulgo ars pugnandi docta exercitaque in ipſis ludis. *Luſorium* appellaſſe videtur Lampridius. Græce *καταγώγιον μονομάχων*, appellat Herodianus,

dianus, quasi dicas *diversorum domiciliumque*. Suidas μονομαχοτροφεῖον.

In Urbe autem plures ejusmodi ludi, nominibus suis noti & discreti: ut, *Ludus Gallicus*, *Dacicus*, *Magnus*, *Mamertinus*, *Matutinus*, *Æmilius*. Ex his aliqui etiam Bestiariorum fuerunt; uti certe *Matutinus*; nam matutina spectacula ferarum. Et distincti ludi bestiariorum & gladiatorum.

Hisce ludis non Lanistæ solum præerant, (de quibus mox dicetur) sed etiam digniori nomine *Procuratores*, nec ii de plebe, sed ex civium primis: fuitque velut inter dignitates & insulas id munus. Nec longe ab istis diversi Curatores munerum ac venationum. Medici etiam sui singulis his ludis; nec id invento novi sæculi, sed diu ante Imperatores, anno Urbis 663. adeo antiqua cura illa in valetudine gladiatorum. Exemplum translatum e Græcia, apud quos Medici athletis. Medicos autem hic haud tam arcte acceperim, ut hodie; sed incluserim etiam Chirurgos, usurpatione prisca: ii autem opus certe gladiatoribus læsis, laxatisve. Deinde & ratio victus gladiatorii ea, ut salvi esse sine Medico non possent: large enim edebant, bibebant, & dabantur velut in saginam: eo fine, ut domini, valentes eos producerent, ut Cicero ait, cum gladiatoria totius corporis firmitate. Inde *Gladiatoria sagina* Tacito. Inde *Saginæ* nomine ludum ipsum Propertius intellexit. Plinius videtur attribuere hordeum iis in cibum. Sed non credo eo usos; male alibilis est is panis, flatus genitor malique coloris; ideoque ignominiæ causa militibus datus qui deliquissent. Seneca etiam eum inter vilissima genera habet. Quæ omnia contraria huic gladiatoriæ saginæ.

Ludi isti non solum Romæ fuerunt, sed in coloniis item municipiisque: Capuæ inprimis & Ravennæ. Nam Ravennæ ludum exstruxit, aut certe voluit Cæsar.

De forma ludorum nihil dixerim, præter, multiplices in iis minutasque cellas fuisse, in queis seorsim haberentur singuli gladiatores: exemplo scilicet servorum, quibus cellæ. Sed & meretricum cellæ (ex Juvenale & Petronio) & capitum omnium viliorum.

De Lanistis, Ludorum præfectis.

His ludis præfuisse Lanistas supra tetigi. Vocem *Lanista* vulgo à laniandis corporibus formant; nec persuadent. Isidorum potius audio, qui Tuscum esse vult, & illis carnificem signare: & audio eo libentior, quia res gladiatoria petita a Tuscis. Lanistæ avium etiam apud Columellam, qui aves condocefaciunt ad pugnam. Emebant autem Lanistæ futuros gladiatores, aut expositicios pueros huic rei tollebant.

Tota autem manus, quæ sub uno Lanista, *Familia* appellabatur; & eum dicebant Familiæ præesse. Hinc natum proverbium Ciceroni famili-

familiare: *Ducere familiam* quod idem eſt, ac Familiæ præeſſe, ſumptumque ab hac ipſa Laniſtarum præfectura.

Hic iidem Laniſtæ honeſtiore & invidendo verbo *Doctores* dicti, & *Magiſtri*: videlicet, quia gladiatores novitios & tirones docebant. Quin iidem *Commentari* dicuntur, & *Dictata dare*, verbis omnibus à meliore ludo ſumptis. Nec inepte *Dictata*, quia revera præcepta ſua armorum commiſere etiam ſcriptis.

In ludo duo erant genera: *Tirones* ſeu novitii, & *Veterani*. Veterani nobiliores, & uſu longo edocti. Ad Tirones cura & inſtitutio præcipue pertinebat. Ratio moduſque inſtituendi, ut rudibus batuerent cum Laniſta: ſive etiam ad palum exercerentur, militum inſtar. Sed prius illud de rudibus proprie *Batuere* dicebant; & gymnaſium ipſum, *Batualia*, vulgo *Battalia*, γυμνάσια τῶν μονομάχων. Erat autem *Rudis*, gladius e ligno. Et quidem pro modo cujuſque armaturæ, Threci incurvus, Secutori rectus, Retiario dentatus. Fortaſſe etiam è ferro, ſed tamen hebes. Amplius, duplex fuit Rudis: Laniſtarum, & Tironum ſive exercentium. Laniſtæ ſua rudis, qua ſecerni cognoſcique potuit; ea fuit è ferula, qualia ſceptra Pædagogorum: & *Ferula* etiam nominata priſcis, qua novos auctoratos, & novitios gladiatores aberrantes Laniſta cædebat, velut legitimus magiſter. Nam & hæc res à literario ludo. At Rudis ad gymnaſia diverſa ab hac, & gladii forma, fortaſſe etiam ponderoſior, graviorque. Hæc exercitatio & velut meditatio novis gladiatoribus ad cædem.

DE LOCO PUGNÆ.

Dictum de loco, ubi habiti gladiatores; ſupereſt locus pugnæ, qui non unus: ad rogum enim dati, in foro, in Circo, in Amphitheatro, in ſeptis; vicatim, & regionatim. Ad Rogum olim in exſequiis, iſque antiquiſſimus locus. Poſtea non placuit circumducere populum, & omiſſo rogo ipſi gladiatores funebres in foro dati. Forum ergo locus vetus pariter & diuturnus. Nam & ſub Auguſto fuit; & Tiberius munus gladiatorium duplex dedit, alterum in foro, alterum in ſeptis. Tamen cœptum vileſcere & forum: forte ideo, quia loca ſeſſui & ſpectationi parum apta. Itaque magno ambitu locum in foro Conſules Magiſtratuſque clientibus tribulibuſve ſuis adſignabant, & in beneficii loco. Igitur ſtructa Amphitheatra, deſtinata proprie huic ludicro & Venationi. Et Plerumque exhinc in iis dati gladiatores, tamen non omiſſo prorſus foro. Etiam in ſeptis Agrippæ. Sed & Circus interdum huic rei. Sæpe vici, & 14 regiones Urbis, quod ſub Imperatoribus factitatum.

De Spoliario.

In loco ludi etiam Spoliario ſuus eſt locus. Eſt autem *Spoliarium* non ipſe ludus, ſed ludi pars. Ductum nomen à re balnearia: nam exteriores cellulæ in balneis, *Spoliaria* dictæ, Græce ἀποδυτήρια. Ubi ergo in balneis exuebantur, ſeque veſte expoliabant, *Spoliaria* dicta;

dicta; & à causa simili in ludis. Nam ibi gladiatorum vestes & ornamenta. Imo amplius, locus ille receptor vulneratorum cæsorumque. Quin & ii, qui sine spe curationis læsi illic interficiebantur.

Erat & locus obscœnus in ludo, ubi spongia: de qua Martialis & Seneca.

De Diludiis.

Tempora, quæ gladiatoribus concedebantur inter dies munerum, quibus pugnatur, dicebantur *Diludia*, ut vult Horatii vetus Scholiastes. Verum potius Diludia videntur esse, cum medii ludi alio genere spectaculi interrumpuntur, & quasi diffinduntur. Ita enim mos, ut in media sæpe Comœdia aut Tragœdia, Venationem, aut paria aliquot gladiatorum, poscerent, tædii levandi.

III. DE HOMINIBUS PUGNANTIBUS.

DE *Origine* & *Loco* dictum: Tertium nunc de *Hominibus*, de quibus *duo* dicenda: *Quæ* CONDITIO *fuerit gladiatorum*; & *Quæ eorum* GENERA, *quodque discrimen.*

CONDITIO GLADIATORUM.

Ad *Conditionem* quod attinet, è servis plerumque fuerunt, aut captivis. *Servi* aut vendebantur in ludum, aut damnabantur, adeoque id increbuit, & ob levem sæpe causam. Eos conquiri, moris etiam in provinciis fuit. *De Captivis* etiam non ignotum: aut enim venditi illi ipsi lanistis, aut ab Imperatoribus, postquam in triumpho ducti, dati in ludum sæpe & sine triumpho. Servi ergo captivique primo ad hoc munus.

Sed paulatim etiam liberi & ingenui, nulla quidem aliunde vi, sed pretio inducti, vel mala libidine pugnandi. Et vero paulatim, non desidentibus, sed corruentibus morbus, eo ventum, ut primæ nobilitatis viri operas arenæ locarent; quidam desperatione & bonis exuti; alii Principibus gratificantes. Quin vulgo jam sub Principibus Equites polluti arena, & Senatores. Origo prima rei à C. Cæsare, qui permisit Equitibus Romanis ut pugnarent. Eoque temeritas hæc, sive insania fuit, evasit, ut lege cavere Augustus debuerit; qui tamen Equitibus palam id permisit, non item Senatoribus. Sed denuo id vetitum S C. & fraudem, quæ huic legi fiebat, repressit Tiberius. Sed non ad Tiberii severitatem Principes secuti, qui solute adeo permiserunt, ut Caligula, una commissione 26 Equites dederit: Nero exhibuerit ad ferrum, 40 Senatores, 60 Equites Romanos Vitellius: quamquam ipse infamis infamiam hanc genere quodam sustulit; cavitque severe, ne Equites Romano ludo aut arena polluerentur.

Nec

Nec solum Romana juventus tam prodiga sanguinis sui pariter & honoris, sed & feminæ ipsæ in arena nudæ pugnarunt veram illam gladiatoriam pugnam. Hoc adeo verum est, ut, Severo Principe, vetandum S C. fuerit. Nec tantum feminæ venerunt in hanc pugnam, sed pumili & nani, improbo quodam studio novitatis.

De Auctoratis.

Fuerunt ergo in universum duo genera gladiatorum, Coacti & Voluntarii. *Coacti*, servi, damnati, captivi. *Voluntarii*, liberi, quique pretio se addicebant. Hi postremi *Auctorati* dicti. Inde *Auctorandi* verbum notione pari: ab eodem & *Auctoramentum*, pretium ipsum gladiatoris & merces *Gladiatorium* Livius appellavit.

Hæc autem *Auctoratio* non simplex. Quia enim liberi, juramento solemni interposito fiebat, quod vinclum servitutis; jurabatque novitius gladiator, se omnia passurum ausurumque, quæ legitimum gladiatorem jus, mos esset. Formula adeo ipsa juramenti in Petronii Arbitri fragmentis: *In verba*, inquit, *Eumolpi Sacramentum juravimus, uri, vinciri, verberari, feroque necari, & quidquid aliud Eumolpus jussisset: tanquam legitimi gladiatores, domino corpora animosque religiosissime addicimus.* In tria jurabant, ustionem, verbera, necem; quæ gladiatores patiebantur ex more: Necem, cum cecidissent, & ferrum juberentur recipere: Flammam, & Verbera, si quando timidius pugnarent, aut fugerent à ferro. Hoc fine Lorarii fuerunt, sive Mastigophori in Arena & in Scena.

GENERA GLADIATORUM.

Sequuntur genera & discrimen gladiatorum. Nec enim gladiatorum unum nomen,aut una classis; sed ab *Armis*: à *Locis*: a *Tempore*: aliisque *causis* diversi. Ea omnia operæ est accurate persequi, quia nec vulgo nota, & literatorum in his sæpe error.

In prima classe, qui armis & ratione pugnæ diversi, collocantur isti: *Secutores, Retiarii, Threces, Myrmillones, Hoplomachi, Samnites, Essedarii, Andabatæ, Dimachæri, Laquearii.* De his singulis dicendum.

De Secutoribus.

Secutor ab insequendo Retiarium dictus est. Nam *Secutor* proprie est assecla, comes, ἀκόλουθος. Itaque extra rem gladiatoriam legitur. *Secutor Tribuni*, *Secutor Cæsaris*; muneris operæque nomen. Et forte sic dicti milites, qui ex instituto prisco Tribunos comitabantur, velut loco apparitorum. Ab hac eadem notione Mars cognomento *Secutor*; apud Apuleium. In Petronio etiam legitur *Secutuleia mulier*, ab hoc eodem etymo, quæ virum appetat, & sectetur ipsa. At Secutorum inter cætera gladiatorum nomina, mentio multa.

L Arma

Arma Secutoris describit Isidorus, sed parum ex fide: Gestabat enim cuspidem seu gladium, clypeum, & galeam, quæ communis plerisque gladiatoribus. Isidorus ipsi tribuit etiam massam plumbeam, quæ adversarii jaculum impediret, ut antequam ille feriret reti, iste superaret.

De Retiariis.

Retiarius plerumque commissus cum Secutore. Interdum etiam cum Myrmillone: nec enim novum, ut unus cum diversis componatur: sicut Myrmillo cum Threce. Retiarium Isidorus describit: *Retiarius*, inquit, *qui contra alterum pugnantem occulte ferebat rete jaculum, ut adversarium cuspide insistentem operiret, implicitumque viribus superaret: quæ armatura pugnabat Neptuno tridentis causa.* Origo & exemplum ejus armaturæ non dubie à Pittaco, qui inter sapientes. Ita enim ille ex provocatione cum Phrynone pugnavit.

Juvenalis cum cura ejus arma descripsit, & velut ex professo. Non erat ei clypeus, non sica, non galea, quia fuit contentus solo galero: nuda facie soli hi ex gladiatoribus. Ita autem docti Retiarii, factique, ut arte quadam collectum suspensumque dextra manu rete in adversarii caput jacerent: &, si errassent, effuse fugerent, donec forte iterum rete collegissent. Tridens sive fuscina illis pro gladio; inermes & in sola tunica. Tertullianus tamen spongiam iis attribuit, pectori nimirum tegmen.

De Threcibus.

Thraces, vel (ut libri fideliores) *Threces*, gladiatores à similitudine parmularum Thraciarum. Imo non ab armis solum, sed quia ipsi ex ea gente. Certe suo ingenio ea gens prona ad pugnas & cædes: & jam antiquitus ad rogum singulari certamine decertabat. Sane Monomachia hæc ad gladiatores Threcas spectat, quorum sparsa in libris mentio.

Arma videamus; quæ Ciceroni aliisque *Threcidica* dicta: & inde, *Pugnare Threcidicis*. Festus & Martialis iis parmam dant: sumpta enim parma à Thracum populo, quibus velut propria. Harpe etiam, id est, ensis falcatus Threcum, Latinis *Sica*, Curtio *Copis* dicta.

De Myrmillonibus.

Myrmillones venerunt e Gallia, *Crupellarii* iis forte dicti: quasi qui ob gravitatem armorum reperent, non irent. Hinc *Crupellares* aut *Prorepos* vocarunt. Certe Myrmillones toti in armis. Videntur inter pugnam soliti subsidere, ad excipiendum adversarium; & vitabundi. Myrmillo plerumque cum Threce compositus, nonnunquam etiam cum Retiario. Unde est illud Festi; *Retiario pugnanti adversus Myrmillonem cantatur. Non te peto, piscem peto: quid me fugis, Galle? quia Myrmillonicum genus armaturæ Gallicum est, ipsique Myrmillones, ante, Galli appellabantur, in quorum galeis piscis effigies inerat.*

De

De Hoplomachis.

Hoplomachi Græcum nomen. Universe sonat quemvis gladiatorem, qui pugnet armatus: Romanis tamen certa species. Confundi possunt cum Myrmillonibus, vel Samnitibus. Nam & in Myrmillonem vox Græca convenit, quia tectus armis. At verius fortasse in Samnitem, cujus nomen ante Ciceronem celebre, desiisse sub Imperatoribus videtur, & abiisse in Hoplomachum: at res armaque eadem.

De Samnitibus.

Samnitium originem non celat nos Livius: *Campani*, inquit, *odio Samnitium gladiatores eo ornatu armarunt, Samnitiumque nomine appellarunt.*

Arma eorum idem Livius describit. Scutum auro & argento cælatum, cujus summum latius, qua pectus & humeri teguntur, fastigio æquali; ad imum cuneatius, mobilitatis causa. Spongia sive Balteus pectori tegumentum, & sinistrum crus ocrea tectum: pinnæ in galeis. Itaque *Pinnirapi* non alii, quam qui cum Samnite compositi, quique rapiunt ejus pinnas. Hos Cicero vocat *Provocatores*, qui cum Samnitibus solebant componi: Artemidorus *Probactores*; voce, ut videtur, peregrina.

De Essedariis.

Essedarii sunt, qui ex essedo pugnant; quamquam mixtim modo è curru, modo pedites præliati sint. Nam desiluisse, & pedibus pugnasse, præit ad suspicandum Seneca. Servum etiam habuisse videntur in pugna, qui pro auriga.

De Andabatis.

Andabatæ his proximi, sive ἀναβάται. Hi pugnabant ex equis, galea frontem oculosque tecti: inde origo adagii apud D. Hieron. *Clausis oculis Andabatarum more pugnare.* Galeæ istis ex auro.

De Dimachæris.

Dimachærus sive Orbelas parum notus, & inter legendum repertus, sed non inventus: Colligas tamen facile, duobus gladiis pugnasse.

De Laqueariis.

Laquearii Isidoro sunt, quorum pugna erat, fugientes in ludo homines injecto laqueo impeditos consecutosque prosternere, amictos umbone pelliceo.

De Supposititiis gladiatoribus.

Receptum erat, ut fesso gladiatori aut victo alius atque alius sufficeretur, & contenderet cum victore. Ii *Subdititii*, vel *Supposititii* dicti. Græci, apud quos idem in Athletis mos, vocant ἐφέδρους. Substituebatur autem sæpe unus, alter, tertius: unde in Glossis τριτ᾽εφεδρος, *Tertiarius*. Id autem non fiebat ad cujusque arbitrium; sors decidebat.

De Pegmaribus.

Dictum de Gladiatoribus, qui ab armis appellati; ad reliqua genera eundem. Inter hos primi se offerunt *Pegmares*; ii a loco nomen habent, quia pegmatis impositi pugnabant; licet tantum captivos aut insignis sceleris damnatos in pegmatis solere ostendi constet. Ad pegma autem moliendum movendumque multi e numero fabrorum administri. Ii ergo admoti per occasionem, tractique in arenam à Caligula, deficientibus bestiariis.

De Meridianis.

Meridiani occurrunt, quibus hoc nomen scilicet à tempore, quia sub meridiem darentur. Nec hi tamen legitimi destinatique gladiatores, sed bestiariorum velut reliquiæ quædam & purgamenta. Duplex enim spectaculum. Matutinum, & Meridianum. Mane cum bestiis depugnabant: post meridiem, ii qui superfuerunt, inter sese; & *Meridiani* gladiatores vocabantur. Cæterum nec docti factique ad pugnam erant, nec armis in ea utebantur, aut arte: cædes tantum promiscua, & velut laniena.

Alia Gladiatorum cognomenta.

Gladiatores *Fiscales* sunt ii, qui in Cæsaris bonis, & velut fisco. Nam Principes ipsi proprios & peculiares gladiatores alebant, ad instruendum suas populique voluptates. Itaque recte Arrianus dixit istos, Καίσαρος μονομάχους, *Gladiatores Cæsarianos* aulicosque. Nec gladiatores solum, sed alebant etiam histriones.

Ab his orti *Postulatitii* gladiatores. Quia enim Cæsariani isti, eximii viribus, arte, ornatu, (ornati autem auro & apparatu aulico) sæpe a populo postulari solebant, velut muneris auctarium & ornamentum. Et nominatim hunc illumve gladiatorem flagitare in pugnam solebant, sive manu, sive scelere, notum.

Sunt & *Catervarii* inter gladiatores, à modo pugnæ: scilicet, cum non singuli cum singulis, ut moris, sed confusi mixtique pugnant, & per catervas. Nec ab alia mente *Catervarii pugiles* Tranquillo.

Inveniuntur & *Victores*: dubium, an νικῶς & ab effectu, an cognomine certo, & discernendi causa.

Eliciunt aliqui ex Plinio *Consummatos*, sed rejiciuntur: nisi accipias consummationem gladiatorum apud Plinium, cum conjuncti omnes congregatique pugnant, redacti tanquam in unam summam.

Postremo *Ordinarii* gladiatores lecti, qui legitimo tempore, loco, & apparatu, inducuntur: à prioribus illis (Postulatitios dico, & Catervarios) diversi.

De Veste, & Ornamentis Gladiatorum.

Vestis Gladiatorum in genere, *Tunicæ*; ut decuit servos. Sed Togatos facit Tertullianus & Capitolinus: forsan labenti ævo mutata res. Togam certe, cum in honore & usu fuit, quis credat fœdatam ministeriis arenæ?

Arma

Arma gladiatorum antiquis proprie appellata *Ornamenta*. Suetonius ipſos gladios vocat Ornamenta. Feſtum audite: *Ornatus*, inquit, *dicitur bene aptus, ut miles, aut gladiator, aut acturus fabulas.*

IV. DE MODO PUGNÆ.

QUartus terminus & ultimus ſupereſt, de *Modo*; de quo modice dicendum, aut potius intra modum. Et *tria* erunt ſermonis capita. 1. *Quid ante pugnam.* 2. *Quid in pugna.* 3. *Quid poſt pugnam.*

1. QUÆ ANTE PUGNAM.

Ante pugnam quædam fiebant ante diem muneris, & quædam ipſo die pugnæ, ſed tamen ante pugnam. Ante diem muneris fuit *Apparatus* & *Invitatio*. Ipſo die ante pugnam, fuit *Pompa, Compoſitiones, Oſtenſio ornamentorum, Prælusio, Tubæ cantus,* & *Verſa arma.*

Apparatus & Invitatio.

Ante Pugnam moris, ut Editor libellos proponeret, in quibus dies futuri muneris, item nomina & paria gladiatorum, ſcilicet alliciendæ plebi, & expectationi commovendæ. Id vocabant, *Pronunciare munus, Oſtendere munus, Proponere munus.* Seneca vocat *Edicta*. Edicebant enim deſcribebantque futurum munus in libellis, quos tamquam ludorum indices vendebant deſcribebantque palam, ut in provincias mitterent, & ad amicos abſentes. *Libellum munerarium* appoſite vocat Pollio.

Nec vero in libellis ſolum pronunciatio hæc munerum, ſed etiam in tabulis & pictura. Pingi, inquam, jubebant habitum formamque pugnantium gladiatorum, item loci, munerisque totius. Picturæ hujus primum auctorem Plinius facit C. Terentium Lucanum. Idemque in Venatione ſervatum eſſe, ex Capitolino diſcere eſt. Et hodie ſervant noſtri in iſto Batualium ludicro, quod *Gladiatorium* vocant, etſi priſci illius vix umbram. Atque hæc ante muneris diem.

Pompa & Traductio.

At die ipſo, gladiatores ordine deduci in Arenam mos fuit, & inibi ſolenni quadam pompa circumduci. De qua traductione Quintilianus: *Jam oſtentata per Arenam periturorum corpora, mortis ſuæ pompam duxerant.* Ad hanc traductionem etiam accommodatur illud Capitolini, Fauſtinam quondam, cum gladiatores tranſire vidiſſet, unius ex his amore accenſam.

Compoſitio.

Poſtquam introducti, paria inter ſe componebantur, ſive ut Græci decenter appellant, ζεύγη. Hoc enim dicebant *Componere, Comparare* etiam, item *Committere.* In hac compoſitione prima Editoris cura,

cura, ut pares cum paribus confligerent: atque adeo id volebant ipsi gladiatores.

Armorum ostensio.

Post comparationem, gladii armaque, quibus pugnaturi, Munerario ostendebantur, explorandi causa, & an satis acuti. Facit ad hunc invulgatum adhuc ritum, quod Dio scribit, gladios acutissimos, Drusianos vulgo vocatos: videlicet, quia crudelis ille & cruentus edito acutissimos semper exigebat. Contra lenissimus Marcus Imperator, qui ferrum acutum nemini gladiatorum permisit.

Prælusiones.

Ipsi pugnæ præmittebatur Prælusio. Quidam enim arte quadam jaciebant hastas; quidam velut feriebant gladiis: sed hastæ illæ puræ à ferro, obtusi gladii, denique proludebant & eludebant. Prælusionis diem vocat Symmachus; qui præmissus legitimo certamini. Sed ille de Venatione aut Circensibus intelligendus: Gladiatores illo ipso die pugnæ proludebant.

Prælusio autem in *Hastis*, *Rudibus*, *Armis*. Præludentes Hastis, Quintilianus vocat *Pilarios*, & *Ventilatores*, qui ea, quæ emiserant, ita librabant, ut venire in manus viderentur, quaque juberentur decurrere. Rudes autem Seneca appellat *Lusoria tela* sive *arma*: Tertullianus, *Exercitatoria tela*. E contra, vera & acuta tela, *Decretoria*: forte ideo, quia hæc velut decreto Prætoris sive Editoris dabantur, postquam inspecta acriter & probata. Eadem *Arma pugnatoria* dixere. Seneca *Pugnatorium mucronem* dixit. Præluserunt item armis: Nam parmas aut clypeos in altum jaciebant recipiebantque cum venustate; nec parmas solum, sed & hastas, ut dixi, fortasse & gladios. Id vocabant proprie *Ventilare*. Hoc ergo erat *Præludere*: ut, cum desierint, dicuntur *elusisse*, aut *delusisse*. Nec absimili notione *Litus* definiebat Aquilius, qua fluctus eluderet, id est, ludere desineret. Plinius *Deludere* videtur dixisse.

Tubæ cantus.

Cantus tubæ signum fuit commissionis & veræ pugnæ. Ideo Apuleius *Tubam terminalem* appellat, quia primitias & ludicra certaminis finiret terminaretque. Idque in omnibus ludis factitatum, etiam scenicis.

Arma versa.

Dirempta ergo prælusione, abjectisque lusoriis armis, transibant ad vera. Atque hoc est, quod *Dimicare ad certum*, Tertullianus vocat. Appellabant id etiam, *Pugnare versis armis*, id est, transmutatis.

2. QUÆ IN PUGNA.

Componebant se gladiatores & colligebant in arma, mira arte curaque sui defendendi, alterius petendi. Nec mirum: nam gladiatori composito ad pugnandum hæc proposita sors est, aut occidere,

dere, si occupaverit; aut occumbere, si cessarit. Hanc ex arte posituram vocabant *Statum*; &, *In statu stare*. Curæ enim iis fuit, atque adeo laudi, mansisse in statu. Imo nec læti deserebant. Idem est, *Stare in gradu*. Hinc apud Tertullianum legimus, *De gradu pellere, Cedere de gradu, Construere gradum.* Cicero etiam ab hoc gladiatorio more elegantem metaphoram plus semel usurpat, *Dejici, Deturbari de statu animi, de statu mentis.*

Cum hoc modo igitur paria in statu; petebat alter, vitabat alter. Et hoc proprie dicebant *Petere*: & ictus ipsos, *Petitiones*. Videntur etiam appellasse conatus; invasionesque singulas, *Manus*. Unde Seneca dixit. *Manum mittere*. Est igitur *Petere*, arenæ verbum: etiam *Repetere*: sic enim appellabant geminare ictum.

Hæc invadendi verba: At vitandi cavendique, *Exire*: etiam *Excedere*: Prudentius & Manilius id ipsum *Ludere*, vel *Eludere* dixerunt. In vitando præcipua cura, ut latus tegerent. Et latus certe adversarius maxime petebat. Nec rarum erat, ut cum plura paria pugnarent, vulneraretur quispiam per alterius latus. Unde, *Per alterius latus peti*, dicebatur.

Cum quis læsus esset, aut cecidisset, vox adversarii insultantis, aut acclamantis vulgi erat, *Hoc habet*, aut simpliciter, *Habet*. Læsi autem, & mortis metuentes gladiatores submittebant arma, id signum victi fractique. Solebant etiam digitum tollere gladiatores, cum se victos faterentur, & veniam à populo ostensione digiti postulare. Hinc proverbio, *Digitum tollere*. Nec ideo tamen liberi: à nutu populi pendebat mors eorum vel salus; sive etiam ab Editoribus. Imperatori etiam, cum præsens, semper jus liberandi. Quinimo & solo interventu suo. Hæc liberatio, *Missio* dicta; diversa à Rudi: nam Missio ad victos pertinebat, Rudis ad victores. Illius effectus, ut ab imminenti periculo, & in eum diem duntaxat liberarentur: hujus, ut ætatem. Mittebantur ergo læsi. Itaque *sine missione dare gladiatores, & sine missione pugna*, non aliud, quam ad certam mortem dari, nisi vincas; jus non esse vulneratos supplicesque liberandi. Augustus decreto prohibuit, gladiatores sine missione edi. Clementer, quoniam reperti sævi Munerarii, qui omnes dabant in certam mortem. Qualis Domitius, avus Neronis.

Populi ergo in arena præcipuum jus, & ad ejus voluntatem domini plerumque se conformabant. Intercedebat pro victis læsisque: interfici jubebat idem. Signum, conversus pollex. Hoc Tranquillus dixit, *infestis spectatoribus dimicare*. Causa huic malevolæ notæ à contrario proverbio, in favore pollices premendi. Hinc dicitur, *Pollicem premere*, in favore: nam pollex pressus, signum liberationis. Contra, *Pollicem convertere*, minus favere. Hac in re multum potuit audacia & constantia gladiatorum, quæ accepta populo: ignavia odio fuit. Post hæc ergo suffragia vulgi, si alba

 quidem

quidem favenſque ſententia, miſer ille mittebatur, ſed in eum diem aut id munus dumtaxat: ſin funeſta, boni gladiatoris erat decumbere, & libenter fortiterque recipere ferrum. Id enim imperabatur: *Recipe ferrum.* Iis verbis ſubjecta vis, ut jugulum ultro præberent, ne membra contraherent, ne manum opponerent. Mira firmitas, ſi in re bona ſeriaque. Et tamen miſericordia (ſi ita placet) admixta his ſceleribus, ſi quis caderet gladiator famoſus. Imo & quidam, quaſi mitiores, avertebant ſe à vulneribus. At illud feritatis inauditæ, percuſſos jacenteſque repeti jubebant, & cadavera ictibus diſſipari, nequis illos ſimulata morte deluderet. Et ſupereſt alius ad ſævitiam gradus: Nam & manum mittebant in vulnus, & ſanguine velut ſe proluebant. Nec defuerunt è populo, qui gladiatorum ſanguinem ex ipſo vulneris hiatu biberent, calidum adhuc ſpirantemque contra morbum quidem; ſed juſta Plinii deteſtatione; cum plagis ne ferarum quidem admoveri ora fas ſit humana. Non ergo injuria, in hanc fatalem arenam illata, una cum reliquo apparatu, Libitinæ inſtrumenta, ut eſſet videlicet, quo mortui ſubito efferrentur. Ab hac re certa porta in Amphitheatro, quæ *Libitinenſis* dicta.

3. QUÆ POST PUGNAM.

Jam ad exodium perducta res, & pugna pugnata eſt. Venio ad ea, quæ poſt pugnam: *Præmia* & *Rudem.*

De Præmio & Rude.

Præmium victori duplex; *Palma* & *Pecunia.* Nam præter palmam iiſdem & pecunia data. Quæ donationes effuſe creverant, & coërcendæ à Principibus ſæpe. Sed & ultra legitima præmia, corollaria adjiciebantur, exemplo à ſcena.

Rudem indulgebant gladiatoribus veteranis, quaſi magiſterii ſignum; aut etiam novis, in novo aliquo & ſtrenuo facto; idque populo imperante. Hanc enim gladiator, ſtans ad crepidinem Circi ſub circulo Amphitheatri à populo petere & impetrare ſolebat. Dabat eam Editor, vel Laniſta etiam ipſe; ſed tamen populi arbitrio aut poſtulatione: quod etiam in aliis præmiis obtinuit.

Rudis mentio apud omnes ſcriptores crebra, cujus effectus, liberatio ab arena. Quod tamen aliter atque aliter pro conditione gladiatorum. Quidam enim liberi erant ſive Auctorati, qui arenæ operam pretio locabant: ii donati Rude, redibant in veterem prorſus libertatem, nullo ultra vinculo ſervitutis. Alii è gladiatoribus conditione ſervi: hi donati rude non libertatem accipiebant, ſed vacationem dumtaxat à pugna; Laniſtæ deinceps, prove laniſtis erant, doctores tironum, & batuebant, non pugnabant. Ideo *Tuta rudis* Ovidio dicta. Quod ſi libertatem etiam impetrarent, mos erat, uti pilearentur, id eſt, exemplo reliquorum ſervorum pilei impoſitione liberi judicarentur. Itaque Tertullianus bene Rudem à Pileo ſejunxit. Quæ tamen præmia ne temere conferrentur, cautum

tum eſt, quid in noxiis damnatiſque ſervaretur: tempus rudi, tempus pileo præſcriptum.

Qui donati rude *Rudiarii* dicti: ii non ultra depugnabant, niſi pretio aut ſponte inducti. Moris etiam fuit, uti gladiatores emeriti arma ſua ſuſpenderent, ad Herculis: ſacra, videlicet, ejuſmodi gymnaſiorum Deo. Nam & athletis & gladiatoribus Hercules præeſſe putabatur, qui facta ejus ſcilicet & robur æmularentur. Igitur ut in Circo Neptuni, in Theatro Veneris: ſic in Amphitheatro Herculis ædes vulgo.

De ſtudiis & factionibus in Arena.

Viliſſimæ animæ addictæ his ludis, & velut conſecratæ, in partes deducebantur, & magno ſtudio huic generi gladiatorum favebant aut illi. Atque ut in Circo alius in Venetum pannum, alius in Praſinum pronus: ſic in Amphitheatro hic in Threcum armaturam, alius in Myrmillonum aut Secutorum. Hinc *Parmularii* fautores Threcum dicti, quia parmæ favebant: & ſimili modo, *Secutoriani.*

Sed & ſponſiones interponebantur vulgo, uter vinceret. Et vulgus hæc tantum? Principes imo ipſi imbuti hoc favore vel odio. Titus Imperator ſtudium armaturæ Threcum præ ſe tulit. Domitianus contra, in hoc quoque diſſidens à fratre, Myrmillonibus fautor. Nec ſimplex hic favor, & in re ludicra ludus, in iram, inimicitiam erumpebant, imo cædem.

Concluſio.

Profuiſſe potuerunt hæc bellica ſpectacula publice & privatim. *Publice*, quia hujuſmodi meditationes fortitudinis fecerunt ad mortis contemptum; ideoque dari ſolebant tempore belli. *Privatim*, erat exhortatio ad conſtantiam.

ADMIRANDA,

Sive

DE MAGNITUDINE ROMANA.

LIBER PRIMUS.

INter Imperia & Magnitudines, quas Deus a condito Orbe esse voluit, eminet & primas fert Romana. *Nulla enim unquam*, Livio teste, *Respublica nec major, nec sanctior, nec bonis exemplis ditior fuit.* Ideo Ammianus *Romam, Imperii Virtutumque omnium Larem* appellat. Hieronymus duplicem interpretationem nominis ROMÆ, rei aptam reddit: *Roma*, inquit, *aut Fortitudinis nomen apud Græcos est, aut Sublimitatis apud Hebræos.* Jungatur & tertia, quam dederit lingua nostra, quia Roma *Gloriæ* & *Famæ* nomen est Germanis, *Roem*. Quid, quod apud Orientales Indos *Rumes* appellantur (Osorio ita traditum) milites boni & fortes? an quasi Romani, & admiratio vetus apud eos mansit? an vox indigena id quoque notat?

Ob duplicem autem causam Romana Magnitudo anteferenda omnibus, ob POTENTIAM, & VIRTUTEM:

In POTENTIA, consideranda,	In VIRTUTE, consideranda,
FINES,	VIRI,
COPIÆ,	& Ipsæ
OPES,	VIRTUTES, in specie.
OPERA.	

De his ergo singulis dicemus, & quasi in umbra & imagine conabimur repræsentare formam faciemque illam veterem, & qualis, & quanta, Roma fuit.

DE FINIBUS.

FInes Romanæ potentiæ fuerunt amplissimi, & spatia terrarum ac maris, uno velut sinu & junctim inclusa, quanta in ullo priorum aut posteriorum imperiorum numquam fuerunt. Itaque attollunt

attollunt haud vane hæc veteres, & magnifice loquuntur, passimque illi sermones feruntur; *Romanos Orbis dominos, Solem utrumque in eorum imperio currere*, & talia, animose magis, quàm superbe dicta. Non quidem habitata omnia loca sub imperio habuit, nam multa sub Parthorum jure ad Orientem fuere; multa libera, aut sub Regibus ad Septentrionem ac Meridiem. Sed quidquid opportunum aut dignum vinci, vicit: cætera non tam non potuit, quàm contempsit, & judicio reliquit.

Illud nemo negaverit, florem Asiæ, Africæ, Europæ, in hoc imperio fuisse, ipsa gentium robora, ingenia, opes. Termini igitur finesque imperii, cum maximum & in culmine suo, sub Augusto, ab Oriente Euphrates: à Meridie, Nili cataractæ, & deserta Africæ, & mons Atlas: ab Occidente Oceanus: a Septentrione Danubius & Rhenus. Ita enim Augustus bono consilio instituit, claudere imperium, naturæ aliquibus limitibus, & custodes ac milites ad eos habere. Posteri consilium hoc neglexerunt: nec solum regna aliquot, defunctis aut eversis sociis Regibus, imperio adjecerunt; sed etiam ultra terminos, nova quæsiverunt, aut Claudius, qui Britannias in ipso Oceano devicit; ut Trajanus maxime, qui ab Oriente Arabiam, Armeniam, Mesopotamiam; à Septentrione Daciam subegit. Ita moti prolatique tunc termini trans Euphratem ad Tigrim: iterumque parte alia ad Mare Rubrum, & trans Danubium ipsum tota Dacia addita fuit.

Provinciæ Romani Imperii.

In Asia habuit *Colchidem*, *Iberiam*, *Albaniam*, *Pontum*, *Bosphorum*, *Cappadociam*, *Galatiam*, *Bithyniam*, *Armeniam*, *Syriam*, *Arabiam*, *Palæstinam*, *Ciliciam*, *Pamphyliam*, *Lydiam*, & *Asiam totam minorem*.

In Africa *Ægyptum*, *Cyrenaïcam*, *Marmaricam*, *Getuliam*, *Africam propriam*, *Numidiam*, *Mauritaniam*, aliasque minores aut ignotiores.

In Europa *Italiam*, *Hispanias*, *Gallias*, *Inalpinos*, *Rhætiam*, *Noricum*, *Illyricum*, *Macedoniam*, *Epirum*, *Græciam*, *Thraciam*, *Mœsiam*, *Daciam*, *Pannoniam*.

Consulto omisi magnam partem, quidquid Insularum mari ambitur. Eæ quàm multæ & magnæ quædam in toto illo mari mediterraneo fuerunt, à columnis Herculis ad Pontum usque. Profecto, quæ vel decimam partem pene provinciarum terrestrium æquent, si Britannias in exteriore mari adjungas.

DE COPIIS ROMANIS.

Fines Imperii Romani mari, amnibus, montibus clausi ac muniti, sed Milite & Copiis multo magis. Nam Romanus mos & institutio, duplici via Provincias munire, COPIIS, & COLONIIS, de quibus utrisque breviter dicendum.

Copiæ

Copiæ nihil aliud ſunt, quam perpetuus miles, qui ad tutelam imperii, ex inſtituto Auguſti, fuit. Eæ triplices fuerunt, *Provinciales, Urbanæ, Claſſicæ*: illæ maximæ, alteræ ſatis validæ, & tertiæ utiles ac opportunæ. Omnia hæc ab Auguſto, qui ſapienter pleraque in novo imperio aut inſtituit, aut reſtituit, ut res viſæ poſtulare.

De Copiis Provincialibus.

Miles ad limites poſitus, ubi minimo oneri ſubditis, maximo uſui in hoſtes eſſet. Sub Auguſto & Tiberio 25 legiones fuerunt; poſtea tamen auctæ, ut ſub Trajano & Hadriano eſſent 30, aut etiam ſupra. Hæ legiones Auguſti & Tiberii ævo, ſic diſpoſitæ. In Hiſpania legiones 3. In Gallia ad Rhenum 8. In Africa 2. In Ægypto 2. In Syria ad Euphratem 4. In Mœſia ad Danubium 2. In Pannonia ad Danubium 2. In Dalmatia 2. Sed mutabant interdum, & ob cauſas huc atque illuc ibant, aut ſidebant. Et quamvis legiones pleræque in caſtris, tamen & in oppidis erant, quæ valida aut magna, & ideo motui aut rebellioni opportuna. Talis Alexandria in Ægypto.

Sed præter legiones ipſas fuerunt etiam cohortes ſociæ, aliæque, numero ſatis grandi. Atque alibi in minoribus provinciis ſolæ cohortes aut alæ fuerunt, ut in Rhætia, Judæa, talibus, & quæ Procuratoribus regebantur. Interdum & in oppidis interioribus ad coërcendum; ut Lugduni in Gallia, item Foro-julii, auctore Tacito, & alibi.

Hæc ita ſub Auguſto, ſed creverunt, ut tetigi; & primum Claudius Imperator Britannia domita; legiones in ea 3 locavit, manſeruntque. Tum Veſpaſianus 2 etiam in Cappadocia: & Trajanus deinde in Dacia 2. Et iſtæ Copiæ *Provinciales.*

De Copiis Urbanis.

Copiæ *Urbanæ* fuerunt; quæ ſedem Romæ & in ipſa domina Urbe habuerunt: duplici fine, ut *Principem* in ea tuerentur, & ut ipſam *Urbem.*

Principis cuſtodiæ triplex miles fuit: *Prætoriani, Evocati, Batavi.*

Prætoriani, in 9 cohortes diviſi ab Auguſto, flos militum, fide, robore, & gente. Exemplum inſtituti hujus fuit à Prætoriis cohortibus in exercitu, quæ circa ipſum Imperatorem, & ad ejus tutelam erant, ſed plerumque una. Auguſtus, autem plures habuit in bellis civilibus, & victor quoque retinuit in pace, contra motus ſubitos, & ad plebem Romamque coërcendam. Nam fuere 9000 militum non robore ſolum, ſed ſtirpe & domo eximii; nec capti niſi ex Hetruria, Umbria, Latio, & Coloniis antiquitus Romanis. Alii Imperatores poſt Auguſtum Prætorianus auxerunt. Vitellius videtur primus, qui 16 Prætorias, 4 Urbanas, cohortes habuit.

Iſtis

Iſtis Caſtra prætoria fuere ad portam Viminalem, ut arctius & in diſciplina haberentur, ſecreti à civibus & urbe.

Evocati, propria quædam & ſeparata manus, vites ferebant, inſtar Centurionum, ut circa cubiculum Principis excubias agerent. Horum cohors una millenaria erat.

Batavi, equites pediteſque, quos Dio equitandi peritiſſimos facit. Videtur autem intelligere ſuperiores illos Batavos maxime, qui Geldriæ nunc accenſentur; nam inferi & ad mare, nec ipſi, nec regio eorum, equis ſatis facti aut apti. Hos puto haud minus duabus alis plenioribus fuiſſe, & ut minimum 1000 equites, pedites etiam olim ad 1000.

Alter nunc miles in Urbe, & pro Urbe, duplex eſt: *Urbanæ*, & *Vigilum cohortes*.

Urbanæ cohortes, Tacito 3, Dioni 4, eæque grandes, atque etiam ſupra Prætorianas. Nam harum ſingulæ fuerunt 1500 militum. Earum officium præcipuum, tueri urbem, id eſt, motus aut turbas plebis coërcere; noctu circum templa, fora, baſilicas, excubare; ſtationes agere contra graſſatores aut ſicarios; itemque Præfecto Urbis, qui caput iis erat, apparere. Itaque & extra Urbem interdum diſpoſiti, cum ejus juriſdictio ad centeſimum lapidem porrigeretur.

Vigilum cohortes & ipſæ ab Auguſto fuerunt. Nam is, cum crebra incendia in magna illa & frequenti urbe videret, remedium quæſivit firmum & perpetuum, militemque ex libertinis collegit, & in 7 cohortes digeſſit. Id factum A. U. 795. Et quamquam præcipuus hic finis & inſtituendi cauſa fuit; tamen ſerviſſe etiam tutelæ Urbis, & contra nocturnos fures aut graſſatores, non eſt ambigendum; Minus lecta hæc manus fuit, & miniſterio potius, quàm militiæ facta: tamen ut regi melius juberique poſſent, digeſti in cohortes, & Centuriones Tribunoſque ſuos accepere.

De Copiis Claſſicis.

Terreſtri milite ſatis limites, itemque vitalia imperii, id eſt, Romam ipſam, munivimus; nunc & maritimo, ſive fluviatili etiam muniamus. Nam cum mare medium per totum illud imperium iret, cum etiam flumina magna clauderent & ambirent, utile cenſuerunt, Claſſes perpetuas in utravis parte eſſe, quæ & piratas cohiberent & hoſtes excluderent, & ſuis etiam tranſitum aut tranſvectionem, cum opus eſſet, ſtatim darent. Prudens & pulchra inventio: fueruntque Claſſes in ipſo Mari *Quatuor*: in Fluminibus *Tres*.

Primæ duæ majores in mari ſe offerunt, *Miſenenſis* & *Ravennas*: Dictæ Prætoriæ, forſan dignitatis cauſa, & quia inter minores alias, ut Prætoria aliqua navis, eminerent: nam Præfectus ſane earum non fuit Prætor. Poſſunt & exemplo Prætoriarum cohortium eſſe dictæ, quia ad Italiæ & Principis tutelam. *Miſenenſis* Claſſis apud Miſenum,

Misenum, pulcherrimo sinu stetit, & Galliam, Hispanias, Mauritaniam, Africam, Ægyptum, Sardiniam, atque Siciliam habebat in proximo. Etsi autem naves ibi & classis, tamen castra etiam in terra & ad portum ipsum fuisse, commoditas eorum exigit. In his item portibus, præter castra, Pharos sive turres quasdam ad prælucendum noctu fuisse, Plinius suggerit. *Ravennas* Classis, ad notum & nobile illud oppidum, ob sedem ibi postea regni Gothorum, Epiron, Macedoniam, Achaiam, Propontidem, Pontum, Orientem, Cretam, Cyprum, petere directa navigatione consueverat. Atque hæ sunt duæ majores illæ Classes maritimæ, utraque navium 250.

Sequuntur duæ minores: Prior in Gallia, colonia & portu Forojuliensi: tum ad ipsam Galliam, tum ad Hispaniæ illam oram tuendam. Est autem hoc Forum-Julii in Gallia Narbonensi. Ab hac causa urbs illa Plinio *Classica* dicta: & *Colonia octavanorum*, quod octava legio eo deducta. Altera minor in ipso Ponto, id est, in capite & fonte mediterrei maris. Statio ei supra Byzantium fuit; 40 naves rostratas habuit.

Ex Classibus fluminum *prima* fuit in Rheno, per partes divisa: pars Bonnæ & Geldubæ, pars, & certo, ad exitum fluvii fuit, ubi Pharus olim, quam nunc *Arcem Britannicam* vocant. Pars enim hujus Classis *Britannica* dicta, quia & in Britanniam ea commeabat. Sed tota Classis communiter *Germanica* dicta. *Altera* Classis fluviatilis in Danubio, cujus naves vocabant *Lusorias*, quibus pererrarunt totum amnem. Videtur & *tertia* Classis fluviatilis fuisse in Euphrate. Quidni in magno flumine, & contra Parthos? Ammiani aliquot loca suadent, etsi non cogunt.

Copiarum Summa.

Hæc est tota munitio imperii, terra marique, an non valida, utilis, opportuna? Hinc ergo partium dictarum numerus, & totius præsidii summa facile patebit cogitanti. In *provinciis* enim copiæ non minus fuerunt, legionum, cohortium, alarum, 250000, aut circa; & sic, ut nec legiones plenissimas, sed 4000. accipiamus. *In urbe* ponere licet in universum ad 26000 militum: & post Severum vel ad 60000. *In Classibus* omnibus haud minus 100000 militum remigumque. Ita fient in universum supra 400000 ordinariorum: etsi Agathias Historicus plures etiam, & largiter, fuisse asseveret; colligi enim ex Romanis militibus vult 645000.

DE COLONIIS.

Præsidia militum in longinquis limitaneisque locis fuerunt, pauca aut nulla in provinciis mediis: imo pleræque earum sine milite & armis ullis. Quid ergo tuebatur interiora, & quieta præstabat? Coloniarum deductio, optimo & sapientissimo Romuli invento. Nam ad illum consensu referunt; qui victis finitimis oppidis aut gentibus,

gentibus, partem earum solitus in Urbem & ad se traducere; partem illic relinquere, sed sic, ut Romanos suos misceret, custodiam & regimen, ne quid moverent. Eos ita missos *Colonos* appellaverunt, & ab agrorum novæ dedicatione culturæ, ipsas *Colonias*.

Ratio & modus erat, ut agri dividerentur viritim, idque à Triumviris, qnod graves & prudentes viros huic rei legere solebant; qui & sedes, agrosque, & ipsum oppidum (si condendum esset) disponebant, & jura ac formam novæ quasi Reipubl. dabant. Sic tamen, ut omnia Romam & Urbem matrem referrent: ipsis quoque locis, Fora, Capitolia, Templa Curiæ, pro illa imagine essent; & in gubernatione Duum-viri plerisque Coloniis, quasi duo Consules, & Decuriones pro Senatu.

Utilitates, & Causæ Coloniarum.

Varia in hoc instituto utilitas. *Prima*, quod allevabatur urbs ipsa princeps, & superfluam nimiamque multitudinem, ut sanguinem emittebat. Ita victus facilior, ita turba minor, & turbæ quoque faciles oriri inter tam confertos. Sed & soboli magis vacabant libentiusque, sic vacui: non aliter quàm arbores aut plantaria, magis se diffundunt & propagant, ubi in arcto non stipantur.

Altera utilitas ipsos hostes aut subditos tangit. Ubi enim Coloniæ sic collocatæ, loca frequentabantur, colebantur, poliebantur etiam, novorum hospitum adventu, & artium invectu. Divina providentia hoc fine Græcos olim in Asiam, Europam hanc nostram, usque in Hispaniam, per maritima loca misit & disposuit: ut rudes ferocesque humanitate & elegantia percolerent, atque ad mitiora studia & mores transferrent. Quod idem Romani mox fecere; & iis cultum hunc omnem debet pulcherrimus noster Europæ tractus.

Tertia utilitas, quæ præcipue in oculis Romulo & Romanis, præsidium in subjectos. Sparsa hæc tot oppida locis opportunis, & in iis Romanus sanguis, quid nisi tot arces & propugnacula erant imperii Romani? Dicamus quidlibet, nihil tam validum, quam talis aliqua deductio: & ubi ii, qui agros in alieno accepere, semper obligantur aut tueri jura imperiumque donantium; aut pelli, si & ii pellantur. Atque hic primus præcipuusque aspectus.

Accessere mox, valde aucta re Romana, duo alteri. *Prior*, ut plebem inopem & gravem sic exhaurirent. *Alter*, ut militibus emeritis præmia largirentur. Nam ecce in tanta Urbe, & crescente civium tenuiorum numero per tot manumissiones, quæ ratio alendi aut subsistendi fuit, nisi ut emitterent; non aliter, quam ubi alvearia plena, nova examina in alia & nova transfunduntur: Sic & occulto Politico consilio, sentina & fæx urbis educebatur; purior meliorque pars asservabatur. Jam vero in militibus pulchrum: &

qui

qui non libens in eam militiam se impenderet, ubi & post eam tam magna & certa præmia essent? Agri & sedes dabantur, regimen illic & honores, pecunia etiam (nam sic Augustus instituit) ad instrumenta, jumenta, &c, si quid opus, coëmendum.

Frequentia Coloniarum.

Ista fuit deductio Coloniarum, & causæ, in quibus tamen tyranni aut violenti aliquot cives fraudem & injuriam miscuerunt; ut Cornelius Sylla, qui non, ut olim, agros ex hoste captos distribuit, sed in ipsa Italia, quod sciebat milites appetere, sedes iis dedit. Quod fieri non potuit, nisi pacatis fidisque populis, per summam injuriam & scelus, expulsis.

Appianus auctor est, 23 legiones à Sylla sic deductas, quæ facerent 120000 cum iis qui adjuncti. Simile & Cæsar Julius in pace & Consulatu fecit, qui agrum Campanum & Stellatem, 20000 civium, colonia Capuam deducta, divisit. Idem jam Dictator in transmarinas colonias, 80000 civium distribuit, in Carthaginem maxime & Corinthum. Augustus sub quintum Consulatum, bellis civilibus jam finitis, 120000 deduxit: & postea multa millia adjunxit. Imo in sola Italia 38 colonias collocavit: quid apud tot exteras gentes, & imperio tam diuturno? Itaque hujus Principis plurimæ & in toto Orbe fuerunt: quod ipsa agnomina earum ostendunt. Denique paulatim tanta frequentia, ut negem regionem, imo vix regiunculam, fuisse, in qua coloniæ aut colonia non esset. Tot illis vinclis miramur orbem compeditum, & astrictum in Romana ditione & imperio mansisse? Harum alia atque alia genera tamen erant, & quædam *Romani*, aliæ *Latini*, quædam & *Italici* juris. Fuerunt & *Patriciæ*, & *Equestres*, agnominatæ: haud dubie, in quam digniores civium militumve deducti.

Fuerunt in sola Italia coloniæ 150. In Africa circiter 60. In Hispaniis ad 30. Paulo minus Gallis, & idem de reliquo Orbe judicandum.

Ratio adsciscendi gentes.

Romani primum pauculi fuerunt, & cum Romulus militiam & Rempublicam ordinavit, vix ad millia terna peditum censa; & equitum trecentos. At idem ille, cum è vivis abiit, peditum reliquit 46000, & equitum 1000. Tantum viri opesque creverunt in annis circiter, quibus Romulus regnavit, 37. Hoc autem assecutus est apertione Asyli, quæ haud dubie aliquid adjuvit, & è vicinis, etsi non optimos, elicuit. Lege de liberis lata, qua jussit, quidquid natum esset, tolli, modo ne mutilum aut monstrosum. Receptione in civitatem, quam non exteris solum confluentibus, sed victis & hostibus, dedit. Atque id sane diu retentum Romæ, ut è provincialibus honestissimos hoc beneficio civitatis obligarent, & ita simul se augerent, simul discrimen, & tacitum pene dissidium ob æmulationem, inter illos consiliarent.

Sed

Sed tertia etiam ratio augendi cives, ex instituto, non quidem Romuli, sed Servii Tullii. Ille cum videret, plerosque tunc servorum, aut bello captos, aut è præda emptos esse, atque eos fere è liberis & ingenuis, & ante etiam liberos; humanum bonumque putavit in civitatem recipere, si qui à dominis manumissi essent. Nam & Romanis moribus ingeniisque assuefacti jam erant, & sic fore providebat, ut semper tamquam ex fonte domestico, proles scaturiret ad belli aliosque usus.

Difficile id persuasum primo civibus, & inquinari eo consortio videbantur: sed nempe ostendit, & origine bonos eos esse, & jam diu ipsos etiam hostes in hoc jus admissos: ita cur non idem domesticis & fidis servis indulgerent, causam nullam esse. Maxime, cum in eorum manu totum hoc beneficium; & videre posset, ut nec temere manumittendo darent; & illos adnisuros, ut omni sedulitate ac fide emererentur. Amplius, futuros eos nihilominus velut in cura & clientela Patronorum: & sic nobiliores cives, in comitiis aut suffragiis, semper manum aliquam faventem & obnoxiam habituros. Ita illis persuasum: sed Regi in oculis præcipue frequentia & multitudo civium, fundamentum omnis potentiæ & diuturni status. Nec tamen ii æquiparati statim dignioribus & veteribus civibus: rejecti in quatuor urbanas tribus fuere, & inventa ratio, ut minimum in suffragiis, aut alia publica re, pollerent. Quin & à militia legionaria & honestiore exclusi sunt, donec paulatim nepotes ac pronepotes eorum, vere jam Romanus sanguis, pervenirent. Liberti ipsi & Libertini, veteri quidem republica, arcebantur. Hoc institutum, incredibile est, quantum civitatem auxerit, in qua aliquot servorum millia paucullis annis manumissa. Neque negandum est, utile initio & præclarum fuisse, sed lapsu temporis (ut fit in humanis rebus) hic quoque lapsus: cum jam Syri, Cappadoces, Asiatici, Græci, Barbari, in servos recepti, & multi ex iis facinorosi & perditi, qui pretio, blanditiis, aut & fœdis obsequiis, libertatem meriti, quam colluviem in civitatem non invexerunt? Imo per eos effectum, ut egregia illa animi ac morum, Romana olim plebs, vilissima facta hominum sit, & uno verbo, cloaca & sentina vitiorum. Sed ista seculis aliquot post Tullium.

Interea profuit largiter institutum, & effecit, ut cum primo censu ac lustro Servii Tullii, 74000 censa essent, illo, qui sub primis Consulibus fuit, 130000 censerentur, idque eorum, qui puberes & in virili toga essent. Post aliquot ætatis, id est, A. U. 414, censa sunt 260000. & paulo ante bellum Marsicum, A. U. 639, circiter 400000, paulo minus. At post id bellum, sociis jam in civitatem paulatim receptis, crevit valde numerus, & ad 900000 censa. Quid jam sub Augusto? In consulatu suo sexto lustrum condidit, quo censita sunt civium Romanorum capita quadragies

centum millia & sexaginta tria. At etiam crevit assidue, & sub Claudio Imperatore Tacitus ac fidi auctores accensent, sexagies novies centena sexaginta quatuor millia. Ultra quærere supervacuum sit, cum jam passim in civitatem totæ urbes regionesque receptæ.

Ratio transferendi populum.

Non è solis civibus Romani copias scripserunt. Olim quidem & à Latino nomine: at postquam ii civitate donati, Principum temporibus maxime, cœperunt & è provinciis auxilia scribi. Augusti id inventum: & præter conspicuam utilitatem in militia, causam occultam etiam hanc habuit, subditos sic exarmandi, & quasi obsidibus traditis in fide continendi. Nam quotannis dilectus istos habebant, & optimum ac robustissimum quemque abducebant. Ita enerves provinciæ; & illi qui dilecti, in longinquas & dissitas oras consulto trahebantur. Non enim facile res novas audere aut movere inter ignotos & alienos. Atque ejusmodi auxiliorum è variis gentibus magna copia.

Sed judicio & consilio in hac re opus, ne plures suscipiantur aut traducantur, quam coercere possis: peccatumque à secutis Imperatoribus, qui, Barbaris receptis, Imperium & Urbem prodiderunt. Alioqui multum commodi aut tutelæ translatio hæc habere possit, qua Philippum Macedonem usum Justinus prodidit. Parabat & Alexander simile, firmando imperio, nisi mors intervenisset. Antipater, qui in partem potentiæ successit, in idem hoc consilium: & Atheniensium urbis potens, ipsam ejusque regimen ditioribus honestioribusque concessit: tenues, & quidquid inopia turbidum, eduxit, & 20000 eorum in Thracia, agris datis, collocavit. Lego & Tigranem Regem, cui bellum Pompeius fecit, 300000 è Cilicia & Cappadocia in Armeniam & Mesopotamiam traduxisse, ad ea loca frequentanda, & meliori genere implenda. Et ut vicina magis temporibus locisque tangam, Carolum Magnum satis scitum est Saxones sæpe rebelles translatione domuisse, & in Belgicæ oris posuisse. Ludovicus etiam XI, Galliæ Rex, Atrebatium fidei infensus, & quia a vita divelli, quam à Burgundiaco imperio malebant, sparsit eos per Galliæ Urbes aliquot, & suos in locum introduxit. Reges Peruani tractus, novi orbis, quos *Ingas* ipsi appellant, pro firmamento status habebant, populos victos statim cum tota sobole transferre ad interiora loca, & in illa limitanea alios suos fidosque supponere. Hoc genus *Mitimaes* patria lingua vocabant.

LIBER

LIBER II.

DE OPIBUS ROMANIS.

IN Romanorum potentia tertium OPES. Eas conſiderabo PUBLICAS, & PRIVATAS. In *Publicis* 1. *Vectigalia* ſive *Tributa*. 2. *Triumphales manubias*. 3. Denique *Liberalitates*, aut *Erogationes*.

I. DE VECTIGALIBUS.

VEctigalia olim ferè triplicia: è *Decumis*, è *Paſtione*, è *Portoriis*.

Decumæ cum decimam partem fructuum in agris ſativis ſibi retinerent. Quid in ea re fuerit, Cicero in Verrinis ſatis dixit; nec obſcurum eſt vel ex moribus hodiernis.

E paſtionibus genus alterum eſt, quod proprie & vulgo *Scripturam* appellabant. Hinc, *Scripturarius ager*, eſt publicus, in quo ut pecora paſcantur, certum æs eſt: quia publicanus ſcribendo conficit rationem cum paſtore.

Tertium eſt *Portorium*, quod ſcilicet in evehendo aut invehendo pendebant. Fuit & *Portarium*, antiquis, & faciunt diſcrimen Gloſſæ. Portorium, τέλος ἐν λιμένι, *Vectigal in portu*. Portarium, τέλος πύλης, *Vectigal in porta*. Et vero hoc quoque fuiſſe videtur, ævo præſertim inferiore, & ſub Principatu, ut & in pontibus, & in viis, & portis adeo oppidorum dederint, pro tranſgreſſu, aut ingreſſu. Italia hodie, ſed & Belgica, hæc non ignorat. Hæc ſunt illa vetera, & Vectigalia propriè dicta, quibus dies & ſagacitas, addo, & neceſſitas, aliquid ſemper addiderunt.

De Tributis.

Vectigal plura ſub ſe continebat; ſed primo ſolum ipſum Portorium, quia id ſcilicet è vectura, unde Vectigal. Græcis etiam hic diſcrimen aliquod, quibus *Vectigal* proprie eſt τέλος, *Tributum* φόρος. Sed & in re ipſa differunt, quod illud res & fundos magis ſpectat & ligna: hoc capita ac mobiles opes: Atque ita peſſima conditio eorum, qui Stipendiarii, ipſi, atque agri, eſſent. Tales Pœni, Hiſpani, & plures, qui per vim ultimam & bello pertinace victi eſſent: Nam & corpora ſive capita (ut Latini magis loquuntur) onuſta erant, & terra ipſa. Hoc autem non niſi in vere victos; & vi ſubditos, uſurpatum, olim quidem: ſed Imperatores, & ipſe Auguſtus, produxerunt, & valde hæc tributa dilatarunt.

Magnitudo Vectigalium.

Sola Aſia pro vectigalibus pependit annua 20000 talentûm, id eſt, 12 milliones, juvat his compendiis, vulgariter magis quam

 (eleganter

(eleganter uti) Pompeii & Syllæ tempore. Decumas unius Sicilliæ, atque eas tenuiter æſtimatas, Cicero fuiſſe dicit nonagies H S. quod nobis eſt 225000 Philippicûm. Decimas dico frumenti: & hordei non computat, & leguminum, quid jam vini, olei? quid Portoria, & Paſtiones? Valde tenui ore atque animo eſt, qui non auſit concipere hæc univerſa ex proportione, ſupra quadringenties, ſive unum millionem. Atqui Sicilia quanta pars fuit Romani illius Orbis? profecto nec centeſima quidem. Hinc liquere poteſt magnitudo reliquorum vectigalium per Orbem.

Sed ex Portoriis etiam conſtare in parte poteſt magnitudo vectigalium. Unus portus Syracuſanus ex unius hominis Verris exportationibus pauculis menſibus, idque ex Viceſima tantum, perdidit ſexaginta H S. quæ ſunt more noſtro circiter 1500 Philippæi. Quid ergo reliqui portus, in omni evectione, invectione, & in totum annum; præſertim ubi Octava, ubi Quadrageſima (ut factum conſtat) capiebatur? Hæc enim pro locis, aut mercibus, ſed & temporibus, variaſſe opinandum eſt; maxime tamen pro mercibus, & ut gravius vectigal ſolverent peregrinæ, ad delicias magis aut pompas, quàm uſum, invectæ. C. Cæſar ejus rei auctor. Quæ haud dubie ipſa Italia etiam pependit, etſi reliqua portoria, lege Metelli, in ea ſublata eſſent. Hæc ſane magna fuiſſe, quis poteſt ambigere, ex pretio & copia rerum? Nam gemmæ, lapides, veſtes, ebur, mancipia, aromata, unguenta, & plura ejuſmodi exotica, inferebantur: quibus ſi Octavam imponis, quanti ea ſint?

De Capitatione.

Capitatio, ſeu Vectigal capitarium, vel maximum certiſſimumque fuiſſe arbitror; ſed in modo, tenebras & nubes ſuas habet. Videtur autem centeſima impoſita pro ipſo capite, æſtimatione omnium facta: ut ſi 10000 aureorum in cenſu habeam, ſolvam ex iis annua centena. Hoc placeat ob æqualitatem, & quia pauperes & tenues non ſic preſſi, quàm ſi uniforme in omnia capita indiſcretim fuiſſet Tributum. Sed alia ſunt quæ refellunt, aut certe morantur. Quid enim tum ſervis fiet? quid filiis familias grandioribus? qui peculium ſuum nullum habent. Sed de ſervis reſponderi poteſt, dominum dependiſſe in ſuo capite, dum eorum æſtimatio cenſibus ejus accedit: & ſervi alioqui in jure, *caput non habere*, ſcribuntur. Quod ad filios, certum eſt, parentes pro iis exſolviſſe. Probabile ergo videtur, Capitationem fuiſſe ex cenſu non uniformem.

Multum rediiſſe ex ea, multitudo capitum dicet, quæ in Romano Orbe. Sola Ægyptus 750 myriadas (id eſt, 7 milliones cum dimidio) hominum habuit, Alexandria excepta, quæ & ipſa aliquot centena millia habuit. Si igitur talis ille Ægyptiorum numerus, facile intellectu eſt, in quantum creverit capitarium hoc vectigal ex 300 non minus millionibus hominum, quos in Romano Orbe fuiſſe, ratione colligitur. Tributa

Tributa, quæ Ægyptus solvit, Ptolomæi ævo, fuerunt annua 12500 talenta, id est, 7 milliones & semissis. At eadem Augusti & Tiberii ævo ad 10, aut 12 milliones producta fuisse credendum est. Gallia quoque videtur primo reddidisse quater millies, id est, 10 milliones; postea hæc tributa aucta largiter, & vel in duplum ab Augusto, ad 15, vel 20, milliones. Jam si solæ Ægyptus & Gallia ad 30, aut circiter, milliones pependerunt; quid totus Orbis reliquus? An non Syria & Asia, tantum? Africa & Hispania? Græcia & Illyricum? Insulæ omnes simul? Ita ut supra 150 milliones summam tributorum fuisse asserere possimus. Quod vel hinc colligi potest, quod Vespasianus initio statim Principatus professus est, quadringenties millies opus esse, ut Respublica stare possit. Sunt ipsi 1000 milliones nostro ritu. Unde sic subito parandi, si non tales tantique reditus? Sed & nostro ævo, (ut desinant obliqui, qui nostra aut nova tantum cogitant) Rex Sinarum accipere in tributo annuo asseritur 120 milliones. Et Sinas aliquis ad totum Romanum Orbem comparabit?

De Ærario militari.

Augustus ille, qui valde rem Romanam auxit, etiam onera: & hic quoque pro nomine suo fuit. Nam is Ærarium militare seorsim instituit, & ad id explendum reditus novos & certos. Ii triplices: *Vicesima, Vicesimaquinta, Centesima.*

Vicesima fuit hæreditatum & legatorum, quæ cuique obvenissent testamento. Deus bone, quanta & quam crebra ea, vel in Roma tantum? Quot illic divitiæ, & quoties, per captaturas & aucupia, ad externos translatæ? Solvebant igitur sæpe Vicesimam. Excipiebantur tamen proximi sanguine juncti, & pauperes, quos hoc onere liberarunt. Atque ut verum fatear: hoc tributi genus imitabile videtur, nec grave etiam pendentibus; cum lætitia magni & inopinati sæpe proventus obruat vel minuat sensum inferendi.

Vicesimaquinta erat mancipiorum, anno post Vicesimam instituta. Quanti hoc vectigal fuerit, is agnoscet, qui crebra mancipia in Romano orbe, crebram mutationem, & maxima deinde eorum pretia cogitabit. Quis nescit, Daphnidem væniisse 3700 sestertiis? id est, 7517 Philippæis cum dimidio? grande pretium in uno fluxo & mortali homine, & quem solus Grammatici titulus commendabat. Ab eadem classe & arte Lælius Præconinus, emptus 200000 nummûm, quæ sunt 5000 Philippæorum. Jam Calvisius ille Sabinus plures anagnostas habuit, & singulos 100000 emptos. Quot aurei igitur prodeunt è talibus singulis? quot ex millenis aliquot, qui, quotidie pene dixerim, væniebant? Et Jurisconsulti quidem pretia servorum definiunt, in communi aliquo 20 aureos, in Artifice, Medico, Notario, 30, 50, 60.

Centesima rerum vænalium fuit. Si omnium autem venalium, quæ, & quam infinita, summa fuit? Si in auctione tantum, minor,

ſed & ſic grandis. Hæc de Ærario militari, quæ proprie quidem ad ipſum faciebant. Alias non neſcio, & pœnas ſive mulctas legum, item damnatorum confiſcationes, ſæpe in hoc ærarium relatas.

De Metallis.

In iſta re pecuniaria, non omittenda ipſa ejus materies, *Metalla*; magni ex iis reditus, & in variis locis; & reditus quidem innoxii, juſti, & ſine onere ſubditorum. Terra, benigna illa mater, hæc quoque nobis donat. Aurum per bella quærere, nefas eſt; per maria, periculum; per fallitates, opprobrium: in ſua natura, juſtitia. Sed neſcio tamen, an non ſævitia aliqua admixta. Nam multa millia hominum huc adigebant, quoſdam mercede conductos, pleroſque damnatos ad metalla, quos in ſubterraneo illo carcere ſanies, labor, vapor, & ruina ſæpe etiam necabat. Ægyptiorum hoc inventum fuit. Atque hi tali interdum numero apud Romanos, ut Polybius ad Carthaginem novam, fodinis in Hiſpania non minus 40000 hominum ſcribat aſſidue in opere verſari. Plinius etiam notat, Cenſoriam legem fuiſſe, qua cavebatur, ne plus 5000 hominum in opere Publicani haberent. Nec id credito miſeratione aut cura pereuntium factum, ſed cautione, & diſpenſatione operis, ut ne in una conductione Publicani totum aurum exhaurirent. Itaque lex in elocatione dicta fuit de numero operarum.

Ex hac quoque metallaria parte igitur magnum uberemque factum quæſtum & noſtra ætas doceat: maxime cum pulcherrimas fœcundiſſimaſque fodinas varie haberent, ut in Hiſpaniis, Galliis, Norico, Salaſſis, Illyrico, Pannonia, Thracia, Macedonia, Proconneſo. Habuit & Italia: putatque Plinius, aliam nullam fœcundiorem metallorum quoque tellurem eſſe: ſed interdicto Patrum cautum, ut ei, velut parenti, parceretur. Præter hæc fuerunt & Cretariæ, & Picariæ, Salinariæ, Ærariæ, Ferrariæ: & nullum genus quæſtus e terra omiſſum.

De Vectigalibus pudendis.

Ab Auguſto & priſcis ad noviores, atque adeo avidiores, veniamus. Veſpaſianus (ut communiter de illo Suetonius) auxit tributa provinciis, nonnullis etiam duplicavit. In paucis verbis quanta acceſſio rerum, attritio ſubditorum? Et quidni ille ſolita augeret, vel duplicaret, qui inſtituit & excogitavit etiam pudenda? Nam urinæ vectigal commentus eſt; & notus, cum filio pecuniam ad nares admoviſſet, in ea re ejus jocus. Origo huic vectigali & cauſa, quod in publico amphoræ aut dolia ſtabant ad urinam reddendam, quam fullones vertebant deinde in ſuum uſum. Principes etiam ſecuti tenuerunt, ſive auxerunt: & videtur hoc fuiſſe triſte illud *Chryſargyrum*, Hiſtoriis decantatum; ut ſcilicet quiſque mendicus aut pauper, meretrix, ſive jam emerita, omnis ſervus, itemque libertus, inferrent in ærarium pro urina & ſtercore, jumentorum

etiam & canum; sive in agris, sive in oppidis, habitarent: Et homines quidem utriusque sexus, nomisma argenteum: equus, mulus, bos tantundem: asinus & canis, folles sex. Quanta hæc pecunia fuisse debuit, ex omni genere pene viventium? Viri Proceres & Reipublicæ primi hoc munus colligendi ambibant, non aliter quam militarem aliquam Præfecturam, aut civilem magistratum. O indignitas! sed Princeps dignitatem addebat, qui & in sacrum ærarium hanc pecuniam recipiebat. Atque isti pudendarum sordium lucrique exercitores aut conductores sunt, quos *Foricarios* Jurisconsulti appellant.

Caligula ex capturis prostitutarum vectigal instituit, quantum quæque uno concubitu mereret: sed cum illo periit, etsi postea quoque sub Heliogabalo Lenonum vectigal, & meretricum, & exoletorum, fuit. Ista fœda, & Romano nomine indigna: nec sustulit tamen optimus Imperator Alexander Severus: sed dumtaxat in sacrum ærarium vetuit inferri, & ad instaurationem Theatri, Amphitheatri, Circi, deputari. Ex quo vere dixeris, magnum & hoc vectigal fuisse, cum ad tantorum operum restitutionem conferret.

De opibus Imperii Byzantini.

Divitiæ Imperii Græcanici quoque mirandæ: neque hic lubet in rationes aut vias omnes pecuniæ inquirere; ipsam dabimus.

Basilius Imperator, qui vixit sub annum Christianum octingentesimum, implevit totum ærarium, & ipsos aditus viasque, pecuniis confertim stipatis. Habuit in thesauris 200000 talentûm auri; (id est, 1200 milliones.) Nam alterius pecuniæ nec numerus iniri poterat, adeo ut terræ eam infoderet, ærariis aut repositoriis ubique repletis. Quin & arculas habuit lapillis gemmisque pretiosis plenas, quæ æquarunt omnino summam illam auri. O mira, ô rejicienda, nisi e dictis & dicendis fidem caperent, & mutuo sibi attestarentur! Nam hæc Judæus scriptor nomine Benjamin, in suo itinerario, ab Aria Montano edito, affirmat. Is ante annos 400 Europam, atque alia peragravit, & scribit, se Constantinopolim quoque venisse, & in ea opes inenarrabiles vidisse. Deferuntur enim in Principis palatium quotannis tributa, quibus turres implentur, coccinea purpureaque veste, & auro; ita ut nullibi terrarum par congestæ pecuniæ exemplum reperiri possit. Affirmatur etiam, ipsius solius Urbis vectigal, ex foris vænalium, & portu ac mercatorum pensionibus collectum, ad 20000 aureorum in singulos dies accedere. Sint ergo menstrua 600000 aureorum nostrorum, sint annui 7 milliones, & pene quadrans, sed nempe Byzantium, id est, Nova Roma, hoc dedit, & tunc quidem in suo flore, quid autem censes illam veterem olim dedisse?

II. DE MANUBIIS TRIUMPHALIBUS.

ALia nunc via ſe oſtendit & aperit, lata, trita, & per quam cumuli & acervi pecuniarum invecti. Pecuniarum? imo vaſorum, coronarum, veſtium, gemmarum, & quidquid dici appetendum, aut æſtimandum, poteſt; Opes nimirum, quæ è præda & manubiis per Triumphos ferebantur. Quot autem iſti fuerunt? Quam multi? ſupra modum & fidem, uberes diviteſque. Nobis ſatis ſit tangere, & ſpecimen eorum, aliquot per ætates, dare.

Fuere igitur Triumphi à Romulo, uſque ad extrema Auguſti, circiter 312, & ex his primi non nimis uberes, tamen modici, & magis magiſque creverunt. Sub Regibus L. Tarquinii Superbi triumphus reperitur, qui victa Sueſſa Pometia & caput, tantum prædæ retulit, ut ſacratæ Diis decimæ explerent 400 talentorum numerum. Ergo fuit in cumulo 4000 talentûm: id eſt, vicieſquater centena millia Philippicorum.

Poſt ejectos deinde Reges, inſignis L. Papyrii Curſoris de Samnitibus triumphus; quo æris gravis magna vis tranſvecta, vicies centum millia & quingenta triginta tria millia. Id æs redactum ex captivis dicebatur, quos ingenti numero ſub corona venundabant. Argenti, quod captum ex Urbibus erat, pondo 1330. Summa autem illa æris efficit 25330 Philippeos: argenti 13300. Ac tales fere, aut minores, omnes illi uſque ad Tarentinum triumphi, qui incidit in A. U. 478. Purpura etiam, ſigna, tabulæ, atque adeo quidquid notabile aut optabile Orbis, aut in eo urbs aliqua haberet, per hanc viam portamque triumphalem id Romam fere invectum: etſi quædam etiam extra bellum, vi aut perſuaſione magiſtratuum.

Jam vero poſtquam copiæ & arma extra Italiam miſſa, in grandes illas, & priſcis opibus aut victoriis quoque inclytas regiones, quid auri, argenti, ſpoliorum, non relatum? P. Scipio ex Hiſpania argenti præ ſe in ærarium tulit 14342 pondo, & ſignati argenti magnum numerum. Ea pondo faciunt 143420 Philippæos. Idem iterum, victa Carthagine, intulit in ærarium argenti pondo 133000. quæ ſunt nobis ter & decies centena triginta millia Philippûm. At alter Scipio, victa & diruta eadem Carthagine, retulit 4470 pondo. Et efficiunt 44700 Philip. Neque miremur, minus, quam antea, relatum, quia pleraque urbs, dum capitur, incenſa & diruta fuit: ita opes perditæ, aut ruinis oppreſſæ.

L. Æmylius triumphans de Macedonibus, tantum priores exceſſit, vel magnitudine Regis Perſei, vel ſpecie ſimulacrorum, vel modo pecuniæ, ut bis millies HS. ærario contulerit, id eſt, quinquagies centena millia Philippûm. Nam reperta in theſauris Regis Perſei in auro argentoque 6000 talentûm, id eſt, 3600000 Philippûm,

lippûm. Quod si in solis thesauris & ærario peculiari Regis, quid in reliqua præda publica oppidorum, aut privata hominum fuit?

Cornelius Sylla, etsi splendido triumpho minus intulit, tamen transtulit auri pondo 15000, (1500000 aureorum.) argenti pondo 115000. (1150000 Philip.)

Excessit omnes deinde Cn. Pompeius, in illo, quem de Rege Mithridate & Oriente duxit; intulit enim in ærarium 20000 talentûm, ea sunt centena millia Philippûm, præter ea quæ in milites expendit: iis enim solis donativi triumphalis nomine largitus est 16000 talentûm, id est, 9600000 Philip. adeo ut is, qui minimum accepit, habuerit drachmas 1500. Magna hæc omnia sunt, & vere illo Magno digna: sed hunc hic quoque C. Cæsar, uti acie, vicit & superavit. Is enim intulit 65000 talentorum; efficiunt nobis 39 millliones. Ex paucis his videre est immensas opes in ærario cumulatas e triumphis, quos non omnes, imo nec decimam partem dedimus.

De Auro coronario.

Aurum coronarium dicitur, quod specie triumphorum vel oblatum fuit, vel exactum. Origo ejus, ut socii & amici Imperatori victori coronas aureas offerrent, quasi gratulantes, & meritum ei caput cingentes. Itaque primo quidem coronæ ipsæ datæ, aut missæ: postea invaluit, ut pro iis pecunia offerretur. Hæc accepta à sociis, aut subditis; & sicut manubias ab hostibus legebant, sic spolia ista occulta ab amicis. Mos plane vetus, & à Græcis ad Romanos imitatione translatus. Cn. Manlius cum Gallogræcos vicisset, eoque terrore Asiam liberasset, in triumpho tulit 212 coronas aureas, pondo, id est, ut singulæ fuerint librales. Ita enim obtinuerat, ut eæ coronæ, ante ipsum victorem latæ in triumpho, populo ostenderentur. Jam ante etiam in Quinctii Flaminii triumpho, coronæ aureæ, dona civitatum, translatæ 114. In Scipionis Asiatici triumpho Livius numerat aureas coronas 234. Appianus in Cæsaris 2822, easque pondo 20414, ita ut 10 pondo, aut circiter, plerasque necessum sit fuisse. Claudius cum de Britannia triumpharet, inter coronas aureas unam habuit, ut minimum, 700 pondo, quam contulit Hispania citerior: item alteram 900, vel potius 1000 pondo, quam Gallia Comata. Etsi non ad usus tales, sed pompam modo fuisse sciamus. Sicut & in torque aureo, quem 100 pondo D. Augusto Galli dederunt. Hæc in speciem tantum; imo plerumque nudo nomine, pecunia ipsa data. Neque coronæ solum ipsæ; sed aurum aut pecunia ad coronas: atque id proprie *Aurum coronarium.*

Non ab ipsis victis (quod putavit Servius) ob vitam hoc aurum datum, sed à sociis amicisque: datum tamen in pecunia titulo coronario. Et hoc prætextu rapinæ extorsionesque usurpatæ. Imo vero

vero & ab ipsis Italis, qui tamen immunes talium videbantur esse: decretis enim coronis statuisque, pecuniam ipsam dari sibi curabant. Eo paulatim ventum erat, ut hoc Coronarium non minus tributis fere attereret; nec in triumphis modo, sed in lætitia quacumque, & primordiis imperii, daretur; atque velut honorarium tributi genus exigeretur. Quid, quod legamus, civitates in alia occasione, atque etiam tristi, coronas has misisse? Appianus in Syllæ funere supra 2000 coronas aureas, magna celeritate confectas, prælatas scribit.

Post prælationem, hæ coronæ in templis, & Capitolio maxime, videntur dicatæ. Imo & triumphale ipsum aurum interdum, aut pars ejus, ibi condita: fortasse ut religio magis servaret. Solebant tamen & alia templa auro coronario exornare. At Cæsar coronas suas in triumpho ductas vendidit, & ex earum pretio militibus promissa persolvit.

III. DE EROGATIONIBUS.

PEragravimus & emensi sumus Triumphalem viam: tempus, desinere, nec addere ultra, sed erogare. Ne ergo omnis Roma illationibus tot auri impleatur, nunc exhauriemus, & expendemus non loculis, sed totis saccis, ut ipsum iterum admirandum sit, unde ad tot expensas ullæ opes. Oceanus si ærarium fuisset, dices desiccandum.

Impendia igitur sub Principibus *duplicia* fuere, *Necessaria*, & *Arbitraria*: ex quibus sane colligas immensas & vere admirandas quasdam opes.

De Impendiis Necessariis.

Necessaria illa impendia fere trium generum: in *Militem*; in *Magistratus*; in *Populum*.

De *Militibus* res clara est; stipendiis alendos, emeritis prosequendos: & id perpetuo, in legionibus & præsidiis perpetuis jam factis. De his in Militia Romana dictum, supra pagina 143, & seqq.

Magistratus duplices fuerunt, in quos largiter & statim expendendum; *Urbani*, & *Provinciales*. Urbanis quidem Augustus instituit, ad onera sublevanda, ad ludos præbendos, & talia, aliquid dare: præsertim Prætoribus, quasi ex lege. Provinciales autem vel plurimum auferebant, ut ipsi plures, & per provincias dispersi. Ea expensio immensa, vel hoc argumento, quod Cicero L. Pisoni objecit, eunti in Macedoniam, ut Proconsuli, sestertium centies octogies, quasi Vasarii nomine datum. Ad sola vasa, inquam, id est, ornatum & instructum. Et objicit, non quia contra morem fuerit, sed quia supra modum. Quid igitur? esto vel centies tantum summa ordinaria (250000 Philip.) esto vel quinquagies (25000 Philip.) In tot illis talibus nonne immensum accrescet?

Et

Et plura accedunt huic generi, ut Curatores variorum munerum alendi, vel ornandi; ut Legati exterarum gentium admittendi, & munerandi; & quæ scimus in omni Republica esse.

Jam de *Populo*, perpetui etiam & certi in eum sumptus, & præsertim ad alimenta. Nam jam ante institutum, Principes tenuerunt, ut plebem egenam aut tenuem perpetua frumentatione pascerent; atque ea labore & sumptu magno paranda, advehenda, & tum gratis distribuenda.

De Frumentatione.

Frumentatio vetus Romæ, & ab ipso etiam Senatu. Ille in rebus & annona arcta, quasi benignus pater miserus plebis, frumentum aliquando divisit, non tamen nullo, sed modico ære. Accessere Tribuni statim, & hoc tam populare sibi vindicarunt, variis frumentariis legibus latis. Ultimus in hac re Clodius Annonariam legem tulit, ut frumentum, quod antea populo semisse æris ac trientibus in singulos modios dabatur, gratis daretur. Atque hæc origo, deinde & continuatio, gratuiti frumenti, fuit. Et statim à conjuratione Catilinæ, in Prætura C. Cæsaris, frumentationis sumptus 1250 talentorum. Id sit trecenties HS, more Romano; nostro 750000 Philippicorum. Quin & sub imperatoribus largiter crevit, cum plures adscripti, & classes etiam institutæ ad transvehendum.

Numerus accipientium aliquando ad 320000 fuit. Sed Julius Cæsar minuit. Augustus deinde auxit, & 200000 fecit. Hi pauperes, aut saltem qui sublevati gauderent, inter quos liberti, & id genus, maxime fuere. Et fraudes etiam hic factæ: multi enim ideo manumissi, ut frumentum in singulos menses accipientes, &, si qua alia liberalitas Principum in pauperes fieret, id totum dominis ferrent, à quibus facti sunt liberi: sic quos puderet ipsos è publico pasci, id fecerunt succidanea libertorum persona.

Distributio frumenti erat menstrua: nam in cujusque mensis initio accipiebant per tesseras, quique eas habebat, ad Curatores frumenti dividendi ibat, munus institutum ab Augusto. Quatuor viri enim erant, iique ex honestioribus, & qui ante quinquennium Prætura functi essent. Etsi Præfectus etiam annonæ proprius, illustri honore, sed qui de advehendo & adservando in horreis satageret, non proprie de dividendo.

Ad hanc frumentationem Augusti tempore ex Ægypto Urbi annua ducenties centena millia frumenti inferebantur: intellige, modios. Atqui Africa jam addenda est, quæ duplum ad Ægyptum dedit. Ex hac igitur ratiocinatione frumentum Urbi illatum annuum fuerit sexcenties centena millia modiorum. Sint in dies, circiter 164083. Ingens copia, & quæ sufficiat vel vicies centenis hominum millibus alendis. Nam modius paulo plus minusve Romanis

manis pendit 25 libras: sed Romanas tamen libras; id est, 12 unciarum. Igitur censendum est, plerosque istorum qui caperent, Patres familias fuisse, uxorem, liberos, servulos, habuisse. Itaque largius valde quàm in unum caput capiebant: & videtur tessera sive donatio ordinaria fuisse in singulos, 10 modiorum. Jam & hoc cogitandum; plures etiam in consortium hujus frumenti venisse. An non probabiliter urbanos illos omnes milites? Quid ipsam deinde aulam & Palatinos? nonne item probabile, annonas suas hinc accepisse? An non, & Classiarios ipsos in Italia milites.

Circa Flaviorum imperium, non ipsum frumentum, sed panis distribui cœpit: credo, quia lucrum aliquod ex eo fiscus captaret, & quo minore modo in plures largitio spargeretur. Is *Panis gradilis* dictus, quia in gradibus divideretur. Idem *Fiscalis*, quia e publico & fisco. Ii panes fuerunt bilibres. Aurelianus opsonium addidit, & populo Porcinam carnem distribuit, quæ distributio usque ad tempora Constantini fuit. Oleum quoque perpetuum populo dedit & instituit Imperator Severus. Vinum etiam, ut nequid deesset, Aurelianus statuerat, sed morte præreptus non fecit.

De Impendiis Arbitrariis.

Arbitraria impendia trium maxime generum fuerunt: In *Ludos*, *Opera*, *Dona*.

Impensæ in Ludos.

Ludos singulatim si persequar, aut exempla accumulem, seorsim theatrum mihi struendum sit, & novi aliquot sermones. Capita impendiorum tangam, de quibus universe sic Lactantius: *Quid dicendum est de iis, qui populari levitate ducti, vel magnis urbibus suffecturas opes exhibendis muneribus impendunt?* Item Ambrosius: *Magistratus in theatris, mimis, athletis, gladiatoribus, aliisque hujusmodi generibus hominum, totum patrimonium suum largitur & prodigit, ut unius horæ favorem vulgi aquirat.* Merito damnant nostri Patres damnosam hanc insaniam, & quæ privatos homines bonis per ludum exuit, Principes ipsos attenuat & debilitat. Atque id discere, cum ex frequentia eorum potes, tum ex apparatu.

Unus Augustus fecit ludos suo nomine quater & vicies; pro aliis magistratibus, qui aut abessent, aut non sufficerent, ter & vicies. Vix arbitror, ullos ex istis principalibus ludis minoris quingenties, aut & millies sestertio stetisse, (id est, millione cum quadrante, aut & duobus millionibus cum dimidio.) Quod apparatus & pompa facile persuadebunt. Nam in ipso Theatro, Amphitheatro, aut Circo, adornando, qui sæpe sumptus? cum semper gratia aliqua & illicium novitatis in ipsa forma quæreretur.

Nero Theatrum totum, non scenam ejus tantum auro illevit & obtexit, sed & quidquid illatum fuit, & omne instrumentum ac

chloragium,

choragium, aureum; itemque vela, quæ superne contra Solem obumbrabant, purpurea tota, & aureis stellis interstincta. Ex quo & dies ille *Aureus* appellatus.

Quid Julius Cæsar, ante Neronem, & nondum Princeps? Is primus in Ædilitate, omni apparatu arenæ argenteo usus est, ferasque argenteis hastis lacessere, tum primum visum. Cæsar igitur hoc primus, sed non ultimus: nam passim & in coloniis & municipiis argenteæ jam scenæ. L. Muræna, & Caius Princeps, in Circo pegma duxit, in quo fuere argenti pondo 124000, quæ faciunt 1240000 Philip. Nec id pro Caio aliquo sit magnum, imo nec pro privato nimium, quia argentum recipiebant, nec totum peribat, si tamen vellent.

Vis nunc unum & extremum furorem? Heliogabalus Imperator, in Euripis vino plenis navales Circenses exhibuit. Tu cogita, quantum vini profusum, fossis illis & Euripis in Circo ita eo plenis, ut naves inter se concurrere ac certare de velocitate possent. Quid jam dicam tot gladiatorum millia? tot ferarum ex toto Orbe quæsitarum? tot equorum nobilium? quæ in vita actisque Principum assidua leguntur.

Addo huc Missilia & sparsiones in populum, id est, Tesseras ligneas cum notis rerum, aut interdum res ipsas, magno certamine diripiendas. Quæ item velut legitima jam erant in omnibus ludis, ad populum illiciendum. Horum pretia & sumptus ex Neronianis istis colligantur apud Suetonium: *Sparsa & populo missilia omnium rerum per omnes dies, singula quotidie millia avium, cujusque generis multiplex penus, tesseræ frumentariæ, vestis, aurum, argentum, gemmæ, margaritæ, tabulæ pictæ, mancipia, jumenta, atque etiam mansuetæ feræ, novissime naves, insulæ, agri.* Notetur hæc jactatio, quanti ea, & quantarum rerum. Præter aurum, gemmas, margaritas; insulas & totos agros dedit: insulas nempe urbanas, & habitabiles domos.

Neque Nero hæc solus: de more fiebant, etsi alius largius parciusque, pro opibus, præberet. Titus sane Vespasiani filius item profusissime in ludis, quos per 100 dies dedicatione Amphitheatri sui fecit. Nam globulos ligneos quosdam de loco superiore in theatrum jaciebat, qui symbolum haberent inscriptum, hic alicujus esculenti, ille vestis, alius argentei vasis, alius aurei, equorum, jumentorum, mancipiorum; quæ oportebat eos, qui rapuissent, ferre ad Curatores ludorum, & ab iis accipere quamque rem inscriptam. Credis tu, hæc per tot illos centenos dies fieri potuisse sine impensa bis terque millies HS? ego non opinor: & ubi sumptus ludorum reliqui? Neque miror jam profecto, Hadrianum cum in adoptione Cejonii Commodi multa in populum profudisset per similes ludos, & in militem, atque is Cejonius ægro corpore, vitalis non videretur, sæpe dixisse: *Perdidimus quater millies HS.*

HS, quod populo & militibus dedimus, qui ſunt noſtri 10 milliones.

Sed dices, Principum virorum modo hæc fuiſſe. Erras: de Milone hoc jam olim Cicero, tria patrimonia in has res effudiſſe. Probus, filius Alypii, cum ipſe Præturam gereret, 1200 pondo auri abſumpſit, id eſt, 120000 aureorum. Symmachus Senator, unus è mediocribus, in filii Symmachi Præturam 2000 effudit, id eſt, 200000 aureorum. At Maximus, ſcilicet è divitibus, item filii Præturam 4000, id eſt, 400000 aureorum. Edebant autem ludos Prætores non niſi 7 diebus. Vide dies, vide ſumptus: quanto immaniter plus olim alii? quanto ſcilicet tunc Reſp. florentior, & majores privatim opes. Si igitur ſola ſparſio, id eſt, miſſilia in populum, tanti, quid reliqui omnes ludi, & eorum apparatus?

De Donis Principum.

Dona ſequuntur (nam de impendiis *Operum* toto libro 3 agetur) magnitudine ſua non jam inter admiranda, ſed ſtupenda. Si quis Midas fuiſſe fingatur, qui omnia tactu faciat aurea, defecerit inaurare, quantum iſti ſunt largiti. Per Principes aliquot lubet ire, & hoc oſtendere.

Ordiar à capite ipſo, *Cæſare Julio*, qui nullum largitionis aut officiorum genus in quemquam publice privatimque omiſit. Militibus ſingula interdum mancipia vel prædia viritim dedit. Quid in Senatum & digniores? Vel invitatos, vel ſponte ad ſe commeantes, uberrimo congiario proſecutus eſt. Nec hic finis. Extra Urbem quoque & Italiam ea largitas ſe diffudit: & non minore ſtudio Reges atque provincias per Orbem terrarum illiciebat; aliis captivorum millia dono offerens, aliis quo vellent, & quoties vellent, auxilia ſubmittens; urbes præcipuis operibus exornans. Atque hæc privatus Cæſar fecit, & nondum in faſtigio illo principali. Magis mireris, ſi accogites, jam ab adoleſcentia profuſum hunc fuiſſe, & grandi ære alieno oppreſſum. Debuit enim, prius quam ullum Magiſtratum caperet, 1300 talenta. Ea ſunt nobis 780000 Philip. Quid vero jam in ipſis magiſtratibus? materies & cauſa amplior largiendi. Itaque Appianus ſcribit, euntem ex Prætura in Hiſpaniam, creditoribus renitentibus, dixiſſe joco: *Millies ſibi opus eſſe, ut nihil haberet*: id eſt, ut ſolum æs alienum ſolveret, in ſuo nihil haberet. Ea reddunt vicies quinquies centena millia. Auxit etiam in Conſulatu, & deinceps ad Principatum, ut hominis hujus ingenium erat, tantum ut daret, quærentis. Sed unde habuit & repoſuit? Non longe te duxero. Gallias vide: iſte fons, è quo hauſit: ibi enim fana templaque Deum donis referta expilavit, urbes diripuit, ſæpius ob prædam, quàm ob delictum. Denique è tot præliis acceſſit ingens captivorum multitudo, è qua divendita pecuniam redegit.

Sed

Sed lubet ſingulatim inſpicere viri dona. Inſtante civili motu, in Gallia cum eſſet, L. Paulum Conſulem deſignatum 1500 talentis flexit, ne contra ſe ſtaret. Tot talenta reddunt 900000 Philippicûm, id eſt, pene millionem; in virum unum. Quid jam in Curionem, ut pro ſe ſtaret? amplius longe dedit, æs alienum ejus totum exſolvit; illud fuit ſexcenties HS. Ea faciunt 1500000 Philippicûm, quid niſi plurium Senatorum cenſus?

Sequuntur Milites, quibus unice ſe dedit, atque id ipſum privatus. Certe adhuc in Gallia, cum Pompeius duas legiones colore belli Parthici revocaret; ipſe, ut animos ſibi pigneraret, ſingulis abeuntibus 250 drachmas diviſit; id eſt, 25 Philippicos noſtros. Cogita jam duplum in Centuriones, triplum quadruplumque in Præfectos & Tribunos; valde ea largitio creſcet. Sed quid in ipſo jam bello civili; privatim haud dubie multa; communiter hæc largitio fuit. Veteranis legionibus decem, prædæ nomine, in ſingulos pedites ſuper bina ſeſtertia (nobis, ſunt 50 Philippæi) quæ initio civilis tumultus numeraverat, 20000 nummûm dedit. Ea ſunt ipſi Philippici 500. atque ita viritim, & in gregarios milites diviſit, cum duplum Centurionibus; Tribunis, Præfectiſque alarum quadruplum: præter hos ergo, & equites, ſoli gregarii milites acceperunt 15 milliones; ſunt autem 30000 militum in decem legionibus.

Atqui an finis eſt? imo ſub ipſum idem tempus largitionem ad populum extendit. Præter frumenti denos modios, ac totidem olei libras, trecenos quoque nummos, quos pollicitus olim erat, viritim diviſit, ac centenos pro mora. Populi vero illius, qui frumentum acciperet, grandis numerus, & ſub id tempus 320000 erant: accepit ergo totus populus viritim 400 nummos. Sunt Philippici 10. Ergo in ſummam tres milliones ducenta millia. Ubi olei deinde modus? ubi frumenti? nam viritim quoque denas libras olei, & denos modios frumenti elargitus eſt.

Auguſtus non diuturnitate ſolum Imperii, ſed etiam liberalitate patrem ſuperaſſe videtur. Dona ejus quædam ante imperium, alia in ipſo ſunt: & illa magis miranda. Primum militibus & Evocatis, quos contraxit metu Antonii, adita hæreditate Juliana, dedit ſingulis 500 drachmas. Is numerus Evocatorum ad 10000 fuit; ergo hic 500000 Philippicorum. Amplius, eodem pene tempore, cum legiones Quarta & Martia ad ſe tranſiſſent ab Antonio, dedit ſingulis totidem illas drachmas: iterumque cum in armis decurriſſent & ſpeciem prælii perite aſſimilaſſent, alteras totidem; quæ certe fuerunt ad dictam ſummam, & longe ſupra, ſi Equites & Centuriones ſuo more computentur; quod & in ipſo primo Conſulatu, cum ſignis à Mutina motis Urbem intravit, dedit qui ſe deduxerant ſingulis 2500 drachmas, ſive 250 Philippæos; atque ex 8 legiones fuerunt; minima legionum frequentiâ, ſurgent

6 milliones,

6 milliones, & Equites ac Ductores omittentur. Ubi autem prædæ, quas egit, aut spolia, quæ cepit? adhuc nulla: quo magis in admirandis hæ donationes tres, à privato Octaviano, & sola spe futuræ magnitudinis, susceptæ & perfectæ. Sed quarta etiam donatio à privato immensa, aut certe immodica. In Philippensi prælio, ubi de Principatu actum vel libertate, hic ipse Octavianus cum Antonio promiserunt viritim 5000 drachmas 19 legionibus, quæ in præsidiis aut Italia sparsæ: præter Auxilia, quæ haud longe infra legiones. Itaque hæc summa est supra 150 milliones. Atque hæc ille fecit ante Principatum; in ipso tenuit & cucurrit eundem liberalitatis cursum.

Donationes Augusti in Principatu proponimus ex lapide Ancyrano. In prima, ex testamento patris dedit viritim populo centenos vicenos sestertios. Ii sunt 3 Philippici in singulos. In secunda, in quinto suo Consulatu, statim post Actiacam & Alexandrinam victoriam, sub triumphum, 400 nummi viritim dati, qui sunt Philippici 10. nec viris tantum puberibusque, sed etiam pueri, in gratiam Marcelli, sororis filii, adjecti: ita ut ad minimum fuerint ad 600000 capientium. Fiunt in pecunia impensa 6 milliones. In tertia, Consulatu decimo, populo dedit congiarium bis 400, id est, bis 10 Philip. viritim. In quarta, Consulatu undecimo, datæ 12 frumentationes, privatim frumento coempto. In quinta, in Tribunitia potestate duodecima, quæ incidit in A. U. 741, cum peregre & è Gallia rediit, plebi refovendæ & conciliandæ distribuit ter uno anno 400, id est, Philippicos ter denos, sive in universum 30. In sexta, in 320000 capita plebis urbanæ dedit sexagenos denarios viritim, quæ summa ad duos milliones, paulo minus (1800000 Philip.) se attollit. In septima, donatione militari iis dedit, qui in colonias missi aut mittendi, 1000 nummûm; acceperunt autem viritim hominum circiter 120000. In octava, in Consulatu decimo tertio, sexagenos denarios dedit in 200000 capita frumentantium. Liberalitates ejus plures ex facili dederim, ut ipse dare facilis, etiam per ludum & jocum. Cujusmodi ista: Omnibus qui secum pila lusissent, sestertia 100 dari Cæsar Augustus jusserat, soli Cœlio 50. Magna donatio in ludicra ista causa, singulis 2500 Philippici. Iterum totidem Græculo cuidam pro carmine, & audaculo dicterio factoque.

Aliorum quoque Principum carptim aut saltuatim quædam tangam. In *Tiberio* pauca sunt, parca ille manu & restricta fuit, atque ita moriens in thesauris reliquit vicies septies millies HS, (id est, 66 milliones & 50000 Philipp.) vel ut alii verius, ter & tricies millies HS. Sunt 81 milliones. Quod Caligula non toto vertente anno absumpsit; ille vero statim exhaustus & egens, atque ad rapinas se vertit.

In

In *Claudio* notatur prima liberalitas in auſpiciis imperii, cum militibus omnibus ubique viritim remiſit 5000 drachmarum, qui ſunt 500 Philippæi. Quæ donatio ſuperat omnes jam dictas, & fortaſſe dicendas.

Nero ſequitur, qui divitiarum pecuniæ non alium fructum putabat, quàm profuſionem. Itaque nepotinos ejus ſumptus fruſtra colligam, in Suetonio atque aliis patent; quædam addam, quæ magni & laudabilis animi ſunt viſa. Militi Prætoriano ob cauſam aliquam juſſerat centies HS numerari: id eſt, 250000 Philippicûm. Et cum Agrippina mater, mirata improvidam fortaſſe liberalitatem, juſſiſſet totam eam pecuniam ipſo coram, in menſa exponi & expandi, ut ſic vel aſpectu pœnitentiam eliceret: ille magno animo juſſit alterum tantum addi, &, *Neſciebam*, inquit, *tam exiguum me dediſſe*. Hoc Nero in militem: ſed quid in regii ſanguinis Teridatem? Is per 9 menſes continuos Romæ, aut in finibus Romanis, fuit, & toto eo tempore immunis habitus ab omni ſumptu. Decreta igitur ei diem 800000, quæ ſunt 20000 Philippæorum. Numera in menſem, quid ea niſi 600000? In 9 menſes, 5 milliones, 400000. Jam abeunti datum millies HS. quaſi in viaticum, quod iterum efficit 2 milliones & dimidium. Atque iſta conſpicua & ſignata liberalitas Neronis eſt; quid minores aliæ & ſparſæ, ſed coaleſcentes in grandem ſummam? nam donationibus bis & vicies millies HS effuderat. Ea ſunt 55 milliones.

Severus Imperator, Decennalia imperii celebrans, una donatione in populum, qui frumentum ſolebat accipere, & in Prætorianos, effudit bis millies HS, id eſt, 5 milliones. *Commodus* vero Imperator pene triplum ejus, quod Severus poſtea dedit, populo congiarium donavit. Hæc de *Opibus publicis*.

DE OPIBUS PRIVATIS.

Opes privatæ & ipſæ magnæ fuerunt, & per multos ſparſæ. Quis neſcit, Senatores aut Senatorios plurimos fuiſſe, & plures longo Equites Romanos? Atqui primus illis cenſus ſub Auguſto fuit decies HS, ſive 25000 Philippæorum. Iſtis, id eſt, Equitibus, cenſus 400, quæ faciunt 10000 Philippæorum. Hic cenſus, quem neceſſario haberent; quam multi autem, & plerique omnes exceſſere? Ac lubet pauliſper recenſere hos divites.

Craſſus, cognomento *Dives*, dicebat, neminem divitem eſſe, niſi qui excercitum, 6 legionibus, & magnis equitum ac peditum auxiliis conſtantem, ſuis fructibus alere poſſit. In agris ille poſſedit bis millies HS, ſolos architectos & fabros in ſervis habuit ad 500. quorum operam elocabat in Urbe ruinis vel incendiis obnoxia. Quid deinde ſervorum ad reliquos uſus, domi vel in agris? Univerſæ ejus opes fuerunt bis millies, ſive 5 millionum, ditiſſimus

post Syllam Quiritium, post eum plures etiam opulentiores, qui ad ter millies, aut circa pervenerunt.

D. Domitius, successor in Galliam Cæsari destinatus, agris sane abundare debuit, qui Corfinii obsessus, ad animandos milites, in concione agros ex suis possessionibus pollicetur, quaterna in singulos jugera, & pro rata Centurionibus Evocatisque. At enim 30 cohortes ibi militum, id est, circiter 12000. Ea sint igitur 48000 jugerum: quid jam in Centurionibus & Evocatis, quibus duplum debebatur?

Poppæus quidam sub Caligula possedit aliquot flumina in suo orientia, in suo cadentia, ut loquitur Seneca. Oportuit igitur totas regiones possedisse. Uti C. Antonius ille, collega Ciceronis in Consulatu, totam Cephaleniam Insulam, velut proprium patrimonium habuit, atque ibi oppidum etiam novum struxit.

Inter divites L. Cornelius Balbus etiam merito locandus, qui moriens populo Romano viritim legavit denarios 25, sive aureum Romanum unum. Quid putemus nunc hæredes, & legatarios habuisse? Senecam ter millies H S, id est, 7400000 Philipp. possedisse, amicus illi Tacitus scripsit, & inimici cum multa invidia objecerunt. C. Lentulus Augur, divitiarum maximum exemplum, antequam illum liberti pauperem facerent, quater millies H S. suum vidit. Hic, stupor! ergo possedit ipsos 10 milliones, Regum aut certe Regulorum opes. Pallas libertus quater millies in bonis habuit, id est, 10 milliones. Et hoc ipsum de colliberto ejus Ælio Narcisso Dio narrat.

Sed aula hos beavit, inquies. Vis igitur, & homines, non è Senatu vel aula? ecce e media plebe unum. Sub Augusto C. Cæcilius Claudius Isidorus testamento suo edixit: Quamvis multa civili bello perdidisset, tamen relinquere servorum 4116; juga boum 3600, reliqui pecoris 250000, in numerato H S sexcenties, id est, 1500000 Philip. Funerari se jussit H S 11000. Belisarius ille, sub Justiniano magnus, 12000 puerorum propria habuit. Athenæus affirmate scribit, quosdam Romanorum ad 10000 aut 20000 servorum habuisse; nec ut quæstum ex iis facerent, sed ut asseclas aut subsequas eos modo haberent. De aliis armentis simile quid legimus in Vopisco de villa Valeriani privata, in qua 500 servi, 2000 vaccarum, equæ 1000, ovium 10000, caprarum 15000 fuere. Et communia hæc, certe non nova, in opibus, illo ævo.

Quid autem, quod etiam inferiore ævo, rebus & imperio labentibus, magnæ istæ opes? Multæ Romanorum domus in annuo reditu accipiebant è possessionibus ad 400000 aureorum, idque absque frumento, vino, & aliis speciebus, quæ si venderentur, facile trientem æquarent illati auri. Secundariæ autem domus quindecim centenarios aut decem auri recipiebant. Addam distincte & unum exemplum. Gordianus adhuc privatus ditissimus & potentissimus fuit;

fuit; in provinciis tantum terrarum habens, quantum nemo privatus. Quæſturam magnificentiſſime geſſit. Ædilitatis ſuæ tempore populo Romano 12 munera, id eſt, per ſingulos menſes ſingula, de ſuo exhibuit: ita ut gladiatorum nonnunquam 500 paria exhiberet, numquam minus 150. Feras Libycas una die 100 exhibuit, urſos una die 1000. & plura deinde animalium nominatim: quæ omnia populo rapienda conceſſit. Amplius de eo; in omnibus civitatibus Campaniæ, Hetruriæ, Umbriæ, Flaminiæ, Piceni, de proprio illum per quatriduum ludos ſcenicos & Juvenalia edidiſſe. Qui bene hæc tollit ſingula & penſitat, quique ſcit quid ſit ludos olim edere; neſcio quam trutinam reperiet ad tot illa ponderanda aut æſtimanda.

LIBER III.

DE OPIBUS ROMANIS.

AD Opera ducimur, quæ ordine ſequuntur. Duplicia autem iſta Romana Opera: *Temporaria*, & *Diuturna*. Illa, quæ ſubito & in breve tempus aliquod excitabantur, è terra aut ligno plerumque. Iſta in longum, & manſura, è latere, lapide, & materie firmiore.

DE OPERIBUS TEMPORARIIS.

T*Emporaria* iterum duplicia: *In militia*, & *extra eam*; atque utraque merentur juſtam admirationem. Nam ſive Militiam videas, quis Foſſas, Vallos, Aggeres, & talia terrea; iterumque Materialia, Turres, Teſtudines, Muſculos, Vineas, legit, tam multa, tam crebra; & aut induſtriam, aut vires hæc patrantium, non æſtimet & admiretur? Sive extra eam quædam in voluptatem aut ſplendorem ſtructa; quomodo idem affectus non inſinuet animo vel irrumpat? De Militaribus jam dictum in libris *De Militia Romana*, & *De Machinis*. Igitur pauca ex civilibus tangam.

Inter Opera civilia ludicra præcipue fuere; ut, Theatra, Amphitheatra, Circi, & magnæ ejuſmodi moles, ſtructæ ſæpe in paucos dies, & pene ut dejicerentur. Duo exempla in Plinio, etiam cum ejus, qui tam multa admiranda viderat aut legerat, nimia admiratione. *M. Scaurus in Ædilitate ſua fecit opus omnium maximum, quæ umquam fuere humana manu facta. Theatrum hoc fuit. Scena ei triplex, in altitudinem* 360 *columnarum. Ima pars ſcenæ è marmore fuit, media è vitro, inaudito etiam poſtea genere luxuriæ. Summæ tabulis inauratis columnæ; imæ* 38 *pedum.*

pedum. Signa ærea inter columnas fuerunt 3000 *numero. Cavea ipsa cepit hominum* 80000. *Sed & reliquus apparatus tantus, Attalica veste, tabulis pictis, cæteroque choragio fuit, ut in Tusculanam villam reportatis, quæ superfuerant, quotidiani usus deliciis, incensa villa ab iratis, concremaretur ad HS bis millies*, id est, 5000000 Philipp.

Alterum exemplum ex eodem Plinio, qui jam dictis subnectit: *Aufert animum, & à destinato itinere digredi cogit contemplatio tam prodigæ mentis, aliamque connecti insaniam è ligno. C. Curio, qui bello civili in Cæsarianis partibus obiit, funebri patris munere, Theatra duo juxta fecit amplissima è ligno, cardinum singulorum versatili suspensa libramento, in quibus utriusque, antemeridiano ludorum spectaculo edito, inter sese aversis, ne invicem obstreperent scenæ: & repente circumactis, ut contra starent: postremo jam die, discedentibus tabulis, & cornibus inter se coeuntibus, faciebat Amphitheatrum, & gladiatorum spectacula edebat, ipsum magis auctoratum Populum Romanum circumferens. Quid enim miretur quisque in hoc primum? inventorem, an inventum? artificem, an auctorem? ausum aliquem hoc excogitare, an suscipere? Super omnia erit populi furor, sedere ausi tam infida instabilique sede. Ecce Populus Romanus universus, velut duobus navigiis impositus, binis cardinibus sustinetur, & se ipsum depugnantem spectat, periturus momento aliquo, luxatis machinis.* Diserte ista Plinius, & culpans simul ac laudans.

Plura hujus generis passim, sed in circumfusa rerum copia, excerpimus pauca & eligimus. C. Caligula pontem struxit in ipso mari navibus impositum, magnitudine trium milliarium & quadrantis: id est, toto illo spatio, quantum est à Puteolis ad Baulos. Per hunc triumphantis ritu cum Senatu militibusque incessit, spectante toto populo; in eodem epulatus, noctem etiam pervigilem egit, inter lascivias & ludos. In paucis etiam diebus pontem hunc totum structum narrant; immensum opus perpendenti, sed cui laudem vanitas detrahit: nam quo fine structum, nisi ut destrueretur?

Caracalla, quem alterum Caligulam licet dicere, non suis solum, sed alienis opibus proterve abusus, cum adigeret homines Senatorii ordinis, quoties Roma egrederetur, domus & prætoria varia struere, item diversoria splendida, etsi in plerisque non solum non acturus hæsurusque erat, sed nec ea visurus. Amplius, ubicumque hyematurus erat, aut etiam putabatur hyematurus, cogebantur Amphitheatra & Circos struere, nec in sumptum quidquam ab eo capientes: & ea ipsa mox diruenda.

DE OPERIBUS DIUTURNIS.

A Damnosis istis & Temporariis ad stabilia & utilia veniamus, & quæ sunt perpetua. In hoc genere multa sunt Romanæ magnificentiæ, nec in Urbe solum aut ipsa Italia, sed per Terrarum Orbem sparsa. Licet dicere, divino munere Romanos datos, ad quidquid rude, expoliendum; ad quidquid infectum, faciendum; & ad loca hominesque elegantia & artibus passim exornandos. Quot oppida nova structa? vetera ampliata, aut reparata? in iis *Templa*, *Basilicæ*, *Fora*, *Porticus*, *Aquæductus*, *Viæ*, *Theatra*, *Circi*, & plura, quæ aut usum haberent, aut amœnitatem. Quid jam privatæ structuræ? ut *Domus*, & *Villæ*? omnia splendida, ab ingenio simul & pretio commendanda. Non per singulas provincias, urbes, agros, ibo: solam Romam ostendam, omnium operum opus, & in qua sola fuit, quidquid ubique fuit. Nam & coloniæ sua Capitolia, Fora, Basilicas, Theatra, & talia habebant, ad urbis dominæ & parentis suæ ritum.

De Situ & Forma Urbis.

Non sine causa Dii hominesque hunc Urbi condendæ locum elegerunt: saluberrimos colles (hodie tamen vix ita sunt, sed causa, solitudo, & desertio; tum & auræ è vicinis paludibus vel æstuariis) flumen opportunum, quo ex mediterraneis locis fruges devehantur, quo maritimi conventus accipiantur (Tiberis ille pater, qui Urbem secat, latus circa eam, ut Dionysius monuit, 4 jugera, sive pedes 400; profundus sic, ut maximas naves suscipiat & portet) mare vicinum ad commoditates, nec expositum nimia propinquitate ad pericula classium externarum; (nam distat 16 millibus passuum, sive 120 stadiis) regionum Italiæ medium: in longitudine quidem, nam latitudinem si spectas, finem tenet. Est & munitissimo loco sita Roma, nec Alpibus solum ab omni vi subita, sed Apennino defensa.

Forma veteris Romæ, quali sub Romulo fuit, quadrata. Sed in suo flore propemodum rotunda (etsi haud juste tamen) & septem suos colles amplexa, grandem ambitum fecit. Scribunt veteres, Servium Tullium Regem, ad quinque colles jam inclusos urbi duos addidisse, Viminalem & Esquilinum, talem tantamque deinceps fuisse Romam.

Liquet autem, Romam quasi duplicem fuisse; unam clausam muris; & alteram non clausam, quæ tamen in orbe circumjecta esset, & continentibus ædificiis instructa. Illa habebat in ambitu 23 milliaria: hæc 42. Itaque totus ambitus interioris & exterioris Romæ erat 42 milliarium. Aurelianus vero muros Urbis sic ampliavit, ut 50 prope millia murorum ejus ambitus tenerent. Quid miraris? an adeo tale nihil alibi? Ecce in ipsa Italia urbs Locro-

rum (nec ea inter has maximas) 12 millia in ambitu habuit. Quid Carthaginem illam, Romæ æmulam? 24 millia passuum circumdedit. Ipsa Constantinopolis olim 22. ut hac quoque parte compar matri suæ esset. Denique ad Tartaros & Sinenses si abeas, hodie reperies exempla.

Iste Urbis fuit ambitus, sed desiit. Nam ecce cum Constantinus sedem Imperii transtulit, & una secum tot nobiles familias abduxit, frumenti etiam trientem abstraxit, denique se ipsum & aulam; nonne probabile est, Romam iterum valde minuisse? idque in extremis & longinquis maxime, ut solet: atque ita reditum, collapsis aut disjectis Aureliani muris, ad veterem ambitum & modum. Nec mihi aliquis rursus dixerit, muros hodiernos contra nos esse. Tunc veteres eos potes credere? & ita nescis, toties dirutam, incensam, vastatam, iterumque instauratam & refectam esse? Noli arbitrari quod in iisdem vestigiis, nam qua spe ejusdem frequentiæ aut felicitatis? Imo Honorius contraxit, post Belisarius, Narses, denique & Pontifices Romani; e quibus Hadrianus Primus muros eos, qui nunc exstant, 100000 aureorum è Tuscia contractis, exstruxit.

Magnitudo Suburbiorum Romæ.

Romam duplicem hactenus habuimus, veteri ambitu, & novo; est & tertia quædam fine ambitu, & quæ in suburbiis procurrit. Ea quoque ingens, & Plinii imagine ostendenda, qui ait: exspatiantia tecta multas addidisse urbes. Plures, inquam, sunt urbes, & tot quot suburbia. Quæ Tibur, Ocriculum, Ariciam, atque alio excurrebant, sed maxime Ostiam, & mare versus. Illuc vel ad 15, aut circiter, milliaria procedebant: & fidem huic assertioni Neronis consilium ac destinatio faciat, cui ab hac causa visum, Ostiam tenus mœnia promovere, atque inde fossa mare veteri Urbi inducere: etsi non effecit.

De hac magnitudine jam suo ævo Dionysius: *Omnia loca circa urbem habitata, sine mœnibus esse; in quæ siquis intuens, magnitudinem Romæ exquirere velit, frustra eum fore, & hæsurum, ubi desinat urbs, ubi incipiat.* *Adeo suburbana*, inquit, *ipsi urbi adhærent & innexa sunt, & speciem immensæ longitudinis exhibent spectanti.* Et Aristides Rhetor, qui vixit sub Hadriano, cum Urbs in summo flore, haud vana μεγαληγορία dixit: *Tantam Romam esse, ut in quacumque parte quis constiterit, nihil impediat & in media eum esse.* Quem locum hæc talia habeant, nisi in magnitudine ista adstructa?

De Hominum in Urbe multitudine.

Opportune additur multitudo habitantium, argumentum pro magna nostra Roma. Hanc colligere & affirmare possumus ex vestigiis Scriptorum, quæ sagaciter ibo indagatum.

Ex lapide Augusti, itemque è Suetonio constat, 320000 aliquando fuisse plebis urbanæ: plebis, dico, tenuiores, & quæ è publico victitaret; imo supra. Considera, & institue ratiocinium; si tanta multitudo inopum istorum, quanta jam etiam divitum? Quot illi Senatores aut Senatorii? quot Equites, & ex ipsa plebe honesti? Visne illos quoque 300000 fuisse? age sunto vel 200000 tantum; quid conficitur? pueros fœminasque addendas & quo numero? profecto duplo triploque (si non ultra) superarunt: & ita ubique gentium aut urbium observamus. Habebimus jam nunc in nostra Roma duos hominum milliones.

Rursus probabile est, totidem servos Romæ, quot liberos fuisse, imo plures. Nam tenuium, quotusquisque fuit, cui non unus alterve servulus? At divites illi agmina eorum post se trahebant: nemo certe divitum istorum aut lautorum fuit, cui minus centenis aut ducenis, qui in varia sua officia aut munia divisi. Jam igitur 3 aut 4 milliones servorum, quantum nec in provinciis quibusdam & regnis. Quot jam peregrini ex toto Orbe Romam venerunt? alii negotii sui causa, alii publici; multi & mansionis. Ita semper ea urbs referta iis, cum hi inirent, alii exirent; atque ipsa, ut mare, admitteret, nec cresceret minueretve. Itaque Aristides Romam dicit esse velut commune totius terræ oppidum. Athenæo Roma est Orbis compendium & Epitome. Eadem Urbs urbium dicta, quia videre in ea est omnes urbes collocatas. Nam & totæ Nationes illic simul & confertim habitant. Ut jam igitur hoc claudam & definiam, putasne & servos & peregrinos minus duobus millionibus fecisse? Ita in universum sint 4 Romæ, & circa eam; nec mitius aut contractius possum. Quid autem hoc magnum sit? cum & alias urbes reperire est affatim populatas. Cæsarea Cappadociæ (nec ea inter urbes principes) 400000 incolarum habuit. Et hunc ipsum numerum aut circa, Lutetia Parisiorum in censum deferebat, ante ultimas istas turbas. Agrigentum Siciliæ olim 800000 hominum inhabitarunt. Sed hodie nonne Cairum in Ægypto scribitur ad 7 milliones hominum habere? Et Quinzai illud famosum, ad 1600000 familiarum? præ quibus nostra illa frequens Roma decrescat.

At ecce hodierna Roma, quam relinquitur, & à veteri illa abest! nam præcipuos illos collos, & valles etiam, vacua habet & deserta. In veteri illa, etsi ubique obvia Templa, Porticus, Basilicæ, Theatra, Circi, Fora, Balneæ, Thermæ, cætera publica, quæ vel magnam partem, si non maximam, urbis occuparunt; non tamen vacua, sed plenissima fuerunt. In balneis & thermis an non multitudo curantium, ministrantium, ad observandum, purgandum, aquam aggerendam, lavandum etiam, fricandum, ungendum, siquis servum non habuisset? Templa autem, basilicæ, fora, suos custodes & æditituos habebant, satis grandi sane numero, ob sacri-

ficia, ob ornatum, & tutelam. Et passim curatores, & servi item Publici in publicis istis locis.

Sed duo non omittendi ad frequentiam urbis, Milites, & Palatini. Milites tot illi in præsidio Principis aut Urbis erant: iis sui calones, & honestioribus servi plures; certo ad 100000 excreverunt. At Palatinos dico totam Principis aulam, in qua tot officia aut ministeria. Est & tertium genus. Meretrices & scorta utriusque sexus ingentem numerum reddiderunt, ut in Urbe, quam multi cælibes, multi exteri sine uxoribus inhabitarent aut frequentarent. Quid jam gladiatores, venatores, scenici, quadrigarii, xystici? multa millia fuerunt.

Duo adhuc argumenta multitudinis addam. Primum quidem jocosum ex Lampridio. Heliogabalus servis imperavit, ut omnes araneas colligerent in urbe, atque ii collegerunt ad 10000 pondo: ut vel hinc intelligendum, quam magna Roma esset; quot enim domorum angulos excuti oportuit ad hoc pondus? Alterum argumentum triste, & à peste. In Eusebii Chronico traditur; sub Vespasiano ingentem Romæ luem factam, ita ut per multos dies in ephemeridem 10000 mortuorum referrentur. Nec nimium pro nostra Roma, quando in Cairo etiam legimus ad 20000 hominum in dies absumpta. Sub Nerone pestilentia unius autumni 300000 funerum in rationem Libitinæ venerunt. Per hanc ergo frequentiam Romæ factum, ut paulatim Italia pene deserta esset, cum plerique eo confluerent, ob frumentationes, ludos, & alios usus, aut voluptates: multi quoque maluerunt manus in theatro movere, quam in aratro. Quod maxime fuit post frumentationes sic largiter & firmiter institutas.

De Ædificiis Urbis communiter, & de eorum Altitudine.

Inimus nunc ipsam Romam & perambulamus ac lustramus. *Tria* in Urbe miranda canit Claudianus, *Altitudinem, Spatium,* & *Decorem.* De *Spatio* hactenus dictum, duo alia exsequamur.

Altitudo consideranda, sive in collibus ipsis ædificatio, pulchra specie; sive singulatim in operibus ipsis. Quod ad colles, quomodo non bellum, videre eos publicis privatisque ædibus insessos, gradatim declinantes, & velut superas quasdam urbes urbi inferæ imminentes? Itaque Plinius, cum de magnitudine dixisset; *Quo,* inquit, *siquis altitudinem tectorum addat, dignam profecto æstimationem concipiat, fateaturque, nullius urbis magnitudinem in toto Orbe potuisse ei comparari.* Quæ altitudo tamen in templis, aut publicis maxime. Cæteræ ædes non communiter sic altæ, nec humiles tamen fuerunt. Nam Augustus Princeps, cum ambitionem in ædificando videret, atque alte attollendo, eamque cum discrimine & periculo ruinæ; sive etiam quia aërem interciperent, & nimis inumbrarent; coërcuit, & 70 pedes definivit in modo ædificiorum.

ficiorum. Nero hoc ipsum postea secutus; cum ab incendio Romam instauraret. Sed non sic communiter; nam multæ ædes, & in primis omnes publicæ, extra legem hanc fuerunt. Quid si & divites illi nobilesque neglexerint? ego arbitror, sive gratia impetrata, sive & ea neglecta. Et titulus sane fuit: quia lex in futuras novas ædes cavebat, structas non diruebat, & fas easdem sic reparare. Quidquid tamen sit, si vulgo ædes omnes septuagenûm pedum, satis conspicua ea altitudo, præsertim ubi tecta compluviata, aut testudinata, quod sæpe. Nostra hæc pectinata, & in angustum surgentia, aliquid de dignitate minuunt, sed & capacitatem tollunt. In tali autem illa altitudine quid minus, quàm quaterna aut quina cœnacula? quorum frequentiæ studebant.

De Decore ædificiorum.

Ad *Decorem* transeo, qui varius; in mole, in materia, in artificio, in symmetria, siquid aliud elegantia aut peritia amat. In hac quoque parte quin Urbs omnes Orbis urbes superarit, nemo dubitet. Quidquid artificum insigniorum Græcia aut Asia habuit, Romam evocabantur, aut ultro veniebant: quippe hic præmia. Et quidam ex iis, quibus ingenium & audacia erat, etiam quæ natura denegavisset, per artem tentarunt. Sed primus aut præcipuus decoris hujus auctor Augustus, qui urbem neque pro majestate imperii ornatam, & inundationibus incendiisque obnoxiam, excoluit adeo, ut jure sit gloriatus, *Marmoream se relinquere, quam lateritiam accepisset.* Alter ab eo Nero Imperator; qui ambitione impulsus urbem incendit, ut novam melioremque repararet. Sub Trajano autem videtur culmen fuisse pulcritudini urbanæ; adeo ut & Plinius & Cassiodorus Romam totam, ac per partes, miraculum esse, & inter prima Mundi spectacula censuerint. Sed paulo distinctius membra hujus pulcherrimi corporis videamus.

De Capitolio.

Divina, à quibus rerum hominumque ortus, præeant, & totum hoc pulcritudinis agmen ipsa ducant. Fuerunt Romæ 424 templa; pleraque ex his magnifica, & aliter atque aliter structa, vel instructa. A templo Tarpeio sive Capitolino exordiemur, non quod pulcherrimum: sed quia primarium, & Dei Principis; itemque quia multa substructionum mole, & opibus ac tempore pleraque præibat.

Mons *Saturnius* primo dictus fuit; in quo hæc ædes, tum *Tarpeius*, & mox *Capitolinus*, a capite hominis (cui vivo *Toli* nomen fuisse Arnobius tradidit) invento, dum fundamenta moliuntur. Sed hæc nota, non vulgo nimis illud, duplex Capitolium fuisse, *Vetus* & *Novum*. Illud in regione sexta Circi Flaminii, à Numa constructum. Istud in regione octava fori Romani, à Tarquinio Prisco. Is complanato monte Tarpeio struere cœpit, ex voto, quod voverat bello Sabino, idque oppido Apiolis capto, è manubiis & præda:

præda: sed fato præventus absolvendum nepoti L. Tarquinio Superbo reliquit, Regum ultimo; etsi Servium quoque Tullium aliquid addidisse, sociorum studio adjutum, Tacitus (sed solus) dixit. Præcipuus tamen auctor operis Superbus, qui Suessa Pometia è Volscis capta, divendita præda, cum 400 talenta argenti aurique recepisset, (ea sunt 240000 Philippæorum) concepit animo eam amplitudinem Jovis templi, quæ digna Deûm hominumque Rege, quæ Romano imperio, quæ ipsius etiam loci majestate esset. Nec tamen vel Tarquinius supremam manum imposuit, & gloria operis libertati reservata. Pulsis Regibus, Horatius Pulvillus Consul dedicavit, ea magnificentia, quam immensæ postea populi Romani opes ornarent potiùs, quam augerent.

Capitolium ipsum Tarquinii describit his fere verbis Dionysius: *Situm est in alta crepidine, habetque in ambitu* 8 *jugera, sicut latera singula* 200 *fere pedum sint, exigua latitudinis & longitudinis differentia, nisi quod ista illam vincit vix pedibus quindenis. Qua parte frons ejus meridiem spectat, triplici columnarum ordine circumcingitur, ab aliis lateribus duplici. In ipso sunt tres cellæ ex ordine, à lateribus communione parietum clausæ. Media est Jovis, utrimque altera Junonis, altera Minervæ, sub eodem laqueari eodemque tecto.* Verba si examinemus, 8 jugerum ambitu fuisse dicit, id est, pedum 800: sed sic ut quadrum esset, imo pene quadratum, nisi quod longitudo 15 pedibus superaret. Egregia capacitas, & apta proportione. Ait, frontem ad meridiem spectasse, id est, Forum Romanum & Palatium versus, frequentissimam Urbis partem. Ergo ab ea quoque parte 100 gradus, quibus superbe adibatur: quos tamen continuos fuisse non arbitror, & retractiones suas habuisse, id est, areolas, ubi fessi pedem figerent & respirarent, quas post singulos 7, aut 9, graduum ordines solere interponi, Architecti notarunt. Gradus autem isti haud dubie ad majestatem, eoque & in aliis templis, etsi pauciores, soliti usurpari. Sed ibi ratio, hic necessitas, & locus editior, voluerunt. Addit columnarum triplicem ordinem, quas L. Sylla Athenis, è templo Jovis Olympii advexit. Quam multæ eæ fuerint, haud dixerim, quia varia proportio in collocandis. Tres in ipso cellas locat Dionysius pro tribus Diis: nec alii quidem Dii in Capitolio, excipio Juventutem & Terminum, qui cedere scilicet noluerunt exaugurantibus. Mons tamen passim & pene totus Deorum aris, statuis, templis, infessus.

Sed notandum, quatuor in hoc ipso loco, ex ordine, fuisse Capitolia. Nam *primum* illud Tarquiniorum, bello civili Syllano, incendio periit, negligentia custodum. *Alterum* ipse Sylla instruxit, sed non dedicavit; quod unum felicitati suæ defuisse, ipse apud Plinium fatetur: Lutatius Catulus dedicavit & nomen inscripsit. *Tertium* fuit à Vespasiano: nam illud Catuli arsit civili iterum

iterum bello Vitelliano: atque iste reparavit iisdem vestigiis, sed & dedicavit. *Quartum* Domitianus instauravit. Sunt hæc igitur 4 Capitolia, sed in eodem loco reposita semper, atque innovata. Capacitas Capitolii, pro mensura jam assignata largiter data, erit hominum 8000. Altitudo, quæ minima esse potuit, fuit 200 pedum, sicut in Pantheo Agrippæ; par item latitudo & altitudo. Juvit & decuit altitudo, ubi tanta multitudo, aut aër laxior ac liberior ad respirandum, ad refrigerandum: alioquin ubi arctatio & compressio, scimus quàm subito animo male fiat.

Ab ædificiis ad ornatum pergo, qui tamen varius in vario isto opere. In illo Tarquinii Capitolio ænea limina, & trium mensarum argentea vasa in cella Jovis, Jovemque in culmine cum quadrigis aureis Ædiles posuerant: item clypea inaurata. Post Carthaginem eversam laquearia inaurata fuerunt, id est, totum illud internum cœlum & cameratio. Illud Catuli, fastigiatis supra tectis, auro puro fulgens præluxit Capitolium. Catulus enim primus tegulas æreas Capitolii inauravit. Sane hoc magnificum & vere splendidum fuit; & quis ille fulgor, Sole irradiante? Fuit & ad firmitatem aptum æs, & contra æruginem aut rubiginem valuit inductum aurum. Cætera donorum & ornamentorum varia, Coronæ aureæ, Victoriæ aureæ, candelabra, vasa, & quæ tu tibi subjicias. Illud omnino observandum, omnibus his detractis, ex Ægyptiaca præda alia victorem Augustum reposuisse; detractis ex SC. ut tam multis his novis & melioribus locus fieret. Id vero ipsum tempus fuit, quo una donatione in cellam Jovis Capitolini contulit 16000 pondo auri, (id est, Philippicorum 1600000.) & quingenties H S in gemmis, id est, 1250000 Philipp. Quid censes in duas alias collatum? nam & eas sua dona accepisse Dio disertim dicit. Pleraque tamen horum periere incendiis. Sub Domitiano quæ & quanta fuerint, ex Plutarchi verbis suspicemur: qui ait, in solam inaurationem privatum omnem modum excedentes opes impensas, nempe supra 12000 talentorum. Ea sunt nobis 7200000 Philippæorum, sive 7 milliones; & quod excedit. Tanti igitur inauratio, quæ fuit non in lacunaribus solum, sed in tegulis æreis, ut illo Catuli. Nec tecta modo inaurata, sed ipsæ fores auratæ, & crassis laminis obductæ, quæ mansere ad Honorii Imperatoris ævum. Tunc in pecuniæ inopia Stilico mandasse perhibetur, ut fores in Capitolio Romano, quæ auro magni ponderis erant obductæ, laminis iis spoliarentur. Cum autem qui hoc facere jussi erant, id agerent, in parte forium scriptum repererunt: *Infelici Regi servantur.* Quod eventus docuit; nam Stilico paulo post infeliciter periit.

De Templo Panthei.

Pantheon ab Agrippa genero Augusti structum fuit, & opus notum est, hodieque (etsi ornamentis omnibus spoliatum) ipsum corpus

corpus exſtat. Struxit in tertio Conſulatu ſuo, quod inſcriptio frontis indicat; ſed perfecit biennio poſt, & dedicavit, A. U. 729. Quæ cauſa nominis, ipſe Dio dubitat. In Gloſſis illis priſcis legitur, πάνθειον, *Omnium Deorum.* Sed & Athenis, atque alibi, τὸ κοινὸν τῶν θεῶν ἱερὸν fuiſſe, *commune Deorum Templum,* ex Pauſania diſco: cui & origo eſſe apud Romanos potuit, ex communi Deorum ſacro, de quo Feſtus. Sed Dio tamen aliter: & movit ipſum, credo, quod paucæ & certæ in eo ſtatuæ eſſent, neque Diis communiter poſitæ. Fuit enim Martis, Veneris, (in cujus auribus ſectus famoſus ille unio Cleopatræ) & Cæſaris Julii: ipſius Augusti, cum ſua, in veſtibulo poſuit Agrippa. Jupiter autem præcipuus, & præſes ibi, Deus fuiſſe videtur: ſed & plures alii, eoque nomine haud male Pantheon, etſi Dio à cœli forma magis petit, quoniam id ſcilicet receptaculum & ſedes Deorum.

Hoc inter pulcherrima operum Plinius recenſuit: quid mirum vel ab ipſo iſto corpore, ſed ſpoliato & nudo? Nam artificium & ſymmetria per omnes partes, maximas, minimas, in eo mirabilis; decor, ordo, devinctio ſingularis, ut Sebaſtianus Serlius, vir periti ſſimus talium, habendum cenſeat hoc velut unicum exemplar conſummatæ Architecturæ. Latitudo atque altitudo par eſt, pedum 144. Amiſit de ſpecie, quod rudera locum ſuſtulerunt, & gradibus in templum nunc deſcenditur; atqui antea aſcendebatur. Tectum & ipſum æreis tegulis, quæ prægrandes aliquot in fornice repertæ: nec dubitandum & has auratas fuiſſe. Abſtulit eas tegulas Conſtantinus Heraclii filius, ut pleraque alia ornamenta Romæ reliqua; avexit in Siciliam, & Saraceni invadentes omnia abſtulerunt, in Ægyptum avehentes.

Exuſtum fuit magno illo incendio ſub Tito, cum & Capitolium tertio arſit: & refecit Domitianus. Sed nec diu poſt, Trajani anno 13, fulmine ictum conflagravit; & ab Hadriano reſtitutum. Itaque non ſoli ii reſtituerunt, qui in fronte operis hodieque inſculpti leguntur, L. Septimius Severus, & M. Aurelius Antoninus; ſed jam dicti. Mutavit & tranſiit in melioris templi uſum, & à Venere ad noſtram Virginem, faciente Bonifacio IV. Pontifice, ſub Annum Chriſti 607.

De Templo Urbis.

Habuit & Domina Urbs, illa æterna & cœleſtis, ſuum templum, O inſaniam! ædificiis & inanimato corpori non vitam ſolum attribuere, ſed numen! Atqui fecerunt: & Urbs hæc, in qua ſedes tanti imperii, tamquam in ea potentia & divinitas, ſic culta. Inventio & adulatio à Græcis Aſiaticis eſt, apud quos Smyrnæi primi templum Urbis Romæ ſtatuerunt, circa A. U. 558. Nec defuerunt alii ſequi exemplum, ſtatimque Alabandenſes in ſua Urbe ſtruxere. Non alio fine, niſi ut propitiam ſibi non Urbem, ſed Urbis incolas & rectores haberent. Ita igitur initium, ſed in provinciis:

vinciis: imo nec ſub Principibus ſtatim Tomæ, in ipſa Roma, templum. Hadrianus fecit, & ob eam cauſam Coloſſum tranſtulit: qui idem Veneris templum ſtruxit; non inepte, ut Venus, Æneadum mater, cum ſua prole jungeretur. Credendum eſt, fuiſſe templum Urbis ad radices montis Palatini, circa, aut in Comitio: in diviſione tamen Urbis accenſitum Regioni Pacis.

De Templo Genii.

Fuit & *Genii publici* templum Romæ, diſtinctum ab iſto Urbis: & hoc verecundius paulo, & minus inſolenter excogitatum. Nam Genium locis, regionibus, civitatibus, tribui, ſatis eſt frequens & notum. Itaque in Dione templum *Genii populi* aliquoties nominatur: ſed diu ante Urbis, & quidem ab anno 741, ante Principatum Auguſti. Sed & Antiochiæ, Alexandriæ, atque alibi, Templum Genii leges.

De Templo Pacis.

Templum *Pacis* Veſpaſianus Romæ conſecravit, magna ſpe & animo, manſurum poſt civilia tunc quoque bella. Fuit foro proximum, ac nunc veſtigia exſtant, & ex iis operis ipſius forma. Grande fuit, & longitudo 300 pedes attigit, latitudo 200. Igitur ſupra Capitolium ipſum. Hac cauſa merito Herodianus id appellat *Maximum & pulcherrimum omnium in Urbe operum*: additque, ditiſſimum item fuiſſe, ornamentis auri & argenti excultum.

Feciſſe id ſub initia imperii, & poſt triumphum, Veſpaſianum, ex Joſepho diſcas. Magnis enim opibus in hanc rem uſus, & priſcorum etiam præclara omnia adhibens, picturis & ſtatuis pulcherrimis adornavit. Omnia enim in hoc templum collata & diſpoſita ſunt, ob quæ homines videndi cupiditate antea per totum Orbem vagabantur. Conſonat & Plinius, qui paſſim pulcherrima aut rariſſima operum in templo Pacis fuiſſe adnotat. Quod magis impreſſiuſque refertur, ut triſtius damnum cognoſcatur, quod factum eſt templi hujus incendio ſub Commodo. Tunc enim levi terræ motu prævio, ſive ictu fulminis, ſive igne è terra exſpirante, ſubito & improviſo totum conflagravit, itemque porticus, & totus ejus ambitus: malo ſane augurio, ut tunc Romani haud vane interpretabantur, periiſſe ſibi Pacem. Inter adjecta autem vel circumjecta periit & Bibliotheca, quæ in ambitu ejus templi erat; cujus in A. Gellio memoria exſtat.

De Foris Romanis.

Fora Romana, ſed & Græca, alia quàm pro noſtris moribus hodie. Græci in quadrato ampliſſimis & duplicibus porticibus fora conſtituunt, crebriſque columnis, & lapideis aut marmoreis epiſtyliis adornant, & ſupra ambulationes in contignationibus faciunt. Atque hæc ipſa Romani, niſi quod non quadrata æqualiter, ſed oblonga magis faciebant, nec niſi tertia latitudinis parte. Sed nec columnas tam crebras interponunt, & Romæ etiam magnis circumpoſitis

cumpositis ædificiis, ut Templis, Basilicis, Chalcidicis, magis ornabant. Ambitus ipse fori porticibus claudebatur, viis relictis & spatiis ad intrandum: exterius deinde templa, & quæ dixi, circumponebantur, & late super porticus illas eminebant. Sed membra singula videamus.

Porticus erant duplices, in altitudinem & latitudinem; magis tamen in latitudinem, ut latius inambularetur; quamvis nec de illa negem. Duplex ergo columnatio in altum solita usurpari, sed in latum sæpissime, atque adeo triplex, quadruplex, quintuplexque: pulchra sane tot columnarum series, & superba facies. Jam super istas porticus, ambulationes erant.

Fora duorum generum Romæ, & in universum 17 numerant descriptores Urbis. Erant *Civilia*, erant *Venalia*. Illa, in quibus res & lites agebantur; hæc, in quibus merces aut species certæ venales; ut Forum *Suarium*, *Piscatorium*, *Pistorium*, *Boarium*, *Oblitorium*, & talia. In utrisque & cœtus ac circuli, ac sermones hominum erant, ut solet in vacuis; sed magis in Civilibus illis. Hæc olim fuerunt tria. *Romanum*, *Julium*, *Augustum*. Quartum *Transitorium* vocabant, & postea Nerva absolvit, ab eo etiam *Nervæ* dictum. Quintum denique addidit Trajanus, ab ipso sic appellatum. Lubet breviter lustrare singula, & quædam in iis, levi oculorum injectu; præcipua observare.

De Foro Romano.

Forum *Romanum* est, quod *Vetus* appellant, aspectu ad hæc posteriora. Itemque *Magnum*, quia spatio superavit; & *Latium* dictum. Id à Romulo institutum, inter Capitolinum & Palatinum montes, ad hujus finem: sic ut templa Capitolina ei imminerent, palatii variæ structuræ, & varia in ambitu templa. Sed hæc postea fuere; Romuli ævo, simplex planicies. L. Tarquinius Priscus postea exornavit; & tabernis ac porticibus cinxit. Alii deinde tam multa & varia (quia quisque opus suum in conspicua maxime & celebri parte exstare cupiebat) addiderunt, ut multæ & curiosæ curæ sit, singillatim recensere. Statius quædam recensuit in Equo Domitiani. Ille enim ex ære colossæum illum, & se insessorem, constituit in hoc Foro.

De Foro Julio.

Julium Forum C. Cæsar, etiam privatus, & Proconsul adhuc Galliæ, concepit, atque adeo cœpit. Nam locum & aream emit, ac purgavit; magno sane, siquidem area super HS millies constitit. Ea summa est nobis 3500000 Philippicûm. Suetonius palam hoc inter Gallicanæ liberalitatis exempla refert. Tunc igitur emit, sed bellis impeditus aut tardatus, non nisi post bellum Africum perfecit. Pulchrius Romano fuisse narrat Dio, quod equidem credo, vel quia à Cæsare, vel quia posteriora opera prioribus fere ante-

antecellunt. Fuit autem hoc Julium haud longe nimis à Romano, post templis Pacis & Faustinæ.

De Foro Augusto.

Transeo ad Forum *Augusti*, quod nominatim Plinius inter maxima operum collocavit. Profecto gradatim scandimus, & meliora ac majora in his damus. Mars *Ultor* hic in medio, ut in superiore Julius, aut Venus. Ovidius *Bisultorem* cognominat, quia & ob vindicatam patris necem hoc cognomen Augustus imposuit, & ob Crassianam cladem, signis à Partho receptis Porticus in eo, de more, ad latera: sed hoc in iis singulare, & ab Augusti invento, quod in altera, ordine omnes Latini Reges à capite & principe Ænea essent, in altera Romani Reges, aut Duces clari, à Romulo ipso. Inter eos & ipse Augustus locum habuit, atque ejus tituli & acta. Ergo illic sub quoque viro aut statua suæ res gestæ breviter, & index. Atque istæ novæ statuæ: quot deinde veteres, & priscæ raræque artis? Situm autem hoc forum supra ipsum Romanum, ad latus Capitolii, post ædem hodie Divæ Martinæ.

De Foro Nervæ.

Quartum Forum est *Nervæ*, quod Domitianus inchoavit, iste perfecit & agnominavit. In hoc Alexander Imperator statuas colossas, vel pedestres nudas, vel equestres, Divis Imperatoribus locavit; omnibus cum titulis & columnis æreis, quæ gestorum ordinem continerent, exemplo Augusti, qui summorum virorum statuas in foro suo è marmore collocavit, additis gestis. Istud fuit situm inter Capitolinum & Quirinalem colles, dictumque ideo *Transitorium*, quod per id in alia opportune velut transitus esset. An & quia Jani in eo templum? quod quatuor portarum ibi fuisse Servius tradidit. Forum hoc etiam *Palladium* dixere, quia Minerva etiam ibi, familiare Principi Augusto numen.

De Foro Trajani.

Quintum Forum *Ulpium* sive *Trajani*, quia Trajanus fecit. Quale hoc fuerit, Ammianus paucis verbis dixerit, clamitans, *singularem sub omni cælo structuram, etiam Numinum assensione mirabilem.* Consentit Cassiodorus, &, *Trajani forum*, inquit, *vel sub assiduitate videre, miraculum est.* Apollodorus Architectus fuit, summus in arte vir, & quem Hadrianus postea, livore quodam ductus, occidit. Porticus & columnas fuisse, satis scitum est; & puto in altum plures. Et sane altitudo columnæ, quæ in medio sita fuit, hodieque apparet, pedum 128. Credibile ergo est, aut tam altas, aut non longe infra, porticus ipsas fuisse. In quarum fastigiis simulacra equorum, & signorum militarium: subscriptumque erat, *Ex manubiis.* Et hæc omnia inaurata fuerunt, & probabiliter etiam statuæ, quæ subter porticus collocatæ. Has M. Antoninus numero auxit. Ibidem & Templum & Equum æneum fuisse, Victor ostendit, & circum Bibliothecam, alii.

De Thermis, & Balneis.

Thermas & Balnea Romæ fuisse magna, ruinæ docent, ornata valde & magnifica. Quo respiciens Ammianus, scribit, *Lavacra in modum provinciarum exstructa*; quasi quæ non urbes, sed regiones totas æmularentur. Videntur hodie illæ parietinæ Thermarum Antonini, aut magis Diocletiani, in quibus mira laxitas. Nam Thermæ Antoninianæ in usum lavantium habebant 1600 sellas è marmore factas; Diocletiani autem circiter 3200. quid nisi igitur tot personæ inibi simul lavari potuere? Ubi jam reliquum Thermarum corpus? Cellæ, Solia, Piscinæ, Sphæristeria, & reliquæ partes? De splendore porro & paratura earum audi hæc Senecæ: *Pauper sibi videtur ac sordidus, nisi parietes magnis ac pretiosis orbibus refulserint, nisi Alexandrina marmora Numidicis crustis distincta sint, nisi illis undique, & in picturæ modum variata, circumlitio prætexatur; nisi vitro condatur camera; nisi Parius & Thasius lapis, quondam rarum in aliquo templo spectaculum piscinas nostras circumdederit, nisi aquam argentea epistomia fuderint*, (significat, fistulas & canales argenteos fuisse, ipsa etiam labra.) *Et adhuc plebeias fistulas loquor, quid, cum ad balnea libertinorum pervenero? quantum statuarum, quantum columnarum est, nihil sustinentium, sed in ornamentum positarum, & impensæ causa? quantum aquarum per gradus cum fragore labentium? Eo deliciarum venimus, ut nisi gemmas calcare nolimus.* Quod si igitur privata hæc ita culta, credo equidem & Principes in suis, quæ publicabant, parcos aut sordidos non fuisse. Ejusmodi publica & gratuita balnea 12, P. Victor agnoscit Romæ fuisse; omitto alia publica, quæ meritoria licet agnominare. Nam parvo ære & quadrante, ad ea lautum ibant.

Sed ideo tam multa balnea Romæ, quia assidua lavatio; & quotidie, de more, lavabant, ituri jam ad cœnam. Hinc Artemidorus scripsit, balneum nihil aliud suo ævo fuisse, quam transitum ad cœnam. Itaque qui sæpius etiam cibum capiebant, sæpius lavabant. Commodus Imperator notatur septies aut octies in die lavisse. Etiam inter Christianos Silinnius quidam Episcopus bis in die, non sine suspicione intemperantiæ & voluptatum: sed ille dicterio culpantes illusit: *Quia ter lavare non posset*, significabat, bis se comedere, bis igitur lavare, tertio non ferre valetudinem.

De Odeo, & Rostris.

Alia quoque erant publica opera, ut Theatrum, Amphitheatrum, Odeum, Stadium, Suggestus, quæ singulos tractatus requirerent. De *Amphitheatro* alibi dictum. *Odeum* Plutarchus in Pericle describit, ad Musica certamina spectanda structum fuisse, interiore forma sedilibus instructa & multis columnis, tecto declivi, & ad imaginem atque instar tabernaculi Regis Persarum.

Suggestus

Suggestus consularis huc spectat, scilicet *Rostra*, quæ *Julia* dicebant, sive *Nova*. Nam vetera illa non in tanto nunc honore, vel usu. Vocat Ammianus *Suggestum*, à forma, quam ostendit, per gradus surrexisse, cum dicit, vertice scansili fuisse. Dicit &, imitamenta Principum portasse, id est, vultus & statuas eorum, quas equidem arbitror in gradibus, ad extrema latera, dispositas in ordine fuisse. Eorum basim, sive ima, ornata rostris navium ex Actiaca victoria, Dio Cassius docuit: & inde *Rostrorum* nomen. Ideo autem *Consulum Suggestum* appellat Ammianus, quia initio magistratûs eo conscendere solebant Consules, & populum salutare; eodem iterum, cum deponerent magistratum. Mos ab antiquo mansit; quia & adire, & orare illic, ac gratias agere populo solebant pro honore. Sed inferiore & Principum ævo nihil factum, nisi ut conscenderent, salutarent, itemque jurarent, aut ejurarent. Imo & sedisse illic in sella curuli videntur, & sic se ostendisse, quasi auspicii causâ.

De Statuis, earumque custodia.

Unum etiam in his omnibus operibus locisque monendum, de *Statuis*, quarum incredibilis multitudo, pretium speciesque. Nullum publicum opus quodcunque nomines; nullus adeo locus publicus aut vacuus, ubi non hæc ornamenta. Et credo equidem nihil magis in tota Urbe admirandum elegantioribus ingeniis fuisse. Earum originem & augmentum breviter in Cassiodoro habes, *Statuas primum Tusci in Italia invenisse referuntur, quas amplexa posteritas, pene parem populum Urbi dedit, quam natura procreavit.* Fuerunt & *Tabulæ* magnorum illorum artificum, ob quarum unam alteramque vel Romam philocali & elegantes illi venirent.

Jam de pretio statuarum, quod tetigi, quis non vel è materie cernat? Omitto marmoreas illas & æreas infinitas; dico, argenteas, aureas, eburneas, fuisse. Et argenteæ quidem sub Augusto maxime increbuerunt; sed ille moderatus est, & suas conflavit: non ita alii Principes, & nominatim Domitianus, qui superbo arbitrio statuas sibi in capitolio (locum hunc sacerrimum profanus Princeps statuis suis sedem eligebat) non nisi aureas argenteasque poni permisit, ac ponderis certi. Nota materiem, nota pondus: & ex solido utroque igitur metallo fuisse. Fuerunt etiam graves pondere: atque adeo Commodus Imperator statuam 1000 librarum auream habuit, cum tauro & vacca, quasi Urbis conditor. Claudio Populus Romanus sumptu suo, in Capitolino, ante Jovis Opt. Max. templum statuam auream 1000 pondo collocavit. Eidem Principi in Rostris posita columna est, & palmata statua superfixa, librarum argenti 1500. Disce hinc pondus grande in utroque meliore metallo: quod crebrum omnino fuit, & crebris etiam misceri, & æs vel argentum inaurari. Et id dicebant, *Sub auro statuam poni.*

Harum statuarum tanta erat frequentia, ut Claudius Imperator coërcere sit conatus; quia nimia jam copia Urbem, vias, vicos, non ornabant, sed stipabant & arctabant. Atqui exceptio quam posuit, & permissio item à Senatu, fræna iterum laxabant; & qui in Urbe non potuit, is se in villis aut agris publicabat. Variæ statuarum fuerunt species, quædam Colossææ, Curules, Equestres, & habitu variante & diverso. Quid, quod equorum, leonum, sphingum, & variorum animalium? ut Obeliscos, & hæc talia, omittam.

Ne autem aliquis è statuis illis aliquid abraderet aut resecaret, custodia & cautela antiqua fuit. Miles in Urbe excubabat, Urbanus ille & vigilum ad templa, ad loca item publica. Sed præterea certus etiam Præfectus huic statuarum custodiæ, & qui militem haberet. Vocarunt id officii, *Comitivam Romanam.* Atque hic est, qui *Comes Romanus* appellatur, quia Romam & ejus opera servabat.

De Viarum operibus.

Non Romam solum, sed quædam circa eam ostendam. Tria autem occurrunt vel maxime admiranda. *Viæ, Aquaductus, Cloacæ.* Quæ tria Dionysius vult specimen & argumentum esse Romanæ opulentiæ & potentiæ, sive ab usu consideres, sive ab impendiis & sumptu.

Primæ sunt *Viæ*, quas illi non in urbe solum, sed extra eam, ad longissima spatia, plurimas & plurimo opere muniverunt. Vel una via Appia considerantem in stuporem dabit, de qua audi Procopium, quem afferimus, & passim explicamus: *Hanc* (viam Appiam) *Appius Romanorum Censor ante annos 900 struxerat,* (imo 850 circiter) *& à se dederat nomen: Longitudinem ejus 5 dierum spatio vir expeditus possit emetiri. Ab urbe Roma Capuam pertinet,* (nimirum à porta Capena Capuam usque, quæ sunt milliaria 124. Deinde fuit usque Brundisium lapidibus strata, an ab Julio Cæsare, an ab Augusto, incertum: quæ longitudo est milliarium circiter 350. Addit de latitudine) *ea latitudine, ut duo currus ex adverso obvii, libere queant pervadere & commeare.* (Ergo haud minus 23 pedes patuit.) *Et est sane hæc via præter cæteras spectabilis, siquidem Appius ex alta & longinqua tunc, ut reor, regione excisos lapides, & hos quidem siliceos, & suopte ingenio durissimos, in hanc viam vehendos curavit.* (Intelligit silicem, durum asperumque lapidem, & è rupibus, non illum minutum & tenuem, quem vulgo vocamus, & qui in glaream potius venit. Sed è qua regione petiti? in vicinia tales non esse, Procopius indicavit. Onufrius Panuinus hoc amplius, duos montes ostendit, ad Sinuessam unum; alterum inter Puteolos & Neapolim, è quibus saxa ea, colore & duritie ferrum referentia, videantur excisa. At Leander specus & fodinas in Bruttiis exstare, ad *Seminariam*, è quibus lapides ad vias eruti, præsertim ad Appiam. Quidquid sit, opus

mirum & laboriosum fuit. Nos in Procopio pergamus, qui addit: *Quos planos deinde ac læves redditos, & quadratos incisione factos, junxit, & in ordine locavit,* (Conspiciuntur hodie tales, diversa magnitudine, 3, 4, 5, etiam pedum quaqua versus. Cætera de junctura & firmitate, utque unum corpus appareant, sunt miranda magis, quàm explicanda,) *metalli nihil vel alterius rei inserendo, sunt tamen ita connexi, & valide inter se hærent, ut speciem visentibus præbeant non conjunctos ita esse, sed congenitos. Et quamvis tot jam seculis atterantur, assiduis plaustris jumentisque, tamen neque serie sua vel minimum exeunt & dimoventur, neque franguntur, aut lævorem suum amittunt.* Nec brevior quoque *Via Flaminia*, quæ Roma Arminium usque, & inde porro Aquileiam ducebat.

Observanda hoc loco duplex ratio sternendi vias apud veteres, vel *glarea*, vel *silice*. Amplius, marginare solebant: quod caput sane erat, & agger ille viæ, cum altiusculus, & instar pulvilli esset, (ita solet) firmiter arctari & stringi lapidibus grandioribus ad oras debebat, ne difflueret & spargeretur. Hoc *Marginari*: & ibidem etiam alii lapides duplices, & ad usum duplicem positi. Priores, Cippi, quidam eminentes, in quibus insidere fessis, onera reclinare, aut & ascendere ex iis in equum fas esset: Ii crebriores dispositi per totam viam. Alteri autem rariores, qui ut columellæ exstabant, & notis numerorum incisi, milliaria notabant. Utrumque hoc C. Gracchus instituit; & gratum id vulgo fuit. Cur non esset? nihil magis ad tædium & fatigationem, quam ignaros spatiorum oberrare, & contra, refici animum ac vires ea signatione. Hinc ille mos per lapides computandi, quos Græci ab hac notatione milliarium Σημεῖα vocant, id est, *Signa*, sive *Notas*.

Quod ad munitionem viarum, pleræque similes, nec in Italia solum plurimæ, sed in provinciis ipsis. Nam scripsit Isidorus, Pœnos primos lapidibus vias stravisse, quas postea Romani pene per totum Orbem disposuerunt; excisis sæpe montibus, complanatis vallibus, ut æquabiles & faciliores ita viæ essent. Præcipuum vero in viis, si non in usu, at splendore & voluptate fuit, quod monumenta & sepulcra passim ad viam assita, & latus utrumque prætexebant. Quàm pulcher ille aspectus viantibus? quanta & seriorum & jocorum materies? Illic illustrium ingeniorum, aut clarorum virorum memoria & inscriptio; alibi libertorum, servorum, scortorum, superba monumenta. Mirari, dolere, illudere, etiam detestari, occasio erat: & quid in tot titulis & inscriptionibus pasci? Quædam enim à meliore ingenio, & scitæ; quædam aliqua nota aut inventiuncula spectabiles; & istæ, quæ hodie exstant, dicent. Sed & utilis aspectus ille; nam monumenta secundum viam prætereuntes admonent, & se fuisse & illos esse mortales. Quid amplius? omnium illorum, qui disparibus monumentis teguntur,

parem in exitu sortem fuisse: Æquat omnes cinis; impares nascimur, pares morimur.

De Aquæductibus.

Jam *Aquæductus* videamus, & pulverem sordesque, si quas è Via contraximus, abluamus. Diu Roma sine Aquæductibus: & Tiberis, ac siqui fontes nativi erant, sufficiebant populo, sed nondum sic aucto. Urbe dein magna, plena, & cum in collibus, procul à flumine, degerent, optimum rerum aqua (ut Poëta canebat) quæsita, & per tubos ac canales, in fornicibus latericiis, Romam advecta. Id factum primo, A. U. 441, cum Appius Claudius Censor, idem qui vias sternere instituit, huc quoque bonum invenit Ab eo est *Aqua Appia*, per milliaria circiter 11 deducta. Hoc initium; sed Deus bone, quæ mox incrementa? Nam egebat sane aquis populus ille, non solum ad potum, sed ad balnea, ad fullonicas, ad Naumachias & Circos. Atque ita ubertim inducta fuit, ut quisque domi aut in vicino haberet copiam. Ita autem flumina per Urbem & cloacas videbantur fluere, ut unaquæque domus propemodum haberet fistulas & canales, quibus aquam induceret. De hac re Plinius; *Si quis diligentius æstimaverit aquarum abundantium in publico, balneis, piscinis, domibus, euripis, suburbanis villis, spatioque advenientium exstructos arcus, montes perfossos, convalles æquatas, fatebitur, nihil magis mirandum fuisse in toto Orbe terrarum.* Nec Romæ tantum, sed in coloniis plerisque & majoribus oppidis hæc fuere.

Fuerunt in Urbem perducti 14 Aquæductus (P. Victor 20 numeravit) coctili laterculo per priscos illos ædificati, ea latitudine ac simul altitudine, ut vir eques commode per eos posset incedere. Sed hæc altitudo de ipsis modo est; quid arcus & fornices arbitraris; quos in quibusdam locis sublevatos 109 pedes. Julius Frontinus affirmat. O rem stupendam! & magis, quod à tot milliaribus continuo opere (etsi non ubique sic alto) perducebant. Reperies quosdam à quadragesimo milliari perductos esse, & nempe per valles, per tot inæqualia, supra, infra terram. Exstant juxta Sublaqueum Aquæductûs Claudiani fornices, & ingentes pilæ sustentantes, de quo Plinius ita scribit: *Vicit antecedens aquarum ductus novissimum impendium operis inchoati à Caio Cæsare* (Caligulam intelligit) *& peracti à Claudio. Quippe à quadragesimo lapide, ad eam excelsitatem, ut in omnes Urbis montes levarentur influxere Curtius & Cæruleus fontes. Erogatum in id opus HS ter millies.* Fuerunt 7 nostri milliones & semis.

Idem Plinius quædam de lacubus, aliisque additamentis Aquæductuum scribit, non sine miraculo etiam audienda. *Agrippa in Ædilitate sua, adjecta Virgine aqua, cæteris corrivatis atque emendatis, lacus 700 fecit, prætcrea salientes 105, castella 130; complura etiam cultu magnifica. Operibus in signa 300 area aut marmo-*

marmorea imposuit, columnas ex marmore 400: *eaque omnia anno spatio.* Hæc unus Agrippa, & uno anno. At scripsit Plinius, lacus 700 ab ea factos; recte ab eo: sed plures longe fuere in universum, & alibi 1352 legimus. Isti non aliud, quàm aquarum in publico receptacula, è quibus petere omnibus fas esset: etsi gratior æstimatiorque è salientibus ipsis sumpta. Nota autem in Plinio tot signa, tot columnas, ad ornatum lacuum, salientium, castellorum: atque ea ab uno Agrippa; quid arbitraris ab aliis prioribus & secutis fuisse? Atque alia etiam assidua multa impendia circa has aquas.

Harum aquarum Curatores ab Augusto fuerunt instituti, cum lictoribus, servis, scribis, librariis, accensis, præconibus. Sed præcipuum, quod familiæ & homines certi, ad tuenda hæc opera, sumptu publico tolerati. Audi hac de re Frontinum, qui ipse inter Curatores aquarum; is ergo scribit, Agrippam primo per servos privatos suos hæc fecisse, eamque familiam Augusto morientem legasse, Augustum deinde publicasse, & deinceps mansisse; atque habuisse homines circiter 240. *Erat autem & altera*, inquit, *familia Cæsaris dicta, & numerus ejus* 360, *quam Claudius, cum aquas in Urbem perduceret, instituit.* Addit, in utraque simili varia ministeria fuisse; Villicos, Castellarios, Curatores, Silicarios, Tectores, aliosque opifices. Habes igitur perpetuos homines 600, ad aquarum tuitionem.

De Cloacis.

Ponimus & *Cloacas* inter magnifica, & sordes has inter illos splendores, imo & sub terra thesauros ostendimus, & latentium quorundam operum moles, *Cloacæ* à Tarquinio Prisco Rege structæ, ad munditiem, sordesque omnes vel abluendas, vel evehendas: sed & ad sanitatem, quæ illam amat. Cloacæ operum omnium maximum: suffossis montibus, atque Urbe pensili, subterque navigata. Quid magni, si tam magnæ, ut vehem fœni onustam large transmitterent? Id enim non Plinius solum scripsit, sed & Strabo. Latitudinem Marlianus reperit 26 pedum; nec forsan minor altitudo. Fecit id Agrippa in Ædilitate, per meatus corrivatis 7 amnibus, cursuque præcipiti, torrentium modo, rapere omnia atque auferre coactis. Fuerunt enim 7 Cloacæ præcipuæ, tot quot sunt montes. Nam ex iis diffluebant ac derivabantur aquæ ac sordes, & in magnam unam confluebant. Quin enim plures minutæ fuerint, non ambigendum est; sed istæ tot fuere quasi flumina, & alveo grandiore, atque eæ per plana Urbis ferebantur.

Cloacarum firmitatem commendat Plinius, & causas concutientes 4 commemorat, quarum vel singulæ firmissima opera evertant; at non labefactant istud. Sunt pugna aquarum & copia intus: moles & columnæ vastæ, quæ per vias, & super illas, trahuntur: ruinæ variæ & pondera incidentium ædificiorum; denique validi

 validi

validi aliquot terræmotus. Quidni igitur firmum & rara duritie opus, quod omnibus resistit; & id per tot sæcula? Etsi tamen repararunt, aut fulserunt interim, quod omnino necesse fuit. Quàm sumptuosa autem illa reparatio, dicit apud Dionysium C. Aquilius qui scripsit, neglectis aliquando cloacis, & non defluentibus, Censores in earum instaurationem 100 talenta impendisse in redemptores. Ea sunt 600000 Philipp. Quid igitur & quanti paratio universa, si tanti in partibus reparatio?

De Trajani Ponte in Danubio.

A Tiberi ad Danubium magno saltu imus, ut ejus aquis sordes Cloacarum abluamus. Libet Pontem in Danubio memorare, quem Trajanus Imperator struxit; operum omnium fortasse arte & difficultate maximum, si non sumptu. Describit graphice Dio Cassius, & gratia sectori ejus Xiphilino esto, quod hanc partem non recedit. O quam pulchras valentesque ille alias! *Pilæ igitur*, inquit ille, *ejus sunt* 20, *è lapide secto & quadrato, quæ altitudinem habent* 150 *pedum, latitudinem* 60. *Distant inter se* 170 *pedes, fornicibus devinctæ.* (Grande hoc concamerationis spatium, nec efficiendum, nisi altitudo illa pilarum accessisset, & tarde ac lenta inclinatione fornix surrexisset. Ex hoc autem numero pilarum, & distantia earum, colligo & efficio, fluvii latitudinem 4770 pedum fuisse, id est, paulo minus unius milliaris.) *Quomodo autem non aliquis sumptum in istas pilas admiretur? quomodo non & destituendi firmandique modum? idque in flumine magno & vorticoso, & fundo ipso infido & limoso, nam nec avertere quidem cursum fluminis licuit ullo modo.*

Hæc de Operibus publicis.

Privatorum quædam Opera.

In Privatis Operibus duo nunc considero; *Domos*, & *Villas.*

De Domibus privatis.

Domus fuerunt in tam splendida & nitenti urbe, pro ipsa urbe, & ut pulchri corporis apta ac decora membra. Domus, dico, magnificæ, ornatæ, instructæ columnis, marmore, auro, statuis, & quidquid excogitare ambitio aut luxuria poterat. Sed eædem etiam latæ, patentes, amplæ, & præsertim magnatium virorum procerumque. Hinc Valerius cum indignatione ait: *Anguste se habitare nunc putat, cujus domus tantum patet, quantum Cincinnati rura patuerunt.* Quid domus? imo earum aliquod membrum, Cellaria, Piscinæ, Culina. Et Seneca increpat passim ædificia laxitatem magnarum urbium vincentia: habebant enim aulas æmulas urbium. Quod non nescivit Olympiodorus, qui scribit: *Quæque magnarum domuum omnia in se ipsa habet, quæcumque mediocris urbs possit continere, nempe Circum, Fora, Templa, Fontes, Balnea diversa.* Per *Fora*, puto intelligere hypæthra quædam & subdivalia, inter illas porticus, & statuis alio-

que

que ornatu, in fori faciem. Quid autem, si revera ibi judicia & forenses conventus? Fuere, & clientium, libertorum, servorum suorum, causas domi cognoscebant. Clientium autem magnus olim populus. Tales autem domus in tota Urbe fuerunt 1780. Insulæ vero (quæ distinctæ à domibus) 46602. Illarum longe minor numerus, ut quæ tanto gradiores, instructioresque essent, & propriæ virorum procerum.

Apparatus jam & instructio domorum admiranda. Columnas ingentes, è longinquis petitas, sive ex Ægyptis arenis, sive ex Africæ solitudinibus, disponebant in porticibus & capacibus cœnationibus. Callistus, Claudiani libertus, in una cœnatione habuit columnas 30, easque e Sudine lapide Germanico, cui ingens tunc pretium & novitas. Scaurus in atrio collocatas habuit maximas, atque adeo 38 pedum, Lucullæi marmoris. Vide hanc altitudinem, in uno atrio, quam multæ domus totæ vix æquant. Deinde parietes marmore inducebant, quod genus *Incrustationes* Latini, Græci μαρμαρώσεις dicunt. Id non aliud fuit, quàm marmor in tenues crustas sectum parieti imponere scite, & pro tectorio ei dare. Secandi ratio arena, & serra, in prætenui linea versante arenas, tractuque secante. Primum autem Romæ parietes crusta marmoris operuisse totius domus suæ,in Cœlio monte, Mamurram, Equitem Romanum, Præfectum fabrum Cæsaris, Plinius tradidit. Istæ marmorum crustæ sæpe picturatæ & variegatæ fuerunt, velut aliquod Musivum opus. Solebant præterea laquearia tota inaurare, quod passim scriptores & tradunt & damnant. Nec solum levi inductione, sed solido sæpe auro. Trabes nonnunquam auratas faciebant, sed cameras gemmatas & eboratas, ad splendorem & varietatem, ut quasi cœlum imitarentur,& (ut Arnobius loquitur) *sidereos evomant variata interstitione fulgores*. Longius hoc quoque producebant; ad parietes & columnas.

Sed alia hîc etiam & ingeniosa luxuria; nam lacunaria ista versatilia faciebant, & alia atque alia subinde facie convivas delectabant. En Privata ingenia & luxuriam; quid existimas Principes tentasse & fecisse? Nero Cæsar in vestibulo ædium suarum Colossum 120 pedum posuit. Hoc principium: deinde porticus triplices milliariæ, item stagnum, maris instar, circumseptum ædificiis ad urbium speciem. Rura insuper, arvis, atque vinetis, & pascuis, silvisque varia, cum multitudine omnis generis pecudum ac ferarum. In cæteris partibus cuncta auro lita, distincta gemmis unionumque conchis erant. Cœnationes laqueatæ tabulis eburneis versatilibus, ut flores; & fistulatis, ut unguenta, desuper spargerentur. Præcipua cœnationum rotunda, quæ perpetuo, diebus ac noctibus, vice Mundi circumagerentur. Omnia illa Capitolina, quæ & quanta fuerunt, nugæ & quisquiliæ visæ, præ uno membro aliquo Palatinæ domus.

Inter tecta & domos inclusæ aliquando silvæ, & intermixtæ veræ aves. Luci enim & arbusta in magnis istis ædibus erant, imo & super ædes. Seneca castigans & increpans, ut solet, suum ævum: *Pomaria*, inquit, *in summis turribus serunt, quorum silvæ in tectis ac domorum fastigiis nutant, inde ortis radicibus, quo improbe cacumina egissent.*

De Villis Romanorum.

De *Villis* hoc universe Strabo pronunciat: *In Villis velut more Persarum regias quasdam struunt.* Quid majus ampliusque in hanc rem dicam? Vis tamen specimen aliquod in una villa? Capitolinum audi: *Exstat Gordianorum villa, via Prænestina,* 200 *columnas uno peristylio habens, quarum* 50 *Carystiæ Claudianæ,* 50 *Sienitides.* 50 *Numidicæ pari mensura sunt. In qua Basilicæ centenariæ tres: cætera huic operi convenientia; & thermæ, quales, præter Urbem, nusquam in Orbe terrarum.* Sed nec Hadriani villam in Tiburtino ingero, cujus superbæ reliquiæ exstant. Quid tot aliarum in solo Latio, & circa Romam?

LIBER IV.

DE VIRTUTE ROMANA.

QUartus noster limes, de VIRIS & VIRTUTIBUS Romanorum. Plinii enunciatio est: *Gentium in toto Orbe præstantissima una, & in omni virtute, haud dubie Romana exstitit.* Quid homo Gothici sanguinis Cassiodorus? *Roma Virtutum omnium latissimum templum.* Profecto sedes suas per aliquot sæcula ibi habuere, nec injuria ipsi Romani templum struxere *Honori* pariter & *Virtuti.* Utramque colebant: sed & *Fortunam* etiam, id est, providentiam & fata ab alto, quæ incredibile est, quam presso nec tardanti pede secuta sint Virtutem. His duobus incrementa sua Roma debuit, his duobus statum suum & firmitatem. Nullum imperium mihi dabis, & tam magnum simul, & tam diuturnum. Nam (ut breviter & nervose Florus) *ad constituendum Romanum imperium Virtus & Fortuna contendisse videtur.* Sed amica contentio fuit, in qua tamen ipsa Virtus vicit. Habuit igitur Fortunam sive cœlitum illum favorem, sed habuit à causis, quas iidem cœlites per Virtutum gradus nexusque præstruxerunt. Ut id liqueat, videamus primum universe, qui *Viri* in imperio illo fuerint, & tum quæ *virtutes.*

DE ORDINIBUS IN POPULO ROMANO.

VIros conſidero dupliciter, & eos qui in Magiſtratu, Imperiis, Conſiliis, fuerunt, id eſt, *Capita Reipublicæ*; & parte altera, *minora* etiam *membra*, id eſt, Populum, & eos qui paruerunt. Utrique egregii, nec quibus alia gens facile, aut ex vero comparetur. Primores igitur illi in duplici diſcrimine ſunt, *Senatores*, *Equiteſque*.

De Senatoribus Romanis.

Senatores ſi inſpicias, qui proprie ſedebant ad clavum, proh Deus, quanta gravitas, ſapientia, majeſtas! Ut merito illum ordinem *Regum conſeſſum*, Cyneas legatus Pyrrhi Regis, vir nec mentis, nec oris egens, appellaverit. Profecto talis fuit, & nec ſub Principum imperio nimis degeneravit: etſi poſtea quidem diſceſſit ab illa ſua præſtantia, & ut grande ædificium, paulatim mole ſua deſedit, & mox ruit.

Erant autem in illo Senatu civium eximii, genere, cenſu, virtute. Nam hæc ſpectabant; nec temere viles aut ſordidos, (etſi plebeios interdum, quos magna virtus eveheret) inopes nunquam, & improbos raro admittebant: aut ſi tales, non tenebant. Cenſores enim legebant hunc Senatum, atque iidem per ſingula luſtra examinabant, ac relegebant; ſiquis loco eo indignus, aut ſi quid in privata etiam vita turpe ac maculoſum, notabant, & emovebant. Fiebat id ſilentio, & ſine accuſatione ulla, aut cauſæ apud judices dictione. Dumtaxat in recitando Senatu, quod publice & ſolenniter fiebat, nomen ejus præteribant, quem motum Senatu vellent. Ita cum in albo illo non eſſet, nec in Senatu cenſebatur. Cauſa quidem iis movendi ſemper erat, & hanc ſubſignabant, & volentibus edebant: ſed certare de ea lite nihil opus erat; judicium ſufficiebat; quod à tam gravibus viris, (nam primores fere Senatûs erant) bonum meruiſſe, laus & approbatio habebatur; culpa & damnatio, triſte. Rarenter, & vix eveniſſe legimus, ut Cenſores illi per affectum judicarint. Nam voces ſtatim omnium damnaſſent, & exagitaſſent. Et fac tamen ſemel iterumque eveniſſe, quid magni mali præ magno illo bono erit? Non enim alia pœna quàm ignominia, facile aut contemnenda, aut eluenda, qui publica judicia aut teſtimonia pro ſe haberet. Denique alii Cenſores mox reponebant. Nam & hoc ſciendum, non in gravibus & grandibus peccatis hanc cenſuram interveniſſe; ea enim legibus & judiciis ſervabantur: ſed minoribus delictis, aut domeſticis flagitiis; à quibus vacare & caſtos eſſe primos illos ordines maxime volebant, & quorum vita erat in exemplum.

Initio

Initio à Romulo centum facti, & *Patres*, iidemque *Senatores*, vel à cura, vel ab ætate dicti. Postea ad 300 crevere, & in libera Republica sic mansere usque ad Livium Drusum: is in Tribunatu, cum opes Senatus vellet extollere, eosdem judiciis etiam proponere, numerum auxit, & ad 600 fecit. Mansisse ita ad Cæsarem videtur: qui per bella civilia, non opes solum, sed honores multis largiturus, amplificavit, & vel ad 1000 allegit. Displicuit Augusto, & magna cura, atque iterata aliquoties recensione, purgavit, & denique ad modum veterem, id est, 600, redegit. Qui sane satis amplus numerus, etsi in amplo illo imperio: atque ex his plerique non solum consiliis publicis semper adhibebantur, sed etiam in provincias, ad imperia, aut exercitus mittebantur. Itaque Curia hæc velut promptuarium erat, è quo statim Princeps caperet viros, ad omnia civilia aut militaria munia aptos, & suffecturos. Et hoc aspectu tenuerunt Senatum, grande vel unicum fulcrum illius Principatus.

Elogia de Senatu res & veritas multis dictavit. In Cicerone leges, *Senatum principium salutis, publicæque mentis*. In Ammiano, *Asylum Mundi totius*. In Cassiodoro, *Gloriosum Senatum morumque lumina*. In Petronio, *Recti bonique præceptorum*. Jam in Tacito etiam dicitur, *Caput imperii & decora omnium provinciarum*. Quia jam sub Principibus ex omni regione capiebantur Senatores: & ut ditissimi honestissimique provincialium civitate donabantur, Equites fiebant, ita & mox Senatores. Utile inventum, & ad populos sub unum imperium firmiter colligandos. Symmachus ea causa scripsit: *Pars melior humani generis Senatus*. Cassiodorus: *Quidquid humani generis floris est, habere Curiam*.

De Equitibus Romanis.

Alter ordo est *Equitum*, qui & ipsi ab illis notis tribus probati, aut probandi. Nam de genere, multi erant à Senatoribus & Patribus orti, & certe liberti aut libertini, nec si censum haberent (nisi beneficio Imperatorum) in hunc ordinem veniebant. Erant tamen ex ingenuis multi, & fere omnes, qui censum equestrem haberent. Is fuit 400, id est, 10000 Philippicorum. Igitur latus hic ordo & amplus, ut tunc opes plerisque amplæ erant; & ideo quod ad vitam, coercendus aut recidendus. Apud veteres id quoque Censores fecere, sive in Transvectione, (quæ tamen eorum modo erat, qui equum publicum habebant) sive per lustra singula, cum ordines digerebant, & recognoscebant. Nam hic quoque album erat, sive tabulæ, & recitabant, quique primus ex iis nominatus, *Princeps juventutis* dicebatur, plane ut qui in Senatu primus recitatus, *Princeps* item *Senatus*, augusto titulo dicebatur. Ideo autem dictus *Princeps juventutis*, quod olim & prima Republica, pauci Equites, nec fere nisi filii Senatorum. Crevit

paulatim largiter numerus, & magnam civitatis aut civium partem comprehendit, sed nomen tamen *juvenum* mansit. Sed & *Juvenes* antiquis dicti ad annum 45. Hæc causa & origo nominis.

Sed Senatorum filii, an non Senatorii, aut Senatores? Cave erres; distinctione hic opus. Aliud *Senatus*, si Principum tempora aspicias; aliud *Senatorius ordo*. Ille certo numero stetit, ut diximus, & intra 600, sub Augusto quidem: at iste latius patuit, & juvenes quoque ac Senatorum filii, sed & alii Equites in eum cooptati. Censebantur enim Senatorii, qui jus lati clavi à Principe impetrassent, id est, insigne ipsum Senatorum: & in Senatum quidem ii veniebant, sed sententiæ jus fuisse non putabis. Institutum enim Augusti fuit, qui liberis Senatorum, quo celerius Reipublicæ assuescerent, protinus à virili toga latum clavum induere, & Curiæ interesse permisit. Hoc ita Augustus, sed restricte in Senatorum liberis: postea Caligula etiam aliis quibusdam Equitibus permisit. Permisit dico, aliique Principes; sed sic, ut ab ipsis peteretur. Hi ipsi *Senatores* interdum dicuntur. Atque isti sunt, qui *Illustres Equites* à Tacito, atque aliis, ad discrimen appellantur; & palam ipse Tacitus cum Senatoribus jungit, aut coæquat.

Genus Equitum diffusum, & in vario discrimine: Erant qui *Equo publico*, erant qui *Judices*, erant communi nomine *Equites* dicti. Illi qui equo publico, tempore Augusti, ad 5000 erant, aut supra. Qui in Judicibus, haud pauciores; imo plures, ex Plinii testimonio. Classis reliqua eorum, qui immunes. Atque isti Equites, quos Perseus Rex apud Livium ita laudat & insignit: *Equites enim illis, Principes juventutis, Equites seminarium Senatus, inde lectos in Patrum numerum, Consules, inde Imperatores, creant.*

De Plebe Romana.

Superest tertius ordo, *Plebis*. Is triplici discrimine fuit, *Ingenui*, *Libertini*, *Liberti*. Et in militia discrimen erat ab hoc genere: itemque à censu, sicut & in aliis muniis, siqua publice subirent. Vita etiam censuræ permissa: quam tamen neglexisse postea (malo sane publico) Imperatores constat, contentos duplicem illum priorem ordinem recognosse.

Isti ordines statim poterant agnosci in occursu ab habitu. Nam etsi toga communis omnium civium vestis esset, tamen discrimina alia, ab aliis notis. Ut solis Senatoribus, aut istis quasi Senatoribus, jus lati clavi gestandi erat: quod non aliud, quam velut bullæ è purpura, & capita clavorum intexta aut inserta. Equitibus autem aurei annuli, qui hunc ordinem à plebe distinguebant. Qui his duabus notis carebant, Plebs erant.

DE VIRTUTE ROMANA MILITARI.

JAM, quod propositum, de *Virtutibus*, addamus: nam Viros illos laudabiles, vel potius admirabiles, fuisse dico, idque à duplici virtute, *Militari*, vel *Civili*. Illam in Imperio & Republica jure considero, ut tutelam ejus, imo augmentum, sine qua frustra aliquis status aut commune se jactet. Præmitto igitur, & duo hic in Romanis miror, *Justitiam*, & *Fortitudinem*.

Justitia Romanorum.

Quod ad *Justitiam*, nescio an alia gens consideratius, & causis in rationis trutina libratis, bellum susceperit, quam ista. Nam plerique aut Regum suorum arbitrio arma induerunt, aut primorum aliquot in Republica, qui decernebant. Hic aliter: & nec Senatui, nec populo toti plenum hoc jus, nisi cognitio & judicatio Sacerdotum publicorum intervenisset, quos *Feciales* dicebant. Eorum arbitrio sumpta arma, posita arma: religio, non solum justitia, ea temperabat. Etenim semper duplici hoc titulo usi Romani, ut aut pro *Salute* arma caperent, aut pro *Fide*. Pro illa, ubi res eorum ageretur: pro ista, ubi Sociorum. Et hoc de Sociis late patuit; & est illa catena, quæ bella & terras conjunxit aut subjunxit.

Vis pauca exempla? Ecce Carthaginenses validi sunt, imo æmuli virium Romanarum; obstant crescentibus. Quid fit? removendus ille obex; & causam ipsi præbebunt. Siciliam invadunt, & Mamertinos: isti ad Romanos appellant, ut Socios. Veniunt, subveniunt, pellunt eos, & quæsita jam ipsis ad se trahunt. Fit pax, & Sardinia etiam Siciliæ adjicitur, concessu ipsorum. Vides augmentum? Sed enim jam sistimus, & illi manent ac florent? non: in Hispaniam mala cupidine transcendant, arma etiam Saguntinis inferant, & amicum sociumque Romanis oppidum evertant. Bellum ergo iterum justum: quo fine, & fructu? Victi illi, & in Africam compulsi: Hispania aucti Romani. At enim Græcia & Macedonia jam desunt. Vis juste dari? Philippus Macedo fœdus cum Annibale coibit, Romanos & Græcos simul lacesset; atque isti eos advocabunt, & sibi primum, mox & Macedonibus, imponent. Talia in Antiocho, Jugurtha, ipso Mithridate; qui sceleratissimus non Regum, sed mortalium, quid de fraude vel injustitia Romanorum quæritur? ut volet; ipse ab illis & nobis audiet, *Væ victis*. Non dicam, pereant; sed tamen pareant, qui vincere aut quiescere non potuerunt. Hæc de antiquis saltem Romanis, & ante Syllam civili bello nondum infectis, &, ut sic loquar, decoloratis. Pleraque omnia tunc pura & justa. At postea degenerarunt, avaritia, & ambitio quædam dictarunt, ad hoc rationis examen non dirigenda.

Punivit

Punivit quidem populos quosdam, fateor, sed non nisi imperio suo, & stipendiario illo jugo. Quam multis autem & pacem indulsit, si uti ea potuissent, aut voluissent. Ipsis Carthaginensibus bis; Philippo etiam, & Antiocho, & Tigrani: atque hos omnes cum pellere terris in eorum manu esset, contenti fuerunt restringere, &, ut imagine hac utar, pennas incidere, ne temere & lascive sic evolarent.

Fortitudo Romanorum.

De *Fortitudine* Romanorum *militari*, satis in libris, *De Militia Romana*, dictum: sed argumenti & contextus etiam causa, pauca dicantur. Igitur & *Milites* & *Duces* præstantissimi huic genti fuerunt, & in omni ævo admirandi.

Vide mihi legiones illas, quæ binæ junctæ, & cum totidem Sociis, equitatu autem 1800 ad quæcumque bella & hostem ibant: ibant, sed & victrices fere redibant. Tota autem ea manus quid amplius, quam 18000 erat? Jam si 10 legiones jungeres, quod item factum, quid nisi Hirtii verbis dicam, *Vel Cœlum diruere eas potuisse?* Ecce gigantes novos, & veros, nec è fabulis petitos.

An non tales ibi videbuntur, si in *Opere*, *Agmine*, *Acie*, paulisper eos consideras? Quod ad *Opus*, fodiebant, vallum & fossas ducebant, aggerem, testudines, turres struebant: omnia celeriter & industrie, ut fidem superet, homines paucos tanta in tantulo tempore struxisse. Jam de *Agmine*, quid istud est? arma omnia peditem ferre, cibos semestres aut menstruos, utensilia, & septenos, aut plures interdum vallos. Jumentum ita oneres, negabis par futurum. Adde ordinem in toto incessu, à signis non discedere pari passu omnes ambulare, decurrere etiam, cum opus esset, in plenis armis. Denique in *Acie* quis par Romano miles erit? nam non fuisse quidem, id constat. Cum omnibus gentibus, omni genere armorum aut pugnarum concurrerunt, ecquando victi sunt ignavia sua aut culpa?

Quid autem mirandum tales fuisse, apud quos, à prima adolescentia, vita omnis in armis, honos omnis ab armis erat? Nemo honestiorum ad Rempublicam accedere, aut magistratus capere poterat, nisi decem annos militasset. Et pedestris ipsa militia, 20 annorum decursu denique terminabatur. In ipsa pace, an quietem egisse censes? exercitia assidua erant, vel in campo illo Martio, vel in ipsis alibi castris: Quis jam nescit locum in acie, vel in præsidio militi servandum, vel moriendum fuisse? Leviter ab eo discedere, a vita erat abire, ut severitas; quidem volebat saluberrimæ illius disciplinæ. Inde contemptus periculorum & hostium; & in medios illos vel exiguam manum si Dux misisset, quis non sine cunctatione parebat? Exemplum illustre & notum, sed admirabile est, in bello Punico primo, Consul parum provide suos ductans,

ductans, in locum humiliorem, & collibus undique cinctum, insinuarat. Hostes aditus insederant, & sine ferro confectum bellum videbatur. Ibi Tribunus consilium suppeditat. *Consul*, inquit, *vides tu collem illum, ab hostibus nondum occupatum; illuc censeo mittendam cohortem aliquam militum, si te & alios vis salvos. Hostes enim in illos irruent: interea tu, si vir es, te explicabis, & pervades.* Placuit Consuli sententia, & vera erat: nec de militis obedientia dubitabat, sed, *Ducem*, inquit, *illum, qui in certam mortem eat, quem habemus? Me ipsum*, ait ille. Dictum, factum, 400 ad moriendum proficiscuntur, & cadunt; solus Tribunus inter mortuos, semimortuus ipse, repertus convaluit, & saepe utilem operam Reipublicæ postea navavit. Viros istos tali robore, tali obedientia alibi mihi dabis? Sed hæc infelix audacia; ista lætior, cum Punico item bello, fugientem eorum classem pedites, in mare se conjicientes & natantes, quasi in camporum firmitate aggressi, manibus suis in litus retraxerunt.

In Hirtio legimus, Numidarum copias in coronæ modum Cæsaris copias cinxisse; Cæsariani interim non amplius tres aut quatuor milites veterani si se convertissent, & pila viribus contorta in Numidas infestos conjecissent, amplius 2000 ad unum terga vertebant. Vis nominatim & L. Sicinium aliquem citem, qui centies & vicies in aciem descendit; 36 spolia ex hostibus retulit; 8 ex provocatione occidit; 45 vulnera pectore excepit, tergo nullum? Vis Cassium Scævam? qui in Britannico litore cum 4 commilitonibus in scopulo relictus, cum mari abeunte hostibus adire fas esset, atque ii confertim irruerent, desertus ab aliis, solus impetum sustinuit, multos dejecit aut occidit, denique, armis suis onustus, solo scuto abjecto, in mare se dedit, & ad Cæsarem natavit. Qui stupens ad viri virtutem, laudare parabat: at ille disciplinæ memor, *Da veniam, Imperator*, inquit, *quod scutum reliqui.* O dictum factis illis ipsis laudabilius! & quid à tali animo, non enim jam manibus solum, non speres? Idem Pompeiano bello, ad Dyrrhachium castello præpositus, solus in porta consistens, contra Romanas legiones & copias id servavit. Quo tempore ei oculus effossus, humeri trajecti, & femur, scutum 130 ictibus perforatum.

Sed in victoria quid milites istos miror? magis pene in clade & morte. Miles in Cannensi prælio cum vulneribus confectus, manus etiam mutilatus esset, spoliare se conantis Numidæ cervicem brachiis invadens, ad se traxit, & naribus atque auribus corrosis (cum alia tela non essent, aut tractare non posset) deforme cadaver aspicientibus reliquit. De uno loquor: sed quinam illi viri fuerunt, quos ab elephantis obrutos Pyrrhi prælio accepimus? omnium vulnera in pectore, quidam hostibus suis immortui, omnium in manibus enses, & relictæ in vultibus minæ, & in ipsa morte ira vivebat.

Unde mihi iſtos, non homines, ſed Martes, ſi fas dicere, & nec victos quidem, nec vincendos?

Tranſeo ad *Duces:* etſi quomodo non iſti omnes Duces? Sed tamen Duces etiam aliqui eximii: ut parens ille Romulus; ut M. Furius Camillus, ut L. Papyrius Curſor, quem vel Alexandro parem (ſi veniſſet) Livius opponit; ut M. Claudius Marcellus, igneo impetu; ut Q. Fabius Maximus, ſalubri tarditate; ut P. Scipio Africanus prior, divina felicitate; & poſterior, divina virtute; ut denique (nam omnes quis numeret?) caput & culmen C. Julius Cæſar; fortuna, peritia, magnitudine, & celeritate animi ſuper omnes, qui arma tractarunt, aut tractabunt. Sed concludimus, ſi poſt Cæſarem tamen unum addidero, alterius Cæſaris, ô fidum utilemque miniſtrum! Is M. Vipſanius Agrippa fuit, vir bello providus & fortis, & vel cauſa victoriarum Auguſti, vel inſtrumentum.

DE VIRTUTE ROMANA CIVILI.

AD *Civilem* jam Virtutem venio, domi & in toga ſpectandam. Eam per omnes ordines diffuſam triplicem maxime reperio, *Pietatem, Probitatem, Conſtantiam.*

Pietas Romanorum.

Pietas eminet, vana illa quidem, dixerit aliquis, ſed tamen in aſſiduo Numinis cultu (pro ipſorum captu) reverenter occupata. Incredibile eſt, quàm omnia publice & privatim religioſe cœpta, adminiſtrata, patrata: ut totam civitatem ſacris operatam & addictam poſſis arbitrari. Atque id ſecundum vetera inſtituta, nec novitati aut mutationi dabant hic locum. Miratur hoc Dionyſius, quod quamquam 600 nationes pene in urbem confluxerant, quibus ſingulis ſacra ſua rituſque patrii eſſent, tamen nulla peregrina religio publice ſuſcepta: aut, ſi qua oraculorum monitu introducta, ea ipſa Romano more culta, abdicatis fœdis vanitatibus, aut fabularum portentis. Quo valde faciebat, quod ſacris præeſſent, & ipſi non interpretarentur ſolum, ſed adminiſtrarent, viri in Republica primi, honoribus honeſti, qui & exemplo plebem eo trahebant, & prudentia ac maturitate, nova aut nocitura ſpernebant.

Probitas Romanorum.

A Pietate tamquam capite, alia virtutum membra, & imprimis illa *Probitas,* id eſt, animi morumque integritas quædam & candor. Sine fuco, ſine fallacia, diu mores illi fuerunt, & in proverbium abierat, *Homo Romani ingenii, Romana ſimplicitas,* & *Romana fides.* Et ſane diſſerere alibi de virtute crebrum, hic uſurpare. Nec ſolum in pace, ſed etiam in bello candoris fuit, & raro aſtu aut fraudibus victoria quæſita aut parta. Tangit graviter M.

Aquilium

Aquilium Imperatorem Annæus Florus, quod is bello Asiatico veneno fontes miscuisset, ad deditionem quarumdam urbium. Jam & huic Probitati *Abstinentia*, sive etiam *Continentia*, adhærent: non fœde aut injuste appetere alienum, parce & modice suo uti. Et illius quidem (*Abstinentiæ*, dico) quàm pulcrum, nec jactatum nimis, exemplum fuit ab universo populo editum Mariana & Cinnana proscriptione? Quippe cum ii hostium suorum penates, omnibus opibus aut elegantiis plenos, vulgi manibus diripiendos ultro objecissent; nemo inventus est, nemo qui justam hanc prædam è civibus peteret, caperetve: sed tamquam à sacris ædibus omnes manus & cupidinem abstinuerunt. Et quid in toga miramur hæc exempla, cum in ipso bello, & inter hostes, prædæ abstinentia fuerit? quæ non nisi permissu capta, & sic quoque tota ad Duces relata.

Jam in *Continentia* quàm laudabiles, si cibum, vestem, aut externa alia, spectes? Plinium & Plautum testes habemus, populum Romanum per aliquot sæcula non nisi farre & pulte vulgo usum. Quod si nuptiæ, festivitas, aut lætius convivium esset, pro magno pauci pisciculi, & porcinæ aliquot pondo in opsonium adjecta. Similis in vestibus frugalitas, & omnium, ditium pauperumque, è lana; atque ea nativi & albidi coloris, nisi quod ditiorum splendentes paulo magis & nitidæ à fullonia arte essent. Nam Sericum, Holosericum, & ipsa Lintea, sero innotuerunt, & timide etiam in usum paucorum venerunt.

Adderem *Modestiæ* laudem, & reverentem Senatus & Procerum suorum populum, nisi Tribuniciæ interdum procellæ turbassent: quam ego pestem unicam & labem reperio in re Romana.

Constantia Romanorum.

Tertia Virtus *Constantia*: ô vere admiranda in Romana gente! Nam in aliis pares alios habeant, in hac nec comparandos. Mucius ille olim oraculum protulit: *Et facere, & pati fortia, Romanum est*, quasi hæc in malis magnis patientia (quæ ipsa est Constantia) peculiaris eorum virtus esset. Et tu dispice: Umquamne unum aliquem hominem plus invicti & obnixi in omnes casus roboris ostendisse, quam populum hunc universum? Exemplis doceatur.

Pyrrhus ille in Italiam venerat, cum novi generis gentisque copiis, & in primis inaudito terrore elephantum: victor grandibus præliis erat, Italiam percurrerat, & a trigesimo pene lapide Romam prospexerat. Quid Romani? trepidant scilicet, & pacem petunt? Imo oblatam ultro respuunt, & legatos ejus cum animoso hoc responso dimittunt: *Pyrrhus Italia cum copiis excedito; ubi excesserit, de pace, si volet, agito. Ni excesserit, arma & viros, & aciem exspectato.* Qui animi isti aut verba sunt? non contra Pyrrhum, sed contra Fortunam, & pene dixerim, cœlum dimicantium.

tium. Etsi mos ille eorum semper in bellis, notandus & admirandus, nihil largiri armato hosti: sed ubi ea posita, & obsequiosi aut flexibiles illi visi, tunc denique conditiones ferre & æquas, & sæpe nec exspectatas. Generosorum hoc est, ire in adversos, parcere aut absistere jam abjectis. Fructus autem Constantiæ in Pyrrhum fuit, sponte Italia illum fugere, ipsos ejus dominos & potentes fieri.

Vide & bellum Punicum primum: quot ibi clades: raræ & novæ? Rara in Africa ipsa, cum Atilius Regulus Consul, cum toto exercitu oppressus, & vivus venisset in hostium potestatem. Novæ aliquot in mari, cujus antea expertes & imperiti, classes plures vel naufragio vel pugna amiserant. Polybius scribit, & ipse miratur, 700 quinqueremes eo bello amissas fuisse. Satis autem jacturam eam æstimas aut intelligis? in quaque earum 300 remiges ferme erant, milites 190. Hos tu si una computas & colligis, videbis paulo minus 300000 hominum periisse. Et qui Romani tunc erant? nec tota etiam Italia plene adhuc potiti. O constantiam, ô robur, ô Fortunam! nam hæc se vertit, & puduit tam merentibus non se dare.

Jam ad mortem plaga, Punicum bellum tertium. Annibal, summus Ducum, in Italiam ipsam venit, sylvam exscindere parat, in qua stabulabantur Martiales isti lupi; & pene fecit. Tribus præliis magnis victor, & ultimo illo Cannensi, quid nisi totum virilem sanguinem Romanum exhausit? Heu cladem! 50000 selectorum militum una cum altero Consulum, cum tot Tribunis & Centurionibus, tot Senatoribus & Equitibus Romanis jacent. Et tu Roma adhuc spiras? quibus freta? senibus, puerisq; & fœminis, quos solos pene reliquos habes? Spiro, inquit, imo alta & vetera spiro. De pace nulla mentio: veniat vel Romam Annibal, arx & Capitolium nos defendet, & è cinere isto suscitabuntur rerum domini Romani. O insanas, dixerit aliquis, cogitationes! Sed res & exitus docuit, constantes & felices. *Magna populi Romani fortuna,* (ait Florus) *sed semper in malis major, resurrexit*: & pueros, senes; vinctos, servos, armavit, & imbecillo aut fœdo exercitu victrices illas copias profligavit. Plura possim; nam in omni Romana historia propria hujus virtutis exempla sunt: sed quid majus istis potest?

Jam quid admirabilius, quam, cum Varro auctor & causa tantæ cladis (nec falso) diceretur, Romam redeunti obviam itum ab omni ordine & populo, & gratias actas, quod de Republica non desperasset? Si qua alia hæc plebs fuisset, itane gratias funesto & furiali capiti? supra, saxa, tela, nec unam mortem. Illi fecerunt: quia hoc quoq; Constantiæ proprium, mederi malis potius, quam irasci.

Est & minutum aliud. Nam cum Urbem ipsam Annibal obsideret, & terreret, fundus in quo castra ejus posita, publice sub hasta Romæ veniit; nec minoris quam si liber, nec insessus ipse, aut Italia, ab hoste essent. Item alterum: eodem illo tempore, cum ad unam portam Annibal pugnaret & invaderet, altera militem &

auxilia in Hiſpaniam emiſerunt. Fiducia hæc humana non fuit; à Deo inſpirante Venit.

OBJECTIONES
Contra Probitatem Romanam.

De candore & fide Romanorum multa ſunt dicta: ſed proh ſancta Fides! quæ legimus alibi & videmus contra tuum numen aut nomen admiſſa? Caucæi, populus Hiſpaniæ ſatis potens & notus fuit, qui, cum pares Romanorum armis & violentiæ non eſſent, legatos ſupplices in caſtra ad Lucullum Imperatorem miſerunt, pacem & fœdus quacumque lege facturos. Ille obſides imperat, & argenti ſtatim talenta 100 (id eſt, 60000 Philippæorum) equites auxiliares certo numero. Omnia fiunt ſedulo & obnoxie. Imperat tum amplius, ut 2000 militum in urbem ſuam accipiant, præſidii cauſa. Id quoque factum. Sed illis occulto mandatum, ut muros portaſq; occuparent: atque ita Lucullus reliquum exercitum induxit, & tuba ſignum datum, ut ſine diſcrimine, ſenes, pueri, viri, fœminæ, interficerentur. Ita oppidum direptum, deletum, ipſa 20000 hominum per ſummum ſcelus interempta. O candorem! ô ſimplicitatem!

Ecce aliam in eadem Hiſpania ſimilem. Sulpicius Galba Luſitaniam hoſtiliter ingreſſus vaſtabat. Mirantibus illis, nec cauſæ aut culpæ ſatis conſciis, legatos mittunt, fœdera priora renovant: illo recipiente, & ultro miſerante, quod ſic affligerentur. *Sed,* inquit, *egeſtas vos impulit prædas agere, & belli ſpeciem præbere: medebor. Tripartito vos dividam, & in agro ac ſolo pingui collocabo, ubi reliquum beati ac tuti agatis. Venite cum uxoribus, cum liberis, in talem vallem; talis illa pars, aſſignabo.* Venerunt miſeri læti ac ſecuri, & in triplici regione diſtincti; ad quorum primos cum acceſſiſſet, arma ponere quaſi amicos ſocioſque juſſit; & iis poſitis, milites immiſit, & fidem ac Deos implorantes, ad unum omnes occidit. Idem alteris, tertiiſque celeriter factum, & priuſquam fama prioris facinoris ad eos veniſſet. Vide, ſi tale aliquid infidum & barbarum in ulla barbarie factum. Vis antiquiora? accipe. Auſonum gens in Italia fuit, uno tempore, nullo ſatis certo crimine, exciſa. Livius ipſe narrat, ſuſpectos & delatos à paucis, quaſi deficere ad Samnites vellent: præventos autem à Romanis, qui occulte ſubmiſſis militibus, quibuſdam & togatis, portas trium oppidorum occuparunt, & eadem hora, cædibus promiſcue factis, urbes & gentem deleverunt.

Contra Abstinentiam Romanorum.

Jam quæ, aut ubi *Abstinentia?* Romæ & inter cives fortasse? credo, & ex veteri dicto, *Corvus corvo oculum non eruit.* Sed an eadem in Provinciis, & ubi occasio, aut facultas peccandi? O Dii Deæque, (si fas sic exclamare) quæ illic occulta aut aperta furta, libidines, nundinationes, raptus? Poëtæ Harpyias aliquas finxerunt, quæ contactu unguibus omnia diriperent, aut fœdarent: in re isti Romanorum Præsides fuerunt. Optimus & bellissimus quisque ita se gerebat, ut bella omnia domum auferret. Demades olim dictitare solitus, cum ad tribunal aut magistratum iret, ad auream messem se ire: mihi crede, isti ibant, & Colchos quisque Jason sibi spondebat. Legisti tu Ciceronis illa de uno Verre? Pleraque talia in aliis, & miseri Provinciales non nisi præda & spolium Præsidibus suis erant. Quod si in pace talia, per bellum & arma quid suspicamur fuisse? Dabo exempla.

L. Sylla in Asia, cum communiter 20000 Talentum exegisset, privatim edixit, ut hospes militi, apud se divertenti, 16 drachmas in diem daret; cœnam insuper ipsi, & sodalibus quot vocasset; Centurio autem acciperet in diem 500 drachmas, id est, 50 Philippæos, vestem præterea duplicem, domesticam & forensem. Hæc Sylla, inquies, homo nequam, & natus ad disciplinam militarem dissolvendam. Bene est; accipio excusationem. Quid ergo L.Paulus qui Macedoniam vicit, inter optimos civium? Destinatum ei, Epirum totam diripere, & in prædam militibus dare, quia cum Perseo Rege sensissent. Quid facit? Centuriones submittit, per speciem deliberandi, decem primos evocat, ut consilio & ducibus spoliet: ô candidum factum! Milites deinde immittit; diripit, cædit: ô clemens abstinensque factum! Sed pulcherrima clausula, tot millia capitum abducta: nec finis, in miseros muros & tecta sævitum, & dirui ea jussa.

In vicina Græcia quid Hortensius Prætor patravit? Legati Abderitæ in ipsa Roma audiantur: Flentes ante Curiam, querentesque oppidum suum ab Hortensio expugnatum direptumq; esse. Causam excidii fuisse, quod cum 100000 denarium (id est, 10000 Philipp.) & tritici 50000 modium imperaret, spatium petierant, ut de ea re ad Hostilium Consulum, & Romam legatos mitterent. Vix dum ad Consulem se pervenisse, & audisse oppidum expugnatum, principes securi percussos, sub corona cæteros veniisse. In ipsa Italia, Locrorum oppido, Q. Pleminius, legatus Scipionis Africani, cum milite præfuit. Sed quomodo? In corpora, in liberos, in conjuges, infandæ contumeliæ editæ.

Et quid ego Consules, Prætores, Legatos, nomino aut conquiro? Ecce pusillus unus Præfectus Equitum, titulo tenus, Scaptius, cum

pecuniam deberi ſibi à Salaminiis diceret, illi ad Senatum appellarent, ejuſq; conſultum; homo probus & juſtus, 50 Equites ab Appio Conſule impetrat, incluſum in Curia Senatum habet in multos dies, adeo ut interierint nonnulli fame. Quid plura dabo? Claudat mihi Polybius teſtium agmen: qui ſcribit, Scipionem, capta Carthagine nova, omnes obvios occidi juſſiſſe, nec ut ulli parcerent. Tum addit, ſolennem hunc morem Romanis fuiſſe: *Videntur enim*, inquit, *terroris gratia hoc illi facere. Itaque frequenter videre eſt, quando Romani civitates capiunt, non homines modo occidi, ſed etiam canes diſſecari, & aliarum animantium membra truncari.*

Contra Continentiam Romanam.

Continentiam, & frugalitatem veterum illorum Romanorum, ſed plane veterum, ſi laudas, ego ſuccino, & Fabricios, Curios, Quinctios, tecum miror. Sin longius trahis; ut non ego, lectio & obſervatio tacite refellent. Quid? leges illæ ſumptuariæ ab antiquo latæ, & ſub bellum Punicum ſecundum, non oſtendunt morbos in ea parte fuiſſe, cum ad publica hæc remedia decurrendum? ipſæ cœnæ & lautitiæ quæ narrantur, non id clamant? Reminiſcere Pontificæ illius cœnæ apud Macrobium, ubi incognita & nobis quærenda ciborum genera. Reminiſcere & Salluſtii verborum de Metello, Proconſule in Hiſpania: conſidera cœnaculi apparatum, cœnantis habitum aut honores, cœnæ ipſius exotica fercula; quis ganeonum & lurconum poſſit vel auſit imitari? Quis noſtrum hodie aves aut feras trans mare, cœnæ cauſa, conquirit? Atqui olim non Metellus ſolum aliquis, ſed jam vulgus lautiorum. Seneca, acer ille talium quæſitor & cenſor: *Non eſt neceſſe*, (inquit, ad ſæculi ſui mores) *omne perſcrutari profundum ac ſtrage animantium ventrem onerare, nec conchylia ultimi maris ex ignoto litore eruere. Dii Deæque iſtos perdant, quorum luxuria tam invidioſi imperii fines tranſcendit. Ultra Phaſim capi volunt quod ambitioſam popinam inſtruat; nec piget à Parthis, à quibus pœnas nondum repetiimus, aves petere.* Quid Latinus Pacatus in Panegyrico? Laudat Theodoſium Principem, quod nihil tunc opus eſſet ad penum regiam flagitare remotorum litorum piſcem, peregrini aëris volucrem, alieni temporis florem. Et tum addit imaginem prioris ſæculi: *Nam delicati illi ac fluentes, & quales ſæpe tulit Reſpublica, parum ſe lautos putabant, niſi luxuria vertiſſet annum, niſi hibernæ poculis roſæ innataſſent, niſi æſtiva in gemmis capacibus glacie Falerna fregiſſent. Horum gulæ anguſtus erat Orbis noſter: namque appoſitas dapes non ſapore, ſed ſumptu æſtimantes, illis demum cibis acquieſcebant, quos extremus oriens, aut poſitus extra Romanum Colchus imperium, aut famoſa naufragiis maria miſiſſent.* Ecce vitia & prodigioſum luxum, omnia faſtidientem, niſi remota & ſumptuoſa.

Sed

Sed inferioris tantum illa ævi? imo vero à bello Punico secundo aut circa: cum ecce Cato Censorius publice questus, *Non posse salvam esse urbem, in qua piscis pluris, quàm bos, veniret.* At ego dico, pluris quam decem boves, veniisse unum piscem; piscem? pisculum, dico. Mulli in quo tunc pretio? Putantur fuisse, quos *Barbos* hodie, aut *Regulos marinos* vocamus. Sed quicquid fuit, pisciculus; & vix 5 aut 6 librarum. O non delicias, sed insanias! unum ex iis 5,6,8,10, millibus HS reperio emptum. Tiberios Cæsar mullum sibi missum 4 pondo & selibrarum venire jussit, quem P. Octavius 5000 HS, id est, 125 Philippæis emit. Asinius Celer è Consularibus, hoc pisce prodigus, unum mercatus est 8000, hoc est, 200 Philipp. Tiberius graviter questus est, tres mullos 30000 nummum veniisse. Si numeri recti, certum est, excessisse, & singulos 250 Philippicis stetisse.

De Apicio res nota est, hominem perditæ gulæ fuisse; de quo, ut alia sileantur, mors sola judicabit, quam Senecæ verbis dicam. *Cum HS millies* (duo milliones & semis) *in culinam congessisset, ære alieno oppressus, rationes suas tunc primum coactus inspexit. Superfuturum sibi HS centies computavit, & velut in ultima fame victurus, veneno vitam finivit:* Quam luxuriam, & quam effusam vitam privati hominis hanc fuisse putamus, cui centies HS (id est, 250000 Philippæorum) paupertas & desperatio fuit?

Sed hunc omitto, & duos eodem nomine alios, qui in exemplar & nomen transierunt hujus vitii. Claudium Æsopum addamus, Histrionem. De eo Plinius: *Maxime insignis est in hac memoria Clodii Æsopi tragici Histrionis patina, 600 HS taxata,* (15000 Philippæorum) *in qua posuit aves, cantu aliquo aut sermone humano vocales, millibus sex singulas coemptas, nulla alia inductus voluptate, nisi ut in his imitationem hominis manderet.* Atque iste etiam fuit (alii ad ejus filium referunt) qui margaritas sorbere solitus aceto solutas.

Sed quod ad illos gulones, de M. Antonii & Cleopatræ sponsione non meministi, cum hæc se centies HS una cœna diceret absumpturam? Ille negare, & rem ἀδύνατον censere: ad summum, judex & sculna captus Munatius Plancus. Res non differtur, sequenti die illa cœnam apparat pollucibilem, siquis umquam, & deniq; ut Cleopatra, ut Ægypti Regina. Nihil mirari Antonius, & calculos ad extremum poscere: cum illa arridens, *Unum,* inquit, *ferculum rem confecerit.* Et simul ex composito, illata phiala acris aceti plena, unionem, quem aure dextra gestabat, singulare naturæ opus, detractum in phialam demisit, eumque, ut natura est, statim liquefactum absorbuit: parata & in alterum, quem sinistra gerebat, manum injicere, ni provide & propere Munatius victum Antonium clare pronunciasset. Quidni victum? cum sola ea gemma vel centies HS esset? sive, ut nostra æstimatio, 250000 Philippæorum.

Caligula, quem à Natura editum, ut ostenderet, quid summa vitia in summa fortuna possent. Seneca judicavit, centies HS cœnavit uno die, & in hoc omnium adjutus ingenio, vix reperit, quo mediocrium provinciarum tributum una cœna fieret. Commentus est portentosissima genera ciborum, unguentis calidis frigidisque lavabatur, pretiosissimas margaritas aceto liquefactas sorbebat, convivis ex auro panes & opsonia apponebat.

Quid jam Vitellius, ille helluonum omnium altissimus gurges? de quo Plinius: *Vitellius in principatu suo decies HS* (25000 Philipp.) *condidit patinam, cui faciendæ fornax in campis exædificata erat.* Scripsit autem Suetonius, *In hac scarorum jecinora, phasianorum & pavonum cerebella, linguas phœnicopterum, murenarum lactes, à Capathio usque fretoque Hispaniæ, per navarchos ac triremes petitarum, eum commiscuisse.* Idem non solum ipse prodigus, sed alios impellens, indicebat eadem die jentacula, prandia, cœnas, comessationes, ipse omnibus sufficiens, vomitandi consuetudine. Nec cuiquam minus singuli apparatus 400000 nummum constiterunt. Heu illusum vel abusum in alienis opibus! nam ea sunt 10000 Philippicorum, sive ipse census equester.

Jam de Heliogabalo quid dicam? de quo Lampridius: *Numquam minus* 100 *HS cœnavit, hoc est, argenti libris* 250. (2500 Philipp.) *Aliquando autem* 3000 *HS cœnavit, omnibus supputatis quæ impendit.* (id est, 75000 Philipp.) *Cœnas vero Vitellii & Apicii vicit.* Si ergo centum HS quotidie, essent 75000 Philippæor. in mensem. Quid jam convivia, quæ ejusdem totius summæ in unum diem interposui?

Sed jam monstra omittimus; aliquid ad communem morem quærimus, à quo non nimis Philippus, Hortensius, Lucullus, & hi tales, lumina Reipublicæ, abiverunt. Piscinæ & vivaria istorum nota sunt, & cœnæ; ex una Luculliana 50000 drachmarum, quæ sunt 5000 Philippæorum. Quid plura adferam? unum hoc Senecæ: *Quid est sumptuosa cœna flagitiosius, & equestrem censum absumente? & tricies tamen HS adjiciales cœnæ frugalissimis viris constiterunt.*

De luxu in vestitu aliquid addendum. Romam à Censore nostro Seneca: *Quidquid est boni moris, exstinguimus levitate & politura corporum. Muliebres munditias antecessimus: colores meretricios, matronis quidem non inducendos, viri sumimus. Tenero & molli ingressu suspendimus gradum; non ambulamus, sed incedimus. Exornamus annulis digitos, in omni articulo gemma disponitur.* Ista de viris: quid de juvenibus? Pater illius Senecæ: *Torpent ecce ingenia desidiosæ juventutis, nec in illius rei honestæ labore vigilatur. Cantandi saltandique obscœna studia effœminatos tenent: & capillum frangere, & ad muliebres blanditias vocem extenuare, mollitie corporis certare cum fœminis, & immundissimis se excolere mundiciis, nostrorum adolescentium specimen est.* Fortasse de fœminis addam,

quas

quas ſcimus cum venia peccare, ubi viri gradum ſtruunt? Iterum Seneca: *Video uniones non ſingulos ſingulis auribus comparatos: junguntur inter ſe, & inſuper alii bini ſuperponuntur. Non ſatis muliebris inſania viros ſubjecerat, niſi bina ac terna patrimonia auribus ſingulis pependiſſent.* Ille de auribus queritur, alius de toto corpore. Pedibus etiam aurum & gemmæ adhibitæ. Ac Plinius ſcribit: *Non tantum crepidarum obſtragulis, ſed & totis ſocculis addi. Neque enim* (inquit) *geſtare jam margaritas, niſi calcent, ac per uniones etiam ambulent, ſatis eſt* Addit pro faſtigio inſaniæ, *Viſam à ſe Lolliam Paulinam, ne ſerio quidem ac ſolenni cæremoniarum aliquo apparatu, ſed mediocrium etiam ſponſalium cœna, ſmaragdis margaritiſque opertam, alterno textu fulgentibus, toto capite, crinibus, ſpiris, auribus, collo, manibus, digitiſque: quæ ſummam quadringenties HS colligebant,* (decies centena millia Philippicum) *ipſa confeſtim parata, mancupationum tabulis probare.*

Excuſatio Objectorum.

Non eſt magnum opus hoc, quod hic acervatum; unius alteriuſque manus impulſu diruetur, nec machina aut ariete alio adhibito cadent infirmi iſti muri. Triplex accuſatio ſtructa, in *Probitatem*, in *Abſtinentiam*, in *Continentiam*. Et videamus.

Fraudulenti quidam & perfidi fuere, rapaces quidam & crudeles, luxurioſi in cibis aliqui aut veſte, ſed quidam, ſed aliqui: & hæc prima reſponſio ſit, & ſcutum pro me firmum. Quid pungis aut invadis gentem totam ob pauculos tot ſæculis nominatos? Fuiſſe non miror: nec id prodigium aut monſtrum; imo eſſet, ſi non fuiſſent. An tu in hac fæce noſtra hominum puram meramque virtutem aliquam vis? Soles nobis imperiorum lucere ſine nube, aut tonitru, aut procella? nec fuere iſta, nec erunt: & Deus in ſuperis illis locis, & liquido æthere, ſerenum hoc habet & ſervat, cætera omnia inferiora miſcentur & turbant. Galbam aliquem aut Lucullum in Hiſpania nominas? Hortenſium aut Pleminium alibi: quid iſta ſunt in tot millenis Præſidibus, qui boni & innoxii fuerunt? Ut ſi guttas aliquot aceti in magnum vas aquæ mulſæ jaciam, non ipſam corrumpam, ſed gratiam fortaſſe magis ab acore aliquo addam: ſic in magnis iſtis imperiis magis ſentitur bonorum bonitas, ſi pauci interveniant acidi aut amari.

Et tamen (quæ altera reſponſio) adverſa ſæpe fuere, atque etiam animadverſa. Hoc excuſet Senatum & imperii præſides, quod legibus pœnas dederunt, quicumque convicti ſunt leges alibi violaſſe. Nonne id in Galba, Hortenſio, Pleminio, Verre, & talibus? Nec Romanis igitur univerſis fraudi aut culpæ fit, peccaſſe aliquos, ſed impune & libere peccaſſe. Paulum Æmilium attuliſti, magnum virum, fateor, & uno illo vel colore culpæ, non enim culpa, indignum. Cur tamen cum invidioſe rem totam narras, hoc callide ſiles,

Senatum juſſiſſe? Ex præſcripto id fecit: qualecumque eſt, non jam ipſe, ſed Senatus potius accuſetur. Cur tamen vel iſte? Audi, & diſce. Epirotæ illi omnes firmiter pro Perſa ſteterant, Romanos oppugnaverant: quæ injuria eſt, ſi hoſtes hoſtium pœnas luant? At nimias, inquies. Nollem factum; ſed ad coërcendas rebelliones aut defectiones talia quædam à modeſtiſſimis Regibus aut Rebuſpublicis facta, poſſim docere.

Addis ſolennem ſævitiam Romanorum, ut puras, in expugnatione oppidorum; homines occidi, canes diſſecari, animantes truncari. Miſeranda ſunt, non nego: nec tamen, ut cenſes, referenda inter admiranda. Quid diſſimulas? non heri & hodie hæc fiunt in puberes & viros omnes, ubi vis ultima exſpectata? Et cauſa aliqua huic rei eſt, Terror: & non facile alioqui, manum & finem bellis imponere, niſi hæc interdum frangendæ pertinaciæ, uſurpentur. At canes etiam diſſecti. O ridiculum, ſi in canes non licet, quod in homines! Hæc dici & excuſari poſſunt, & vere poſſunt: non infiteor tamen, ſub Sylla aliquo, Mario, aut Cæſare, & præſertim per civilia bella, jus omne & fas neglectum aut calcatum; ſed mox attollendum ab Auguſto, aut ſiquem bonum Principem Deus dedit. Illo medico opus fuiſſe fateor, Republica jam tam laxa & opulenta: & inter pares ſeveritas aut terror eſſe non poterat, ad ſatis reprimendum.

Venio ad Continentiam aſſerendam. Argumenta in eam præcipua duo erant, Leges ſumptuariæ ab antiquo latæ, & exempla aliquot luxus.

Quod ad leges, aio & affirmo, non firmius pro frugalitate argumentum eſſe. Nam quod eæ coërcent aut emendant, quale eſt? ex emendatione apparet, quam videamus. Fannia ecce lex, ſub bellum Punicum tertium lata fuit in hanc ſententiam: *Permitti diebus feſtis centenos æris; cæteris, denos.* Centeni illi æris 10 drachmas nobis reddunt, deni unam. O nuptias, repotia, natales, apparatu celebri, quibus Philippæus unus ſufficeret in potum, in cibum! Quis de via aut ponte mendicus pene non plus hodie abſumpſerit? Atqui Reſpublica tunc ſatis opulenta & florens erat, & maxime ſub Sylla: tunc & Græcanicæ, & Aſiaticæ deliciæ cognitæ. Videamus igitur, & laxe lauteque jam epulemur. Nam ecce tulit Sylla, ut feriis ſolemnibus 30 ſeſtertios liceret inſumere; cæteris diebus ternos; 30 ſeſtertii ſunt noſtro calculo 7 drachmæ & ſemis, id eſt, nondum Philippicus: terni autem nec drachma. Lex Licinia præivit, in qua non niſi 30 aſſes (tres denarii) permiſſi diebus feſtis. Laxavit igitur & auxit Sylla. Sed quid hic ſiſtimus? Auguſtus ille, qui Romam opibus & gaza Ægyptia replevit, & ſub quo illa in ipſo flore, Cibariam legem hanc tulit: *quæ profeſtis diebus,* 200 *ſeſtertiis; Kalendis, Idibus, & aliis quibuſdam feſtivis,* 300; *nuptiis autem & repotiis,* 1000 *finiuntur.* Sunt 5 Philippæi, profeſtis; feſtis, 7 cum dimidio; nuptiis, 25.

Atqui Apicios, Lucullos, Caligulas, Vitellios, adduxisti. Quid ad me? cum Rempublicam laudavi, plurimos in ea laudavi, nec aspicere debui, si quæ in tanto ac tam uberi agro malæ alibi & nocentes herbæ. Non obstant, quo minus hæc seges bona & laudabilis sit: nec tales certe mihi dabis ante labentem Rempublicam, id est, Syllanum ævum.

Notandum quoque est, apud Romanos interdum tantam rerum vilitatem fuisse, ut bos aliquis non nisi quaternis aut quinis drachmis constiterit. Plinius ita scribit: *M. Varro auctor est, cum L. Metellus in triumpho plurimos duxit, elephantes, assibus singulis farris modios fuisse, item vini congios, ficique siccæ pondo 30, olei pondo 10, carnis pondo 12.* Si igitur carnis pondo 12 singulis assibus venit, fac bovem pependisse 400, aut 500, libras, quid erunt nisi quaternæ aut circiter drachmæ? Sed illa nimis vetera sunt, inquies. Nec id quidem, sed bello Punico primo, A. U. 502, evenerunt, haud longe à Catonis ævo. Bello Mithridatico, Lucullus prædas è Ponto agit, sic abundantes, ut mancipium 4 drachmis venale esset, bos, una; capræ, oves, vestes, alia, pari vilitate; ecce, bovem reduxi ad drachmam. Catonis ævo in Gallia Cisalpina medimnus Siculus (sex modios continet) non nisi duabus drachmæ partibus veniit, nempe 4 obolis: metreta vini (12 congii sunt, si Atticam intelligis, & sunt libræ mensurales 120) tertia parte drachmæ. Viator in iis locis nihil cum diversitore aut hospite pascebatur, sed bene & laute habitus, abiens solvebat dimidiatum assem. O si nobis peregrinari ita fas! tota juventus dilabatur, & abeat in beatas illas oras. Non tamen, ut serio loquamur, tam grandis vilitas hæc semper fuit.

Vestibus & viros fœminasque lascivisse, non nimis nego, neque excuso: concessu omnium peccet in nugis ille sexus, ad seria non aptus. Sed viri, parum aut nihil in veteri Republica: sub Principibus cœpere, ne Principibus ipsis invitis. Frangi aut mitigari altos & generosos animos, vestium, conviviorum, ludorum deliciis aut remissionibus, haud abs re eorum est; nec Augustus & sagaciores illi ignorarunt. Itaque Tacitus scripsit: *Luxus mensæ, à fine Actiaci belli, usque ad arma, queis Servius Galba rem Romanam adeptus est, per annos centum, profusis sumptibus exercitos fuisse.* Sed antea negamus.

De Doctrina Romanorum.

Absolvimus de *Virtute*, nisi placet ornamentum vel adjumentum ejus adtexere, *Doctrinam*. Nam & ea Romæ viguit, atque adeo ab ipsa condita Urbe, vel potius ante eam. Atque adeo erat transfusa ipsa Græcia in magnam Italiæ partem, cui & nomen reliquit. Exolevisse tamen hæc paulatim fateri debemus, & usque ad bellum Punicum secundum ratas Romæ vel elegantias, vel literas fuisse; Mars & horrida virtus omnia obtinebant. Postea capta ipsa Græcia victores

iterum

iterum cepit, & feliciter artes ſuas intulit, & diffudit. Magno gradu tunc itum ad variam doctrinam, ſed primo ad eloquentiam maxime ut quæ conjuncta cum rebus gerendis, & aptiſſima gubernantibus eſſet. Mox & Hiſtoria ſucceſſit, & Philoſophia, & quidquid ad animos moreſque colendos, aut honeſte oblectandos, facere videretur. O hanc quoque curam laudabilem! & maxime, quia cum modo & temperie fuit, quod nec omnes paſſim ſe darent, nec nimis etiam ſe darent literis. Non omnes, ſed primores fere, & ii qui vel erant in Republica, vel ad eam ſe præparabant. Et triplici illo ordine. Plebs ad militiam adſpirabat, neque erat harum rerum Senatus & Equites, præter illam, animi cultum aſſumebant, & mente, non manu ſolum, conſpici volebant. Modum quoque plerique ſervabant; nec ut mancipia quædam literarum eſſent; ſed ut, quatenus opus, haurirent, & ad rem atque uſum transferrent. Talis Scipio ille poſterior, talis Cornelius Sylla, Pompeius, Lucullus, Cæſar, alii, uno verbo, quicumque in Republica eminentes poſtea fuerunt.

Itaque ſtudium hoc doctrinæ publice viguit, & doctores paulatim, in privatis primo Principum ædibus, mox & in publico, ac ſtipendiis publicis, auditi, conducti, & præmiis varie affecti. Quis neſcit, Cæſarem omnes liberalium artium doctores, qui Romæ eſſent, civitate donaſſe? qui ſummus extero honos, & nulla pecunia æſtimandus; etſi nec hæc defuit, primo quaſi è privatis loculis data, mox è fiſco annuatim appenſa. Primus id Veſpaſianus firmiter inſtituit. Qui Latinis Græciſque Rhetoribus annua centeta conſtituit. Ea reddunt 2500 Philippæos: ubi hodie vel eximiis doctoribus largiendos? Atqui & Medicis quingena HS mercedem annuam fuiſſe, Plinius docuit: quæ ſunt 12500 Philippæi. Cur ergo non admittam vel 600 excellenti alicui honorarium fuiſſe? Imo fuerunt Eumeno Rhetori, & doctori in ſcholis Auguſtoduni, quem Conſtantius Princeps ſub Auguſtis Diocletiano ac Maximiano ſalarium in 600000 nummum accipere juſſit. Scilicet alienum nimis à magnitudine Romana eſt, 15000 Philippæorum ſingulari doctori, & qui Magiſter Palatii fuiſſet, dari? nihil eſt: & credent mecum, qui veteres opes & animos ſatis ſciunt.

Dè Diuturnitate Imperii Romani.

Vidimus, quam magnum Imperium Romanum à *Finibus*, *Copiis*, *Opibus*, *Operibus*, *Virtutibus*, *Viriſque*, fuerit: & potuiſſemus addere à *Tempore*, ac diuturno ſtatu. Nam quod alibi imperium, modice magnum, tam diu perſeveravit? Atque iſtud maximum tot ſæcula ſtetit, & reliquiæ ejus cum nomina, etiam nunc in Germania & Auſtriaca domo feliciter ecce vivunt. Itaque Plutarchi verba liceat uſurpare: *Cum Fortuna alata ſic ac vaga, & modo Aſſyrios, Medos, Perſas, Macedonas, Carthaginenſes, luſtraverit, eoſdemque reliquerit: videtur ad Tiberim alas poſuiſſe. volubilem globum reliquiſſe, & Urbem quaſi perpetim inhabitatura intraſſe.* Quid Homeri jam olim vaticinium? quam mirabile eſt?

Nunc

Nunc autem Trojana Æneas ſceptra tenebit,
Et nati natorum, & qui naſcentur ab illis.

Ille vero tenuit, & nati ejus; inter quos Romulus primus Regum, ex eo ſanguine; & ô occultam decreti vim! primus Imperatorum Cæſar. Etſi autem mutatio aliqua ſtatus intervenit, tamen imperium manſit; primo ſub Regibus, tum Conſulibus, tum Principibus: & ſub iſtis ſciſſum divulſumque, & caput alterum in Thraciam aut Græciam tranſlatum.

LIBER I.

DE CRUCE.

MAteries & Ordo Operis hujus iſte: QUID CRUX, & CUJUSMODI fuerit: UBI, QUARE, QUOMODO, & QUATENUS, uſurpata. De his omnibus accurate & diſtincte dicetur.

De Nomine Crucis.

Crux ſignificatione duplici, *laxa* & *adſtricta*. Illa eſt, cum pro omni angore, tormento, atque etiam interitu, ſumitur à Comicis paſſim, qui jubent, *Abire in malam crucem*; ut Gracchus, qui dixit, *Mala cruce perire.* Sed & Terentius à cruciando, Meretrices dixit *Cruces*. Adſtricta ſignificatio eſt, & vulgo receptiſſima, cum peculiariter cruciatum & interitum notamus in ligno. Dixerunt & alio nomine *Gabalum*, voce Hebræa: nam illis *Gab*, excelſum; *Gabal*, terminus aut rectus ſtipes in agris. Quid niſi tale crux, quæ erecta, & in excelſo? Et Germani patibulum *Galgen* vocant. Dixerunt aliter, *Infelicem arborem, lignum, ſtipitem.* Dixit & *Infamem ſtipitem* Poëta incertus. Natæ appellationes à judicio & ſenſu vulgi, quibus hòc ſupplicium in horrore pariter & vilitate. Et quamvis Crux proprie in ligno, tamen ſimilitudine etiam ita dicta ſuſpenſio aut fixio in alia paratura, puta in monte aut petra.

Nomina vero ſupplicii, quod per eam, ſunt iſta, *Cruci ſuffigere, in cruce ſuffigere, Cruci affigere, Crucifigere*, crebra ſunt. Illud minus. *Figere*, ἁπλῶς, & ſine additione; quod alii, *Configere*. Suo etiam & proprio verbo appellarunt, *Cruciare, Crucificare.* A *Crucio*, ſive *Cruce* ipſa, *Cruciarius* dictus is, qui in cruce, vel qui ea dignus. Quo modo & *Verberonem, Flagrionem, Maſtigiam*, dicimus, verbere, flagro, maſtige, dignum. Qua mente & *Vinum crucium*, inſuave, acerbum, Feſtus obſervat.

Græcis duo fere Crucis nomina, σταυρὸς & σκόλοψ. Illud frequentius, quod tamen proprie non niſi ſtipitem ſignat ſingularem & erectum. Latinè dixeris *Palum*, ſive *Vallum.* Vox facta παρὰ τὴν εἰς αἰθέρα στάσιν, ἢ παρὰ τὸ εἰς ὕψος ἵστασθαι, hoc eſt, *quod ad aërem ſtent,*

ſtent, vel quod in latum. Lucianus derivat à *Tau* litera, quæ figura crucem refert. Jam Σκόλοψ proprie vallum ſudemque ſignificat acutam. Appellant etiam ἰκρίον crucem. Duo autem ſunt verba, quibus ipſam crucifixionem ſignabant, ἀνασταυρῶν, & ἀνασκολοπίζειν. Ita enim plerumque compoſite, ad elationem ſcilicet fixionemque in alto notandam; etſi alias etiam ſimpliciter σταυρῶν & σκολοπίζειν. Sunt & alias duo verba, quibus vulgo valde uſi, προσηλῶν, & κρεμᾶν, ſive ἀνακρεμᾶν, quorum illud clavationem ipſam in ligno proprie notat, hoc ſuſpenſionem. Tale apud Latinos ipſum *Suſpendere*, quod ad crucem referendum.

Diviſio Crucium.

Rem ipſam ordiamur; cui illuſtrandæ duplex genus ſtatuo, *Simplex & Compactum.* Illud voco, cum in uno ſimplicique ligno fit affixio, aut infixio. Quæ crux, meo judicio, prima fuit, & in aliam ſpeciem à rudi hac ventum. Sed ea quoque duplex; altera ad *Affixionem*, altera ad *Infixionem.* Nam alias ad arborem ſive ſtipitem alligabant figebantque hominem. Nec ambigimus, arbores plerumq; huic rei ſerviſſe, præſertim in grandi numero cruciandorum, ſive reciſas leviter, & ad crucem aptatas, ſive etiam comantes. Sed & in ſtipite ſimplici idem fuit. Atque hæc fuit in ſimplici Cruce affixio.

Eſt & in eadem *Infixio*, cum nudum hominem erecto acutoque ſtipiti infigebant, ea forma & facie, quam docent Scriptores. Seneca: *Cogita carcerem & cruces, & adactum per medium hominem, qui per os emergat, ſtipitem.* Viden' clare, medium hominem ſciſſum & transfoſſum? Vulgo dicitur *Impalatio.* Et hoc proprie eſt Σκόλοψις, & σκολοπίζειν, ubi legitur plerumque referendum ad hanc formam. In hac cruce, quam *acutam* vocat Seneca, habitus erat hominis ab infero in ſuperum ſic transfixi, quaſi ſederet. Hoc ipſum genus ἀνασχινδυλεύεσθαι dictum Græcis, quaſi diffindere & diſſecare. Item ἀνασκολοπισθῆναι.

At *Compacta* crux eſt, quæ manu facta, idque è duplice ligno. Hæc eſt plena & vera crux, in qua brachia etiam explicantur, atque ideo *Patibulum* non ſemel dicta. Hujus ſpecies triplex: Eſt *Decuſſata*, eſt *Commiſſa*, eſt *Immiſſa.*

Decuſſata eſt, in qua duo ligna directa & æquabilia inter ſe obliquantur. *Decuſſare* hoc enim Romani dixerunt. Hieronymus: *Decuſſare, eſt per medium ſecare; veluti ſi duæ regulæ concurrant ad ſpeciem literæ* X, *quæ figura eſt crucis.* Hæc illa eſt, quam *Andreanam* hodie dicimus, valida & ſatis veteri fama, divum iſtum in ea cruciatum.

Jam *Commiſſam* crucem appello, cum ligno erecto brevius alterum, ſuperne, & in ipſo capite committitur, ſic ut nihil exſtet. Ea forma examuſſim eſt in T litera, quam uno ore omnes cum cruce componunt. Aſtruunt etiam picturæ, & noſtra lingua. In illis quidem,

dem, passim hodie videas D.Antonii, vetustissimi monachi, penulæ & manui assui aut imponi hanc crucem. An quia Ægyptius ille vir, quibus jam olim notum, & inter sacra hoc signum? Certe in obeliscis, qui inde Romam vecti, sculptum sic videtur, cum annulo tamen vel ansula superne. Certe in penula aut veste monachorum crux, imo cruces. Quod autem manu tulerint, hodieque in Æthiopibus sive Abyssinis ille mos, uti vulgus reliquum cruces è collo pendulas gestet, monachi hoc amplius etiam manu, auctor est Damianus a Goës. Ægyptiis autem litera T olim inter notas hieroglyphicas, & significabat *Vitam venturam.* Atqui & à lingua nostra argumentum petii: nos enim Germani hodie bacillos in hanc formam, quos ægrorum brachiis sustentaculum subjicimus, vocamus ipsa Latina voce *Crucken.*

Denique *Immissa* crux est, cum ligno erecto transversum alterum injungitur atque immittitur, sed sic, ut ipsum secet. Ita eminentia hic semper aliqua & capitellum, aliter quam in Commissa. Etiam anguli hic sive fines quaterni, illic terni. Ingerunt eam oculis picturæ pariter & scripturæ priscæ.

Habes omnes crucium species. In qua earum ille mortuus, qui morte sua nobis vita? In illa postrema, quæ quatuor finibus universum Orbem complexa est, non sine mysterio, quod toti Orbi mortuus, Salvator noster pependit. Nec ambigi profecto potest, in tam veteri Christianorum sensu.

Crux ubi usitata.

Cruces satis vidimus: *Ubi* gentium eæ in usu fuerint, addemus: etsi uno verbo pene dixerim, ubique gentium receptas. Oriens quidem plerumque usurpavit, idque jam olim. De Syris, in Esthere scriptum. De Judæis, in sacris libris sæpius. Ægyptios etiam usos reperio; & Persas crebro: sed Afros vel omnium creberrime: qui non in viles modo, sed illustrissimas Personas adhibebant. Atque à Senatu Carthaginensium etiam in Duces, bella pravo consilio gerentes. Video & Græcos usitasse. Jam Romanis vetus veterrimumque supplicium patibulorum. Si Livio fides, statim sub primis Regibus usurparunt; & exemplum in Horatio, cui id sub Tullo parabatur. Etsi Cicero dissentire videtur, & horridum illud carmen ad Tarquinium Superbum auctorem referre. Utrum horum est, video etiam libera Republica statim in usu cruces: An Germani usi, dubium.

Causa variæ hujus Supplicii.

Plurifariam igitur receptæ cruces, sed vix tamen, nisi in homines viliores, Romano quidem ritu. Atque apud eos servorum fere hoc supplicium, aut plebejorum, qui juxta servos. Ea adeo peculiare hoc servis, ut nomine *Servilis supplicii,* crux veniat capienda.

Servile

Servile igitur hoc ſupplicium, ſed non ob levem aut quotidianam noxam, ſed graves erant, & in extremo ſupplicio extrema cauſa: ut Delatura domini; & in genere, omnis machina contra dominicam ſalutem. Item Fuga, ſed diuturna, aut repetita. Hæc & plura in ſervis, quos mitiores durioreſve domini, gravius, mitius, pro arbitrio ſunt puniti.

Quid autem in liberis? Rara crux, ut prædixi. Quin removere prorſus ab hoc genere Lactantius videtur. Sed frænanda ea aſſertio eſt; & cive quidem indigna crux, nec credo uſurpatam in eos, niſi præter leges, & per ſævitiam: viliores liberi, & provinciales, non ab ea profecto immunes. Atque hæc crimina in iis cruciaria. Primum, Latrocinium. Deinde, Sicariatus. Tertio, crimen Falſi. Anne & Furtum? ita, ſed non Romæ. Et mirum ni è Gallis Germaniſque iſti Reges, quorum moribus etiam nunc fures ad furcam. Alia etiam crimina in hanc pœnam, ne ambigas.

Cum hæc vidimus, pie, non curioſe, quæro, in Servatore noſtro quis prætextus (nam cauſa numquam fuit) ad crucem? Blaſphemiam aliquis dixerit, ex vocibus & judiciis Judæorum. Atque ipſi ſane ita apud Pontificem accuſant, & huic noxæ teſtes quæruntur, & ipſe denique Pontifex ejus damnat. Attamen ſi legem ſpectes, hi tales lapidibus, non cruce, puniti. An non verius ac ſimplicius, totum illud judicium, etſi judicii diſſimile, Romanis moribus legibuſq; directum? Mihi videatur: & reſpondeam, damnatum innoxium noſtrum Agnum, quaſi Seditionis nomine & Regni affectati. Certe Romana lege, auctores ſeditionis aut tumultus, pro qualitatis dignitate, aut in crucem tolluntur, aut beſtiis objiciuntur; Quod autem ſic etiam apud Pilatum accuſatus, Lucas clare. Credidit, nec credidit, Pilatus; & titulum tamen cauſamque mortis inſcripſit, *Rex Judæorum.*

In hos ergo tales ex ordine & more crux uſurpata. Interdum regnum ei largius, & præſertim apud Reges: nam hi ex libidine ſæpe ita ſævierunt in hoſtes aut rebelles, & uno tempore multos. Alexander Magnus 2000 Tyriorum, capta eorum urbe, crucifixit. Alius minutus Alexander in Judæa, convivans in publico & conſpicuo loco, una cum pellicibus, juſſit in crucem dari Judæorum ad 800. Quinctilius Varus, ex eadem gente, ob neſcio quem motum, crucifixit circiter 2000. At Titus in obſidione illa exitiali, 500 & plures, in ſingulos dies crucibus affixit: & ob multitudinem terra crucibus & cruces corporibus deerant. Jam & Auguſtus confecto bello Siculo, 600 ſervorum, quorum domini non exſtabant in crucem egit. Et in Chriſtianos Tyranni crebro adhibuerunt, atque eos numeroſos: ſic uno tempore, uno loco, ad 10000, interfecta. Atqui nec à fœmineo ſexu abſtinuerunt hoc ſupplicium: & Tiberius, ob adulteratam in templo Iſidis Paulinam. Sacerdotes crucifixit, & Idam, (ancillæ nomen) quæ corruptelæ cauſa fuerat. E Chriſtianis etiam Beata Eulalia cruxi affixa, Sancta Julia, & aliæ.

LIBER

LIBER II.

DE MODO CRUCIFIGENDI.

DIxi ſatis *Quid* Crux, & *Cujuſmodi* fuerit, *Ubi* & *Quare* uſurpata; pergo longius, & univerſum hoc pœnale ædificium exſtruo, per ſingula etiam membra. Dicam enim *Quomodo* uſurpata; & non ſolum animis, ſed pene oculis ſubjiciam ſævitiam & fœditatem ejus ſupplicii; quæ ſane magna: nec temere Cicero crudeliſſimum teterrimumq; appellavit: & Poëta Nonnus, ἐλίγχιστον τινα πότμον, *damnatiſſimum quoddam fatum.* Quin etiam Juriſconſulti nomine *Summi ſupplicii*, velut ob eminentiam, deſignant iſtud. Ab eadem mente *Supremum* Ulpianus dixit. Dicta hæc ipſa *Extrema pœna*: Nam ex Juriſconſultorum mente, Crux etiam ſupra ignem, ſi infamiam, magnitudinem, & præſertim diuturnitatem pœnarum, in ea attendis.

Sed ſævi fœdique quid in hoc ſupplicio fuerit, *Modus* ipſe dixerit; quem graphice imus repræſentatum. Duplex autem iſte modus, *Vulgaris*, & *Rarus*. Ille receptiſſimus, & quo vulgo utebantur. Alter magis ſepoſitus, nec in tam aſſiduo uſu. De illo prius, & quidem ordine, hæc tria: *Quæ ante fixionem*, *Quæ in ipſa*, *Quæ poſt ipſam.*

Quæ ante fixionem.

Ante fixionem duo adhibita: *Flagellatio* & *Deductio.* Flagellatio quidem ſolennis anteceſſor, & raro in crucem dati, niſi ſic purpurati. Solennis ergo mos, imo lex: & horrendum carmen diſerte canebat: *Verbera intra aut extra pomœrium*: & tum denique ſuccinebat: *Arbori infelici ſuſpendito.*

Verberati igitur: ſed utrum virgis an flagellis? Illas interdum reperio, ſed magis crebro iſta. Diſcrimen enim eſſe ſcimus: & quia virgæ honeſtiores, inhoneſtiſſimo huic ſupplicio attributa flagra, ſervorum propria, ab ingenuis, tum à fœminis, remota maxime. Flagella autem hæc aſpera, adeo ut Ulpianus ſcripſerit, miniſtrorum immanitate multos ſub ejuſmodi flagellis interiiſſe. Fuerunt enim taxillata; ſiquidem inſitis talis, aut oſſiculis, exaſperabant. Factum Romæ, & alibi. Apuleius agnoſcit, & *Flagrum pecuinis oſſibus catenatum*, ſcite Appellat. Ille idem Gallis Matriſdeum adſcribit. An tale aliquod flagri genus, quo Chriſtus etiam noſter cæſus? imaginantur aut pingunt per pietatem nonnulli. Haud ego aſſero; ſed illud Evangeliſtæ, cæſum eſſe, & quidem flagro. Hoc ἱμάσθλην Nonnus appellat, *flagellum loreum.*

Fla-

Flagellatio hæc non uno ſemper loco, aut tempore. Aut enim ante Deductionem utebantur, idque domi,aut in prætorio: quod in Servatore factum. Aut in ipſa Deductione per viam: quod moris fuit magis priſci. Si domi, ligabant interdum ad columnam. Id de Servatore noſtro non ambiguum,piis quidem & in religione antiquis: etſi enim Evangelia non exprimunt, ſecuti tamen Patres. Quid per viam? ſub furca id factum; de qua ſuo loco dicetur.

Ad *Deductionem* venio, in qua duo obſervo: *Ludibrium* & *Tormentum*. *Ludibrium*, quod ipſi coacti crucem ſuam ferre, aut certe ejus partem; ut vere eſſet iſtud, quod dicitur; *Suo ſibi jumento malum.* Atque ita Johannes de Chriſto: *Bajulans ſuam crucem, exivit in locum Calvariæ dictum.* Qua ſola cauſa vetera quædam vaticinia aut imagines, ductores noſtri ad Chriſtum trahunt. Et Chriſtus ſane totam plenamque crucem tulit: ni feciſſet, quid opus erat auxiliatore & ſubſequa, qui allevaſſet? Alii non ſemper totam: atque ideo caute prædixi, *ejus partem*. Nam qui ritu veteri ſub furca cæſi ducebantur, ferebant non niſi iſtam: Imo interdum nec iſtam: nam fac in arbore aliqua crucifixum, & ſubito, profecto præter ſe nihil tulit.

Tormentum etiam in Deductione: quia trahere, divexare, & ſtimulis agere, per viam ſolebant. Nec dubium eſt, quin impulerint, dejecerint, erexerint, per ſævitiam aut per luſum. De ſtimulis etiam non temere addo; & aperte auctor affirmandi Plautus.

Quæ in ipſa fixione.

In ipſa fixione tria conſideranda, *Suſpenſio*, *Adſtrictio*, *Inſcriptio*.

SUSPENSIO præit, & ante illam etiam nudatio, quia ſimul ad crucem ventum, ſpoliabant hominem & ſic in eam dabant. Receptum hoc in pleriſque ſuppliciis, velut Naturæ ſuaſu, quæ nudos induxit in vitam, & educit; etiam in iſto. In Chriſto factum hoc obſerves, quem Evangeliſtæ narrant recepiſſe veſtes poſt flagellationem jam deducendum, & poſuiſſe iterum deductum. Ergo nudi dari in crucem; ſed jacentem, an erectam? Pro jacente Acta vetera de Pionio martyre ſatis clare ſtant. Et ratio etiam aliqua ſuadet. Nonne enim facilius hominem ſic affigere ſupinum & inclinatum, quàm tollere in erectam pendulum, labentem fortaſſe & reluctantem? Videtur. Tamen, quod in erectam, pluſculi affirmant teſtes. Nec video quid obduci poſſit, niſi iſtud infirmum, ſtatutas quidem, ſed ſub adventum noxii, iterum demiſſas, Quis credat? aut irriti laboris quæ ratio? Abnuunt etiam phraſes veteres, quas ſcimus plerumque aſſimiles rebus ipſis. Dicunt enim, *Tollere*, *Agere*, *Ferre*, *Dare*, *in crucem*, quæ omnia elationis ſunt aut motionis. Item in ipſis fontibus, *Excurrere*, *Aſcendere*, *Salire*, *in crucem*, quæ mihi videntur convenire non niſi in erectam. In hoc diſſenſu quid definimus? conſenſum, qua licet. Dicimus, utrumque uſurpatum,

ſæpius

sæpius tamen hoc postremum. Imo interim necessario hoc postremum. Pone enim in arbore suspensos, (sæpe factum;) quomodo demitti ea potuit, & tunc attolli? Qui si de transversario tantum ligno capies, in eo figi solitos, & deinde subduci atque appendi? Pugna omnis cesset.

ADSTRICTIO facta clavis, aut funibus, sed plurimum illis. Atq; ab hac re Græcis passim ipsa crucifixio προσήλωσις, dicta, quasi dicas, *Clavi-fixio*. Et προσηλοῦσθαι, *cruci affigi clavis*. Funes etiam adhibiti, & quorundam judicio videntur necessarii fuisse in omni fixione: Nam volunt manus ligatas, ne se subducerent ad ictum, aut commoverent, tum etiam ut firmius & cum adminiculo penderent. Deinde & alterum funem ad pectus corpus ambiisse sub ipsas alas, eoque sublevatum hominem & attractum in summam crucem. Id porro factum admotis utrimq; scalis. Et sane de scalis, apponere eas pene necessarium videtur, utique ad erectam crucem. Quomodo alias subduxeris, aut fixeris? Funibus autem alligari, magis sævum habitum. An sic quoque appensi latrones bini, cum Christo? Vulgo sentiunt, nec aliter pingunt. Tamen falso, quia illi pariter ac Christus fixi. Nonnus affirmat, & magis historia prisca, quæ est de Helena Constantini matre. Ea cum venisset ad sacra & Deo homini trita loca, cupidine visendi & venerandi, de Cruce etiam quæsivit, nostrá illa servatrice. Fodit, tres reperit, ac diu animi anceps hæsit, quæ esset illa vera: nam titulus, quo dignosci potuisset, jacebat seorsim disjectus. Deniq; miraculo & divina indicatione opus fuit ad discernendum. Quid autem opus, si vestigia clavorum modo in una? Argumentum certum est, & res ipsa per Ecclesiæ Annales.

Clavos autem istos, sive & funes, in manibus pedibusq; fuisse satis notum. At quam multi isti clavi? Enimvero dissident. Alii de ternis asserunt. At contra tendunt alii, & suggerunt quaternos. Utriq; de Christo id volunt. Quid, quod Plautus ex more astruere videtur quatuor? Quàm magis considero, tam magis hoc dictum censeo; cum id quoque reperiam, per sævitiam multiplicatos alibi clavos. Interdum & in alia corporis parte. Itaq; si morem veterem vides, arbitrarium fuit de clavis, & frustra litigemus. Si de Christo tamen quæritur, nescio; & in dissensu Patrum non est nostrum arbitrari: pronior tamen sum in quaternos. In templis Græciæ hodie passim Christus cruci affixus, disparatis pedibus sic pingitur. Modus figendi fuit, ut manus primum figerent, inde pedes. Atq, initium à manu dextra; tum itum ad pedes. Sed ambigas, manusne fuerint toti moli ferendæ? Apparet enim, corpus omne (præsertim si quis pedes inflecteret) pependisse à manibus solis. Ita arbitror. Quidni? Duræ & nervosæ illæ partes, & lentæ frangi. Fortasse nec in media semper manus vola clavi fixi, sed superius paulo, qua cum brachio coit, id est, circa carpum. Sed puto equidem amplius; si corpus gravius, aut manus tenuior, adminiculum sæpe fuisse funes. Illos quoq; addi-

tos, & circa humeros aut pectus medium ad crucem adſtrictos. Hoc malim, quam cum aliis aſſerculum ſive tabellam inducere, in qua innixi & fixi ſimul pedes; nimis accuratą ea fabrica, imo delicata. Tamen in Chriſti Cruce Gregorius Turonicus agnoſcit: quia ne fuit, an quia pie imaginatus eſt? Tamen in picturis ſculpturiſq; priſcis etiam tabellæ hujus veſtigium exſtare audio; non ergo temere ſpreverim; non certe a Chriſti cruce: de aliis, audacius.

Poſt Adſtrictionem INSCRIPTIO. Quid ea eſt? Cauſa ſupplicii, & ipſum crimen, & Romana voce *Titulus*, qua & Johannes eſt uſus. Matthæus *αἰτίαν* bene & ſignanter dixit. Gloſſæ Græcanicæ veteres, Αἰτία, *cauſa. materia, titulus*. Eadem Latine, *Titulus*, ἔλεγχον. Latini etiam paſſim pro cauſa. Atque hic Titulus præferri ſolebat damnatis, cum circumducerentur: id quod etiam *Traduci* dicebant, cum oſtentui duntaxat per ora populi ducebantur, & ſæpe alibi puniendi. Sed & appendi, aut apponi damnatis ſolebat titulis: & ſic Gladiatores quoq; productos cum titulo, Quintilianus oſtendit. Sæpe etiam, neglecto aut ſpreto titulo, contenti Superdictione fuerunt, id eſt, ut Præconis præeuntis voce populo id nunciaretur.

Quæ poſt fixionem.

Bene jam & fideliter fiximus: quid poſt fixionem? Hæc tria, *Mors, Corruptio, Cuſtodia.*

MORS, lenta, moleſta, & vel a ſtillante paulatim ſanguine, vel a ſanie. Quid ſi etiam ab avium ferarumq; laniatu? videbimus, & ſingillatim deducemus. De ſanguine, quem dimittebant fixi, clarum eſt, nec teſtimoniis eget: & tum ea de cauſa, tum ex acri verberatione, quæ præiverat, credo invalidiores multos obiiſſe. Itaq; legas quoſdam diu in crucibus vixiſſe, ut ingenitum ſcilicet robur erat aut vires. Beatus Andreas in cruce ſuſpenſus, in ea populum docens biduo ſupervixit. Victorinus ſub Nerva, juſſus ſuſpendi capite deorſum, ita per triduum vixit. Timotheus & Maura in cruce novem diebus vivi pendentes, ac ſe ipſos in fide corroborantes, martyrium conſumpſerunt. Unde hæc vis aut vitalitas, niſi a vitæ ipſo fonte? Quamquam & alii quidam animoſe egiſſe in extremiſſimis iſtis rebus legantur: velut Bomilcar apud Juſtinum; qui patibulo ſuffixus foro medio, magno animo crudelitatem civium tulit; adeo ut de ſumma cruce, veluti de tribunali, in Pœnorum ſcelera concionaretur. Quidam etiam petulanter: ut poterculi apud Senecam, qui ex patibulo ſpectatores ſuos conſpuerunt. Quidam etiam miſeratione Principis aut Magiſtratuum e cruce ablati, poſt vixiſſe leguntur.

At de laniatu etiam addidi, & cauſam illam quoque feci mortis, Haud temere: quia ſic ligati, & cum ſeſe non commoverent, dati revera canibus laniena, atque avibus cunctis; atque id vivi etiam. Quin reperio in ſententia judiciali quoque id aliquando expreſſum. Itaq; Apuleius proprium hunc refert patibuli cruciatum, cum canes

&

& vultures intima protrahunt viſcera. Hinc diſcas licet, cruces non ſemper fuiſſe per-altas: quomodo enim, ſi canes attingerent, atque etiam lupi? Nam & hos Catullus addit. Iſtæ mortes. Niſi quod interdum lanceis etiam tranſverberati legantur. An ad accelerandum fatum, an explorandum? Illud fuit in Marcelliano & Marco: Illud in noſtro Domino, cui miles jam mortuo lancea latus aperuit, ſcilicet periculum an bona fide obiiſſet.

Non autem & crura iis fracta, inquies, atque ita interempti? Vulgo invaluit hæc opinio, ſed vulgo. Qui penetrant & examinant, vident diſparata hæc ſupplicia & ſeorſum fuiſſe. Induxit vulgum, quod in ſacra hiſtoria latronibus duobus crura fracta leguntur. Atqui ſciant, pro moribus Judæorum id fuiſſe; atque illic fortaſſe tantum. Et cur hoc Judæi? ne fraus legi fieret, quæ juſſerat, ad Solem occaſum ſuſpendioſos deponi. At deponi niſi mortui non debebant: diutius autem plerique vivebant: ergo hac, aut alia via mors feſtinanda. Alia etiam dico via, nec crediderim fuiſſe hanc ſolam.

Ergo Crurifragium proprie nihil ad crucem: tamen quia ſeſe ingerit, & vile atque item ſævum eſt juxta crucem, breviter de eo dicam. Vox ipſa proba & vetus. Gloſſæ priſcæ, *Crurifragium*, σκελοκοπία, atque alibi *Crurifrangium* recte etiam ſcribunt. Ipſa res antiqua: & jam Plauti, & ante, ævo, paſſim Crurifragium minati ſervis. Et credam, ut crucem ipſam, peculiare fuiſſe ſervis; ſed ita, ut liberi non immunes, ſive in crimine, ſive potius per ſævitiam vindicantis. Et in Martyres noſtros plurifariam ſic ſævitum. Modus hujus ſupplicii, ut incus cum malleo vel vecte ferreo inferretur, ac tibias incudi imponerent, validis ictibus ſic frangendas. Sublatum hoc ſupplicium a Conſtantino, Victor aſſeverat. Aliud autem eſt à fragio crurum. *Exſecare crura.* Hoc enim proinde eſt, ac nervos aut ſuffragines ſuccidere. Vetus ſævitia, & Annibali uſurpata in Romanos. Uſurpatum etiam fuit Tyrannis in Chriſtianos.

CORRUPTIO jam poſt Mortem: quam ſic intelligo quod nec mortuos deponerent, ſed tabo illic paſſi ſunt diffluere, & a Sole ac pluvia corrumpi. Hanc in cruce putrefactionem intellexit Theodorus Cyrenæus, cum Tyranno minanti eam, reſpondit: Sua nihil intereſſe, humi, an ſublime putreſcat.

Itaque hoc fine aſſervari in cruce, & deponi, rarum omnino fuit. Ne quis autem deponeret, Miles & CUSTODIA aſſedit. Poſſis ad hanc cuſtodiam illud Evangeliſtæ referre: ἔχετε κουστωδίαν ὑπάγετε. *Habetis cuſtodiam; abite.* Quæ Pilati vox fuit ad Judæos petentes aſſervari monumentum. Videtur autem intelligere cuſtodiam, quæ paulo ante ad crucem: niſi quis malit, *Habete cuſtodiam*; quaſi ab imperante, & indignanter dante. Vox enim Græca in utrumvis valet.

LIBER III.

DE MODO FIGENDI RARO.

ABunde, quæ ad *Vulgarem* crucifigendi modum, diximus : *Rarus* superest, quem ipsum pari cura imus expunctum. Eum supra descripsimus, (& vox præfert) sepositum, & minus in assiduo usu. *Sepositum* Ævo, *Inusitatum*, vel SCHEMATE, vel FINE. De his tribus ordine & partite dicam.

Modus Rarus Sepositus. Æ V O.

Ævo seposita *Furca* est ; olim quidem in creberrimo usu, sed quæ paulatim desiit atque abolevit. Mentio crebra non in historiis solum, sed Comœdiis priscis : mentio tamen magis, quam explicatio. Furca duplex : *Vetus* & *Nova*.

De Furca veteri.

Furca *Vetus*, priscis Romanis (non enim apud alias gentes legi) usitata : atque hæc rursus duplex : *Ignominiosa* & *Pœnalis*. Illa est,qua collo imposita servi circumduci solebant ob culpam aliquam, ostentui & ad irrisum. Hinc *Furcifer* dicebatur olim, qui ob leve delictum cogebatur à dominis,ignominiæ magis quàm supplicii causa, furcam circa urbem ferre, prædicans peccatum suum, & monens cæteros ne quid simile peccarent. Atque hæc illa prima est, ab ipsa re & fine *Ignominiosa* dicta;quæ origo aut exemplar tamen*Pœnalis*.

Pœnalis ea est, qua item collo impositi circumducti, sed cum verberibus, & pœnæ causa. Atque adeo mors plerumque huic consequa : sive sub ipsa furca ad necem cæsis, sive cum ea in crucem latis. Nec servi solum, sed & interdum liberi sub furca cæsi. Sed cum in crucem cum furca lati , ligati ad furcam, & sub ea cæsi, per viam ducebantur ; fixi deinde ad eam , tollebantur in crucem. Ergo sub furca ad supplicium acti : sed numquid in ea appensi ? Ita ; quia hæc Furca non aliud quam Patibulum fuit. Alligari autem brachia manusque ad hanc furcam solent, atque ita circumduci, mox in ea attolli. Hinc in Plauto legis : *Dispessis manibus patibulum habere.* Item, *Ire patibulatum per vias.* Atque hinc illa phrasis, *Patibulo crucis affigi*, quia Patibulum scilicet hoc sensu pars crucis Distinguit & Tacitus, *Patibula,ignes,cruces.* Et quod patens hæc transversaq; pars sic dicta, Seneca indicat. Sicut inferior defixusque stipes *Crux* proprie dictus.

Quæ forma Furcæ fuerit, obscure traditum in veterum scriptis. Ex his tamen tres elicio opiniones de Furca. *Prima*, Furcam potuisse esse facie, qua nostrum hodie Patibulum : atque idipsum reliquias & exemplar esse à pœna prisca. *Secunda*, lignum fuisse geminum, quod à tergo per humeros, & ante per pectus, hominem medium includeret, atque ita rectum ad expansas utrasque manus iret.

Tertia

Tertia,Furcam,veram esse furcam, quam hodieque dicimus,& quam Varro indicat, quod singula ibi extrema bacilla furcillata figuram habeant literæ V. Pro hac sententia multa sunt. Primum, quod furca δίκρανος, item δικρανιφόρος, *Furcifer*. Quid, quod in curribus hodie, qua temo cum axe coit, furca est sustentando illi aut fulciendo? Præterea cum de scriptione Dionysii convenire videtur examussim. Da furcam istam paulatim divaricantem; ab humeris per pectus, & inde manus veniat; est illud ipsum lignum, quod descripsit. Jam Plauti Carbonarium, quo nisi huc referas? Ecce qui lignarios fasces, aut Carbonum sacellos hodieque ferunt, furcam jungunt, cujus caput cum exstantia aliqua bacillorum, à tergo est, longiores duo fines diversi per pectus descendunt, & manu utraque (quasi contra nixum) sustentantur. Atqui, inquies, manus hic non in alto expansæ. Fateor, non in alto; expansæ tamen; & cum funibus traherentur, ligatis ad extremas manus, etiam protendebantur tollebanturque.

Suspensionis modus pro formis est distinguendus. Si prima placet, res facilis: in trunco abscisso,in paxillo infixo,imo in fissura superne facta, potuit firmiter appendi. Si altera; tum sic censeo, ductos quidem cum duplici ligno ad crucem, sed non cum utroque in eam actos. Quod ante pectus, dispositum putem, manus fixas in altero, atque ad ipsum in trunco, paxillo, fissura firmatum, ut prius. Nec absurda aut vero nimis extranea sententia est, cum & *Patibulum* reperiam singularem ejusmodi rectumque stipitem dictum. Atque ego amplius arbitror: etiamsi olim Furca alia facie fuerit: tamen commodi causa, & quia pronior faciliorque hæc appensio,successisse singulare hoc rectumque lignum, & id tulisse in humeris, manibus inibi revinctis, in eoque mox figendis. At si tertia sententia sederit, duplex potuit fuisse suspensio. Prior ista, quod hominem sic revinctum clavis in loco fixerint, tum furca sublatum appenderint funibus iis ipsis, quibus traxissent, vel etiam aliis. Posterior, quod furcam ipsam, sed inversam,in trunco aut paxillo appenderint.

De Furca nova.

Sequitur Furca *nova*, quia ævi inferioris inventum. Ea est instrumentum è ligno triplici, forma jugi veteris, cui appensos homines laqueo strangulamus. Hodie quoque usum & speciem hanc habet in pleraque Europa: priscis incognita. Pœna quidem laquei Homero expressa, qui facit impudicas ancillas ab Ulysse sic puniri: atq; idem *infamem* & *impuram mortem* vocat; Plinius *præposteram*,quia spiritus intercluditur, cui exitus quærebatur. Panegyrista appellat *fœmineam*, Victor *postremam*, est enim ignava & vilissima mors. Illud mortis genus à Græcis usurpatum vix invenias; nec à Romanis quidem in publico; etsi ii in carcere damnatis gulam laqueo frangebant, sed non ut appenderent. Credo cœpisse, cum crux desiit, & vicariam illi factam, Isidori quidem ævo nomen hoc & usum habuit.

buit. In libris legum, quas Tribonianus atque ejus adjuvæ collegerunt, satis frequens hoc nomen: & ut opinor, significatione novicia, quia sublato crucis supplicio, quidni etiam Furca vetus? Itaque ipsos Jurisconsultos usurpasse, non habet fidem apud Juris & moris antiqui peritos, qui vere notant, substitutum id pro cruce: causa aperta & liquida, quia Constantinus lege lata sustulerat crucem. Ergo ipsi quoque, qui leges collectum ibant in ævi illius & sequentis usum. Quo ipso sensu inferiores Græci dixerunt φουλκίζειν, *in furcam agere*, asperiore illa litera mutata. Credo autem, hanc furcam primo non nisi dimidiatum Patibulum fuisse, id est, facie adhuc aliqua furcæ; paulatim, & quo plures appendi possent, immutasse.

Modus rarus & inusitatus à SCHEMATE.

Alter modus, qui *Schemate* a Vulgari diversus, est, cum alio atq; alio habitu hominem affigebant. Id quoque factitatum, ut ingeniosa est crudelitas in pœnas. Hæc schemata varia fuere. Est illud, quod *Inversum* dixeris, cum hominem in caput suspendunt, pedibus sublatis. Martyribus in Ægypto id factum, Eusebius ostendit. Quod ipsum in D. Petro, sed eo rogante, ne assimilaretur magistro. Et Petrum quidem etiam clavis inibi fixum, Chrysostomus testatur. Sicut & Calliopius Martyr. Tamen in funibus adstricti, ut Philippus Apostolus.

Reperio & obliquos super crucem crucesve positos. Legitur id in Plutarchi Artaxerxe. Et hæc *Obliqua infixio*. Video & inter duos palos dispessis manibus pedibusque alligatos: ut in Martyrologio de Anastasia. Hæc *Decussata*. Video & inter arbores appensos, & reductis, iis scissos. De Corona Martyr. Quod ipsum Schema ad cruces refert Propertius.

Modus inusitatus à FINE.

Tertius figendi modus Rarior, qui *Fine* divertit à vulgato, est, cum cruces alio spectant, & hominem capiunt moriturum in ipsis, non per ipsas. Tale, cum appensi flamma aut fumo necati. Olim factum ex Cicerone discas. Alexander etiam Imperator quempiam, qui fumum vendiderat, quasi compari pœna affecit. Atque in nostris Martyribus hoc genus crebrum: ut in Pionio, & Polycarpo, antistite Smyrnæorum. Quin uno etiam tempore plures appensi pedibus in sublime, capite verso deorsum, suffocati fumo, & lento igne consumpti sunt. Et Tertullianus significat, adeo crebrum in majores illos nostros & in religione Proceres supplicium hoc fuisse, ut in illudium convitiumque venerit; & Christiani vulgo *Semaxii*, a stipite, cui adstringebantur; & *Sarmenticii*, a sarmentis, quibus urebantur, sint dicti. Lapidibus etiam in cruce obrutum Philippum Apostolum, videtur vulgata opinio esse.

Crux & ista *Fine* alia, cum homines in ea fixos bestiis objiciebant. In publicis spectaculis id sæpe factum. Sic Blandina Martyr, in ligno suspensa, prostituta est esca & laniena incurrentium ferarum. Sed

factum

factum & non Christianis. Atque ad hunc ipsum morem infamis & infanda illa turpitudo Neronis, qua viros fœminasque ad stipitem ligatos, ipse feræ pelle contectus, emissus è cavea, medios invadebat.

Postremo Crux sine alia, cum non vivi, sed mortui in ea appenli. Notabis &, quod nobis solenne in rota exponere supplicio jam affectos, ad notam sceleris & infamiam, id olim in cruce, & Orientalibus præsertim. Plerumq; id factum post mutilationem, membrorumq; fractionem, aut etiam excoriationem. Nam deglubere olim crebrum Orientalibus; & antiquum hunc morem excoriandi in suppliciis, Ægyptiis Persisque fuisse legimus; quem & hodie Ægyptii tenent. Nam grassatores sicariosque ita puniunt, diu vivos, donec ad umbilicum carnifex perveniat.

De Materia & Loco crucis.

Peregimus de Forma & Modo: duo velut succisiva & extra divisionem relicta, nunc adjungo, *Materiam* & *Locum*. E qua materie crux? Ex obvio & prompto aliquo ligno. E qua nostri Salvatoris? Censemus è quercu. Primum, quia viri fide digni asserunt, frustra sacratissimi hujus ligni, quæ hodie exstant, speciem hanc referre. Tum, quia crebra & frequens in Judæa olim & nunc quoque illa arbor. Tertio, quia robustum lignum, & fixioni laturæque aptum. Quod superioris aliquot ævi scriptores tria aut quatuor genera ligni in Cruce dominica agnoscunt, (Cedrum, Palmam, Cupressum, Olivam) curiose magis dictum, quam vere.

At quis *Locus* cruci? Incertus, & pro arbitrio; tamen plerumque conspectus aliquis, & juxta vias. Exempla enim exempla esse desinunt, nisi aliorum animum oculosque in se vertant. Quin etiam oppida certa loca habuisse videntur, huic rei attributa. Hac ipsa de causa polita ea sæpe in monte: ut Servatoris nostri in Calvariæ. Quin ipsa sæpe alta, præsertim in noxio aliquo insigni. Irrisio Galbæ huc pertinuit, qui cuidam imploranti leges, & civem Romanum se testificanti, quasi solatio aliquo pœnam leuaturus, mutari, multoq; præter cæteras altiorem & dealbatam statui crucem jussit: altiorem, ut digniori: albatam, ut civi, qui in veste alba; sive etiam, ut magis notabilis conspicuaque esset. Jam illa Amanis præalta, qui Mardochæo crucem 50 cubitorum posuit, sed ipsi ascendendam. Sane pleræque omnes altiusculæ.

Crux quatenus usurpata.

Nunc pedem in ultimo velut spatio pono, quod est, *Quatenus* crux usurpata. Postquam enim vitam ipsam interfecit, non diu illi vita; & sustulit ex humanis, aut certe Romanis rebus Constantinus. Serio jam ille Christianus, noluit salutare signum subservire ad perniciem; & colendum illud atque eximium, pœnis vilescere damnatorum. Ergo sustulit; atque efficaciter etiam sustulit, nec postea reperies reductam. Sed sero sustulit, nec nisi sub imperii extrema, & vitæ finem.

Hic exitus Pœnalis crucis fuit, & jam cœpta à Conſtantini primordiis Salutaris noſtra honorati. Cauſa & origo à victoria contra Tyrannum. Nam cum Maxentium aggreſſurus eſſet, ambigenti & animo anxio ob iſta, figura ei crucis media die, ſtellis effićta, apparuit in cœlo,& ſcriptura circa eam Romanis litteris, *In hoc vince.* Igitur ex auro ſtatim ſubitario opere efformans crucem, juxta ſpeciem quæ apparuiſſet,& hanc jubens prægredi exercitum,cum Maxentianis prælium commiſit, & ſuperavit. Itaque ſtatim victrix illud ſignum militaribus ſignis inſeruit, & maxime labaro, quod inter ea primum.

Nec vero in ſignis ſolum crux expreſſa, ſed etiam ipſorum militum armis, clypeis & galeis: ſed ita, ut Chriſti quidem nomen ipſum (literis & notis, quibus in labarò) clypeis inſcriberetur, galeis autem imponeretur ſuperne crux ipſa. Et merito Chriſtus in clypeis, eo ritu, quo ſolent nomina Imperatorum. Atque etiam hodie Conſtantinopoli ſunt columnæ, a Conſtantino, ut putatur, in quarum baſibus clypei cum his notis.



Sed & crucem in ſuum caput, & ad diadema effigiemque imperator tranſtulit. Et videtur ab ipſo eſſe Conſtantino. Exemplum ſecuti Imperatores alii, in quorum nummis hodieq; cruces varie videmus, etiam quorundam, qui nec Chriſtiani. Alias victoriæ ſunt, quæ manu eas levent; alias ipſi, idque dupliciter: aut enim ſolam eam geſtant: aut globulum, cui ea infixa. Quin Principes Byzantini in progreſſibus publicis crucem hanc ſuapte manu prætuliſſe legimus. Ab hoc ritu etiam nunc crucifer ille globus inter ſacri illius Imperii inſignia.

Hoc Signum,*admirandum & venerabile* Imperator appellat,Nov. 5. Eaque cauſa vetitum in lapidibus ſculpi, qui in ſolo. Quamquam autem è pavimentis templorum remota, non etiam è tectis. Fulſit jam olim ibi clarum certumque Symbolum Chriſtiani cultus.

De

De Vesta & Vestalibus Syntagma.

INter antiquas religiones,ea,quæ VESTAM spectat, fuit præcipua; Romanis quidem.

Quid Vesta.

Vesta plurium sensu, Saturni & Rheæ filia, sorores habuit Cererem & Junonem, ipsa natu prima: fratres, Plutonem, Neptunum, Jovem. Alii tamen dissident, & Urani sive Cœli uxorem Vestam faciunt. Mystica hæc sunt, ut verbo absolvam, varie tradita, sed in re & interpretatione concordant. Nam Cœli uxor Terra fuit, ex iis omnia nata: & Vestam ipsam passim Terram interpretantur. Et a similitudine, quia mensa nos alit, itemque rotunda est, sicut Terra, notat Plutarchus, Mensam ipsam quibusdam *Vestæ* nomine dictam. Causam deinde & hanc dat prisci moris sive religionis, ne mensa vacua relinquatur: nam nec Terram sic esse volumus aut optamus. Hinc Vestam & cum Cerere quidam confundunt, quæ ipsa est Terra: sed distinguenda; quod hæc terra dumtaxat fertilis & frugifera; illa (Vestam dico) ea universa. Inde & nomen petunt, quasi quod vi sua stet & immota libretur. Alii (ut Servius) quod variis vestita sit rebus.

Est etiam crebra, imo passiva opinio. Vestam ignem esse. Vox Græca adsonat, qui ἑςίαν appellant *Focum*, sive ἐσχάραν. Est igitur ista quasi Publicus focus, sicut privatim in ædibus alii consecrantur; eoque haud absurde Macrobius, Vestam inter Deos Penates, aut certe comitem eorum recenset. Sunt qui *Statam matrem* hanc eandem opinentur; sed opinentur. Augustini traditio, ut fidem habeat, vix exempla, Vestam etiam Venerem dici. Nostra Vesta Græcis Latinisque culta, inter præcipua numina fuit,atque adeo inter duodecim illa prima.

De cultu & origine Vestæ.

Sed ad Romanam proprie Vestam ut veniamus, (id institutum) unde ei exemplum; & quando origo? Exemplum a Trojanis, atq; una cum Ænea in Italiam venit. Nam primitus culta in Ilio, extulitque Æneas; elatam Lavinii constituit, condita a se urbe, & sede regni: Inde in Albam Longam transtulit Ascanius: & denique ab urbe ea matrice coloni Romam. Origo igitur a Trojanis, & Alba: imo mansit sacrum Albæ, etiam si Roma jam accepisset. Sed quando traducta? tempore Romuli, ut quidam volunt; sed tamen communiter fama ad Numam refert.

De Templo Vestæ.

Numa templum Vestæ instituit, & quidquid ad certum & solennem ejus cultum. Id fuit situm inter Capitolium & Palatium,medio fere spatio, & extra Romulæam urbem, quæ radicibus Palatii fere

ter-

terminabatur. Condidit Numa anno Urbis quadragesimo, id est, regni sui secundo. Olim id vile, sed postea ære & marmore nituit.

Rotundum fuit id templum, quia Vesta Terram notat, Terra autem rotunda. Illud de die omnibus patuit, at pernoctare nemini masculo fas fuit: intrabant quidem viri, non penetrabant, aut pernoctabant. In hac autem æde negant simulacrum ullum fuisse. Quæ ut ita sint, tamen Vestæ imago passim in nummis aut statuis expressa; hodieque extat. Plinius sedentem effingi solitam ostendit, à stabilitate; sed nummi hoc amplius, & sedentem exprimunt, & altera manu facem, altera discum sive pateram libatoriam præferentem. De face, ad ignem pertinet: de disco, ad sacrificia solenniter & perpetim oblata. Interim etiam stantem in nummis videas.

Estne aliud Vestæ templum? aliud, falsum, & verum. Falsum, quod Antiquarii hodie attribuunt, ad Tiberim, juxta Forum Piscarium, sub Aventino. Ædicula extat, forma rotunda, & extra murum interiorem columellæ 18 velut porticum formant. Quia rotunda, quia extra pomœrium Romuli, faciunt veterem illa Numæ esse. Falli arbitror; nec assertor huic opinioni, in isto quidem loco, erit: & quis nescit, aliorum quoque Deorum templa sæpe ea forma fuisse? Quod autem extra Romuli pomœrium; valde quidem: etiam extra Numæ. Sed ante diximus, hanc veram jam descriptam, item extra finitionem illam fuisse. Ergo hæc valeat: altera est vera, & a nobis eruenda, in Palatio collocanda.

Augustus cum omnino in Palatio habitare vellet, & mos tamen ac cæremonia haberet, Pontificem Max. in domo publica juxta Vestæ habitare; ipse Vestam potius ad se transtulit, & SC. partem domus suæ publicavit, atque alteram illi consecravit. Ovidius notat, Patres ita censuisse; qui scilicet proni tunc valde in Principum desideria sive affectus. Imo non partem tantum, sed mox totam publicavit. Hæc autem Regia domus erat in Sacra via, non procul à Vesta. Etsi Regis Sacrificuli domus fuisse etiam videtur propior, quam ipsam Vestalibus Augustus dono dedit. Ibidem & Atrium Vestæ, quod Regiæ huic adjunctum. Hoc Atrium virginum habitationi serviebat, ut Regia proprie dicta Pontificum. Illic igitur egerunt, sed vi morbi exierunt, quia locus scilicet parum laxus, nec ægrorum curæ. Etsi major tamen jam ab Augusto, Regia etiam iis concessa; sed neque hic amplus.

De Vestalibus.

Satis de ipsa Dea, & templo; de ministerio alioque ejus cultu videamus. Ministræ Vestales fuere, atque eæ virgines. Causa duplex, Prior, quod Juno & Ceres, sorores Vestæ, ambæ peperisse feruntur, restitit una de tribus, impatiens viri, nempe hæc Vesta. Altera causa, quod Vesta ignis, qui nihil gignit. Cicero & duas alias dedit: *Vestæ colendæ*, inquit, *virgines præsunt, ut advigiletur facilius ad custodiam ignis; & sentiant mulieres, in natura fæminarum omnem*

omnem castitatem peti. Advigilent facilius: quia liberæ à viro, prole, aliis curis. Castitatem peti: cum virgines placere Diis vident, ipsæ, pro parte sua quæque, sint castæ. Potest & ab exemplo esse. Nam Plutarchus scribit, in Græcia quoque, ut Athenis, & Delphis, & sicubi servatur æternus ignis, præesse si non virgines, tamen viduas & a viro castas. Usus ergo obtinuit Romæ, ut parvæ & tenera ætate caperentur, certæ pudicitiæ, & vitii expertes. Minorem enim quam annos sex, majorem quam annos decem natam, capi fas non erat.

Multæ non erant, nec crebræ istæ lectiones; nam ægre parentes in hanc velut custodiam, & adactam virginitatem, suas dederunt filias. Numa in universum quatuor eas instituit, cepitque, Geganiam, Veraniam, Conuleiam, Tarpeiam. Duas inde alias Servius Tullius addidit, sive ante eam potius Tarquinius Priscus; & sic sex semper fuerunt.

Modus capiendi Vestales.

Quot captæ fuerint, vidimus: nunc & Modum capiendi collustremus. Hoc enim verbo solenniter utebantur, causamque dat A-gellius: *Capi virgo propterea dici videtur, quia Pontificis Maximi manu præhensa, ab eo parente, in cujus potestate est, veluti bello capta abducitur.*

Cepit primas ipse Numa, & jus deinceps capiendi voluit apud Reges esse. At pulsis Regibus Pontifex Maximus in locum venit; sed non libera prorsus electione, legibusq; suis adstricta. E quibus Papia fuit, qua cavetur, *uti Pontificis Maximi arbitratu virgines è populo viginti legantur, sortitioque in concione ex eo numero fiat, & cujus virginis ducta erit, ut eam Pontifex Max. capiat, eaque Vesta fiat.* Ergo arbitratu Pontificis lecta, nempe ut jus probandi rejiciendique ipse habeat, &, sitne idonea, dijudicandi. Nam non ætatem solum, sed *Genus*, *Corpus*, *quæque adhærent*, inspici solent, & ut omnia apta honestaque ministerio essent. In *Genere* quidem, ne cujus parentes, alter ambove, servitutem servissent? aut in negociis sordidis diversarentur. Item excusari, cujus pater Flamen, Augur, Quindecimvir, aut Septemvir, aut Salius est: & talia minuta, quæ in Agellio legas. In *Corpore*, ne lingua debili, sensuve aurium diminuta, aliave qua corporis labe insignita sit. *Quæ adhærent*, ut patrima sit & matrima, ut ne emancipata sit, & talia.

Sequebatur in lege, *virgines viginti*. Magno satis numero ad unam dumtaxat capiendam; sed causa est, ut sors levior accidat, sparsa sic per plures. Addit, *E populo*, toto, inquam, populo. Non enim e Patriciis tantum, sed & plebeiis. Imo vero Augusti ævo, præter legem moremque veterem, etiam ex libertinis captæ. Sequitur, *sortitionem in concione fieri*, in concione, Comitiis, puto, Curiatis, ut coram testibus res fieret, & dignitas sacerdotio adcresceret dignitate actionis. Sortitio autem adhibita, ut quasi divinitus legi excer-

excerpique è pluribus talis videretur. Nec tamen ſemper ad ſortem ventum: oblatio locum habebat; & talis, ſi apta, præferebatur. Habet deinde lex, *Eam Pontifex Max. capiat.* Atque ipſa verba ſolennia capiendi ſunt hæc: SACERDOTEM. VESTALEM. QUÆ. SACRA. FACIAT. QUÆ. JOVIS. SIET. SACERDOTEM. VESTALEM. FACERE. PRO. POPULO. ROMANO. QUIRITIBUS. UTI. Q. QUÆ. OPTUMA. LEGE. FOVIT. ITA. TE. AMATA. CAPIO. *Amata* autem inter capiendum à Pontifice ideo vocatur, quoniam quæ prima capta eſt, hoc fuiſſe nomine traditum eſt.

De Diſciplina Veſtalium.

Sed jam igitur captæ, & ſic puellæ & teneræ; quid deinde? Diſciplina ſequitur,& quomodo ad miniſteria ſua factæ. Deducebantur in Atrium Veſtæ, atque ibi à ſenioribus ad ritus & ceremonias omnes (pluſculæ erant) inſtructæ. Nam in tres velut claſſes, etſi parvus hic numerus, dividebantur: *Diſcentium*, *Exercentium*, *Docentium*. Tempus tricennale eas manere oportebat; quo tempore decem annos diſcere, decem ſacris operari, decem docere debebant. Itaque non niſi 30 annos obligabantur, & ante nefas excedere; poſt id tempus licitum nubere, haud peſſima adhuc ætate. Nam pone ab anno 7 (id licebat) ingreſſam: ergo anno 37 fas virum quærere, & ætate etiam frui. Ergo & interdum nubebant; etſi antiquitus obſervatum, infauſtas fere & parum lætabiles eas nuptias fuiſſe. An eadem autem annorum terminatio Albæ, unde oriundum hoc ſacerdotium? non videtur; lex Albana paulo durior Romana, & 50 annis manendum fuit. Et obſervamus, pleraſque ad ultimam ætatem in ſacerdotio perſeveraſſe.

Omnes *præſidere ſacris*, itemque Antiſtites vel Antiſtitæ dicebantur. Etſi ordo tamen inter eas fuit, ſed miniſterii & ætatis. Una enim, quæ vetuſtiſſima, *Maxima* dicebatur: quod ad ætatem referendum.

De Muneribus Veſtalium.

Numerum, Capturam, Diſciplinam, Ordinem, habemus: ad *Munia* earum tranſeamus. Neque enim vacuæ unquam aut feriatæ habitæ, ſed plures frequenteſque operæ, & mireris tam paucas ſuffeciſſe. Tria præcipua, in quibus deditæ: *Vigilare*, *Adſervare*, *Sacrificare*.

Vigilia Veſtalium.

Vigilia ad ignem ſpectavit, quem ſine intermiſſione ali opus & reparari. Itaque *æternum*, ſive *ſempiternum*, dicebant. Voluit enim Numa, ſicut ſidera æternum lucent, ſic debere, virginum aſſidua cura atque opera, hunc ignem. Atque ita erat, nam ignis exſtinctionem ſuper omnia gravia & timenda Romani timebant; interitus aut immunitionis Reipublicæ id ſignum interpretantes, à quacumque tandem cauſa evenerit. Et miſeras Virgines, ſi eveniſſet? Nam ignis Veſtæ ſi quando extinctus eſſet, verberibus afficiebantur à Pon-

tifice.

tifice. Sed pudore virgineo tamen ſalvo, in loco obſcuro, & velo medio interpoſito. Vigilia per vices iviſſe videtur, & ſingulæ ſuis noctibus duntaxat excubaſſe.

Quod ſi autem extinctus ignis; ſua & certa ratio accendendi iterum erat. Mos erat, tabulam felicis materiæ tamdiu terebrare, quouſque exceptum ignem cribro æneo virgo in ædem ferret. Quam rationem eliciendi ignis Simplicius in Ariſtotelem etiam agnoſcit: *Ignem è lignis excutiunt, alterum lignorum, tamquam terebram, in altero circumvertentes.* Hoc genus Igniarii Theophraſtus agnoſcit, & terebram e lauru ſæpe factam oſtendit, & addit, alia quædam item ligna, ut rhamnum. Tangit & Iſidorus Peluſiota, & hodie aſſiduo uſurpant occidui Orbis Indi. Similis cæremonia Græcis fuit; ſed paulo diverſa: nam ſiquando ſacer ibi ignis devixit, negant, eum fas eſſe ex alio igne accendi, ſed novum parandum eliciendumque ex ipſo Sole. Addo, Romæ etiam, ſine interſtinctione ulla ignis, ſolitum novum accendi, novo anno, qui tunc primo Martii: cum enim Veſtales à Numa inſtitutæ, nondum ſic auctus & correctus annus. Eodem illo primo die reliqua ſcilicet, innovabant, & laurus veteres tollebant, novas ſubrogabant.

Adſervatio Veſtalium.

Alterum Veſtalium munus fuit, *Adſervare.* Quid autem? arcanum *imperii pignus*, ut appellabant. Quid autem pignus iſtud, & cujuſmodi fuerit, in arcanis habebant. Et ideo variant auctores. Alii ſervari ſacrorum partem e Samothracia, quæ Dardanus Trojam, Æneas in Italiam advexerit, & cum Penatibus alii confundunt. Alii cœlo delapſum Palladium, quod verum idem Æneas aſportarit; nam falſum & ſimulatum Achivos furto ſuſtuliſſe. Et hæc de Palladio opinio in vulgus maxime recepta eſt, & nobile illud fecit ac decantatum.

Quid appellamus Palladium? Palladis minutam effigiem, Græcanica ſermonis forma. Multa ſuper iſto multi. Apollodorus intelligendo ſufficiet: *A cœlo hoc delapſum eſt, & Ilo Regi traditum. Erat autem magnitudine tricubitale, habitu quaſi ingredientis, dextra haſtam ſublatam præferebat, ſiniſtra fuſum & colum.* Viris videre nefas, ſolis ergo virginibus fas. Sed nec Pontifici maximo fas, etſi eſſe ſciebat & coli. Itaque nec impune Metello fuit vidiſſe, cum, trepidantibus virginibus, irrupit in ardens penetrale, ut ſacra e flammis eriperet & ſervaret; qui proinde orbam luminibus exegit ſenectutem. Tertia opinio eſt eorum, qui dicunt, duo dolia recondi haud magna, atque unum ex iis plenum eſſe obſignatumque, alterum vacuum; utrumque tamen ſolis virginem oculis uſurpandum. Igitur incerta hæc: Et bono religioſoque animo Dionyſius: *Quæ iſta ſint, neque me, neque alium, qui religioſe Deos & divina colit, inquirere curioſe oportere arbitror.* Atque ipſi ſane Romani velabant, ſi non vetabant. Itaque in operto habebant, in adyto & penetrali,

netrali, quod *Penum* vocabant. Penus enim vocatur locus intimus in ſede Veſtæ, tegetibus ſeptus, qui certis diebus circa Veſtalia aperitur. Ii dies religioſi habentur. Penum ſolæ virgines, & Pontifices, adeunt: Pontifices quidem non ut videant, ſed iis ſatis, adire. Nam Palladium nudum non viſum, ſed velamento ſuo ſive ſeria obductum.

Sacrificia Veſtalium.

Tertium munus *Sacrificare*: atque ad aſſiduum pene erat; diu noctuque. Armata virgo dicebatur ſacrificans, cui lacinia togæ in humerum rejecta. De quo cultu aliquid Feſtus: *Suffibulum, veſtimentum album, prætextum quadrangulum, oblongum, quod in capite Veſtales, cum ſacrificant, ſemper habent; idque fibula comprehenditur.* De ſacrificiis autem ipſis, aut eorum ritibus, longum & tenue ſit hic dicere.

Aquæ etiam curam habebant Veſtales, ſed non aliam, opinor, quam quod fonti Camœnarum præeſſent, exque eo ſolo aquam ad ſacra peterent: idque ex mandato Numæ. Poſſit ſane aliquis ad Phyſiologiam referre; quaſi duo rerum principia coli Numa voluerit. Ille fons Veſtalibus dedicatus, ſacer habitus, & in Deos etiam relatus, delubrum poſtea accepit. Hinc *Fontinalia*, fontis ſacra. Fuit & alia aqua Veſtæ haud longinqua, Juturnæ fons & lacus. Sed nihil ad noſtram rem.

Præmia & honores Veſtalium.

Munia, & labores vidimus: nunc juſte *Præmia & honores*, quibus ad illa excitatæ. *Primo*, jus teſtandi habebant, vivo patre; ſcilicet, quia ſtatim exibant ex patria aliaque omni poteſtate; & ætatis deliquium leges benigne ſupplebant. Adeo ut vel ſexennes, id eſt, primo anno quo captæ, teſtari poſſent.

2. Præmia habuerunt, quæ trium liberorum matres: quod non quidem Numa, ſed Auguſtus inſtituit.

3. Alius honor; præcedere & deducere eas lictorem: Id quoque non a Numa, ſed Triumviris referunt acceptum. Cauſam ſive πρόφασιν habet Dio Caſſius; quod una aliqua earum veſperi à cœna rediens & incognita, male habita ac violata eſſet. Tutela igitur & decus, lictor additus. Iſtis Conſules Prætoreſque via cedebant.

4. Morte liberabant, ſi reo, ad ſupplicium qui ducitur, fortuitu factæ ſunt obviæ. Oportebat autem jurare, a caſu, non à conſilio fuiſſe hunc occurſum. Non quod illæ ad juramentum cogerentur: ſed veniſſe in forum & teſtes adhibitas conſtat: at religionis honore voluerunt vel injuratis credi.

5. Si quis lecticam earum aut ſellam ſubiſſet, per proterviam aut laſciviam, & quaſi velandis illis revelandis: vel ſi quis in idem vehiculum aſcendiſſet, morte luebat. Factitatum enim tale aliquid ab improbulis in matronarum tranſvectione: ſed hic honori virginum morte vindicatum. Veſtales enim lectica aut ſella latas, ſed plurimum pilento ſive carpento, tecto ſuperne, & cameræ in modum arcuato.

cuato, vectas legimus. Hoc pilentum non nimis diversum à Thensa (id quoque enim vehiculum sacrorum) quod ad formam, sed hæc Diis adtributa, illud eorum etiam ministris.

Ornamenta aut insignia Vestalium.

Isti honores sive prærogativæ Vestalium ex Plutarcho, aliæ alibi reperiuntur, opportune adtexendæ. Sicut in ipso cultu aliquid eximium. In primis Vittæ in capite, ut in Deo Deæve consecratis. Vestes etiam iis purpuratæ fuerunt: nempe prætexta eæ usæ, id est, limbo in oris purpureo: ita enim Magistratus & Sacerdotes solebant: ergo & Vestales, ut supra in Suffibulo observes. Non unguento iis, non floribus, non veste uti concesserunt, nisi alba. Quæ vera sunt, & inducta contra lasciviam: sed purpuratas eas, non purpureas, dicimus fuisse. Et obiter noto, & jocos & cultum scitiorem, vetita: omnisq; cultus luxuriosior, conversatio cum viris licentior, iis interdicta. Veste alba usæ, sed limbo punicante; non tamen florida aut variegata, ut aliæ solebant. In carbaso etiam aut tenui lino fuerunt.

Nec de cultu aliud, nisi capillum in spiras quasdam plexum & divisum, tum vittis illigatum, a tergo & in cervices annulatim dependisse. Aliquis etiam ambigat, an non tonderi solitæ, ritu nostrarum Virginum, quæ Deo sacrantur? semel igitur tonsæ, atque in ingressu, fortasse: & capillum hanc Deæ Vestæ suspendebant. An & alias crinem eo, caducum, vulsum, scissum, deferebant? in obscuro hæc, atque etiam in parvo.

De stipendiis Vestalium.

Præter hæc ornamenta aut insignia, accessit etiam res & fructus, id est, stipendia & opes. Numa enim his de publico stipendium statuit, ut, vacuæ scilicet ab aliis curis, Deæ & sacris operarentur. Et credo agros à Numa adtributos, quorum vectigalibus alerentur. Sed & Augustus adjecit. Imo & alios agros habuerunt, a privatis pietatis ergo (ut hodieque solet) legatos: quos omnes fiscus eripuit, sub Valente & Theodosio Principibus, invidiosa & diserta Symmachi querela; & Ambrosius contra obducit.

Sed præter agros, video & pecuniam interdum cepisse. Tacitus de Tiberio: *Corneliæ Virgini, quæ in locum Scantia capiebatur, HS vicies dedit*: quæ sunt nobis 50000 Philippæorum. Unde non immerito objicit iis Ambrosius, Privilegia maxima, lucra ingentia.

Atque inter privilegia addamus, etiam ludos certo & honestissimo loco spectasse. Auctoritas earum maxima, & in precibus, aut alia re, vix repudianda. Cicero, cum pro Fonteio causam diceret, sororis ejus Vestalis intercessione usus: *Superbum sit*, inquit, *ejus obsecrationem repudiare, cujus preces si Dii aspernarentur, hæc salva esse non possint*. Atque inter exempla est Claudia Vestalis, quæ fratrem injussu populi triumphantem, adscenso simul curru, usq; in Capitolium prosecuta est, ne vetare aut intercedere cuiquam Tribunorum fas esset. Adeo & leges, & magistratus reveriti sunt hanc impotentem, ut sic dicam, potestatem.

De

De Pœnis Vestalium.

Hæc Præmia igitur, sed virginum; nam pollutarum *Pœnæ* etiam grandes & graves. Vetus lex fuit Festo tradita: *Probrum virginis Vestalis ut capite puniretur: vir qui eam incestavisset, verberibus necaretur.* Sed cujus hæc lex? credam Numæ regis, qui simpliciter statuit, incestam lapidibus obrui, sine alia supplicii Pompa. Alia autem Albæ, ante Romam conditam, quæ juberet pollutam virgis ad necem cædi. Sed Tarquinius Priscus, qui numerum earum auxit, idem & pœnam, & conspicuam magis horrendamque fecit. Clare narrat Dionysius, & Pinariam quandam primam supplicio isto affectam: verba ejus digna apponi, & illustrari: *Pœnæ*, inquit, *delinquentibus graves constitutæ, quarum arbitri & exactores sunt, ex lege, Pontifices*, quod in omni earum culpa sive delicto obtinuit, causamque apud hoc tribunal dixere. Et Pontifices omnes, id est, Collegium judicavit; Pontifice tamen maximo convocante, & præsidente. Moneo, etiam, inferiore ævo aliquid huic Pontificio detractum, & cognovisse quidem de culpa, pœnam tamen non exegisse; quæ Præfecto Urbis reservata fuit. Pergit Dionysius: *Qui virgis quidem cædunt compertas levioris delicti: probrosas vero & incestas fœdissimo & maxime miserabili mactant supplicio. Vivæ enim, funebri ritu & pompa, efferuntur, amicis & cognatis cum luctu & lacrymis comitantibus.* Plutarchus hoc expressius, qui scribit, lecticæ inditam per forum efferri, clausæ undique & loris revinctæ, ut ne vox quidem ejus possit exaudiri. Idem non amicos tantum, sed totam civitatem in luctu ponit & gemitu, neque ullam in ea diem tristiorem. Obvios autem via decedere, vasto ubique silentio, attonitosque omnes stare, aut comitari. Iis vero, antequam deducerentur, ablatæ vittæ & ornamenta, quia scilicet polluissent. Amplius Dionysius; *Delatæ autem ad portam Collinam* (ad locum nempe, qui *Sceleratus campus* ideo dictus) *intra muros* (Plutarchus *Aggerem* dicit; non tamen existimo totum aggerem, sed proximam tantum portæ partem ejus huic usui applicatam) *subterranea in cella, cum funeralibus ornamentis disponuntur*, quod accipio, ipsas ut cadavera velatas & cultas Zonoras dixit, lectulum appositum, & lucernam, & mensam cum cibis; & causam adjungit Plutarchus, ne sacratissimum illud corpus videretur fame consumptum. Priusquam vero deponerentur, Pontifex maximus arcanas quasdam preces, manibus in cœlum sublatis, fundebat: tum ipse sua manu eductam e lectica in scalis constituebat, & sic carnifici ac ministris supplicii tradebat. Itaque his gestis, scalæ attrahebantur, ædicula multa homo injecta contegebatur, donec reliquo aggeri solum adæquaretur. Sed vinctam illam ibi; aut stantem sedentemque obrutam, nemo declarat: putem in lecto depositam. Claudit deinde Dionysius: *Nec monumento porro dignatæ nec parentalibus, aliisve solennibus defunctorum.*

Hoc

Hoc supplicium; causam assignat Ovidius: *quid quam violavit, in illa Conditur*, Etsi duplex etiam alia in Plutarcho. Vel, *quia Romani igne mortuos cremant; igne autem funerare eam, quæ ignem parum caste coluit, iniquum erat.* Vel, *quia corpus maximis consecratum cæremoniis occidere, aut manus mulieri adferre, nefas putaverunt. Sub terram igitur condi, cum victu apposito, ut quasi sponte examinata videretur.* Atque hæc solennia. Principes interdum immutarunt, aut mitigarunt.

Quando desierint Vestales.

Finivi de Vestalibus, quæ & ipsæ finem suum sub Christianis mox Principibus invenerunt, extremo Theodosii senioris ævo. Nam etsi concussæ antea, & periclitatæ sub Valentiniano, Theodosio, Arcadio; tamen animam traxere ad ultimum Theodosii, id est, 17 Imperii ejus annum, cum ille templa claudi & sacrificia tolli lege jussit.

Ignis cultus alibi.

Lubet pro Corollario addere, ubi locorum præcipue cultus etiam ignis, sive imago aliqua Vestalium fuit.

Apud Judæos primum; & Dei jussio: *Ignis in altari semper ardebit, quem nutriet sacerdos, subjiciens ligna mane per singulos dies.* Et mox: *Ignis est iste perpetuus, qui nunquam deficiet in altari.* Habuere & Ægyptii; & Diodorus vult, servandi ignem perpetuum, cœlesti similem, morem ab illis natum, & ad alias gentes propagatum. Item Afri: & Plutarchus auctor est, in Jovis Ammonis λύχνον ἄσβεστον, sive *lucernam inexstinctam* arsisse apud Indos. In Persis simile, ubi ignem perpetuum custodiunt Magi. Idem apud Cappadoces; apud quos Pyrathea, sacella quædam modica, & in iis mediis ara, in qua cinis multus; & inexstinctum ignem Magi servabant. Jam in Græciæ Prytaneis ipsa hæc Vesta, & æternus focus: iterumque distincte, Mantineæ in templo Cereris, Athenis in Minervæ, Delphis in Apollinis.

Imo & virgines ipsas aliquot locis habuere. Video, & Persas Soli virgines sacrasse. Simillimum nuper, priusquam Hispani Regi & Religioni subegissent, in toto Peruano tractu, ubi crebra, & magna templa dicata Soli, & in iis virgines sæpe 200 fuisse tradunt, qui viderunt; è quibus siqua corpus polluisset, morte luebat, nisi tamen e Sole se concepisse (ride credulitatem superstitiosam) sancte adjurasset. Sed *de Vesta & Vestalibus* satis.

De Bibliothecis Syntagma.

Bibliotheca tria significat, LOCUM, ARMARIUM, LIBROS. Græca vox, Latinis in usum etiam venit; & quamquam *Librariam* dicunt, tamen magis est, ea voce tabernam capi, in qua venales libri exstant.

Bibliothecarum Origo.

Bibliothecarum res vetus, &, nisi fallor, cum ipsis libris adinventa. Nam simul ac scire & sapere natum est, mox etiam scribere: & istud esse cum fructu non potuit, nisi ut libri adservarentur & disponerentur ad præsentium & posterorum usum. Privata primum ea cura, & quisque sibi suisque struebat. Postmodum Reges & Dynastæ usurparunt, nec ad usum solum, sed ambitionem aut splendorem. Sane multos congerere, vix fuit privati hominis aut census, cum tarda & impendiosa descriptio esset; donec utilissima hæc Typographia rem in compendium misit.

Bibliothecæ in Ægypto.

Qui primus Regum illustrem habuit, is fuit Osymanduas Ægypti, qui inter alia opera præclara, Sacram Bibliothecam struxit. Et in ejus fronte præscripsit, ψυχῆς ἰατρεῖον, *Animi medica officina.* Et quamquam ille inter veteres Regum fuerit, non tamen dubium, exemplum, si non ipsam rem, mansisse, & in Ægypto Bibliothecas semper aliquas exinde exstitisse: idque in templis præcipue, & sacerdotum cura. Sed reliquæ ibi in obscuro: Ptolomei Philadelphi Regis, in magna luce & laude fuit. Is Ptolomæi Lagi filius, secundus eo nomine & stirpe Ægypti Regum; artium & ingeniorum cultor, & quod adhæret, librorum.

Itaque Alexandriæ ingentem Bibliothecam composuit, instructione & exemplo Aristotelis adjutus, imo & ipsis ejus libris. Sed & sacris, & è Judæa petitis libris instruxit. Nam cum aures ejus fama tetigisset Hebrææ sapientiæ, misit qui libros deposcerent, & idoneos simul homines conduxit, qui in Græcam linguam verterent, communi omnium usui. Ea interpretatio est, quam *Septuaginta*, à numero scilicet, qui operam dederunt, dicunt. Præerat Bibliothecæ, vir scriptis & factis illustris, Demetrius Phalerus, exsul a suis Athenis, & quem Rex benigne habitum ad hæc & majora ministeria admovit. Idemque à Chaldæis, Ægyptiis, Romanis etiam, libros petivit, & pariter in linguam Græcam transfundi curavit. Numerus librorum ad 700000 pervenit, Agellio teste. O thesaurum, sed in re æterna non æternum! Nam totum hoc, quidquid fuit librorum, bello civili Pompeiano periit, cum Cæsar in ipsa urbe Alexandria bellum cum

incolis

incolis gereret, & tuitionis ſuæ cauſa ignem in naves miſiſſet, qui & vincina navalibus, ipſamq; Bibliothecam comprehendit & aſſumpſit. Triſte fatum : & Cæſari (etſi abſque deſtinata culpa) pudendum! Hic igitur finis nobilis Bibliothecæ fuit, Olympiade 183, cum vix 224 annos ſtetiſſet.

Revixit tamen, non eadem (qui id potuit?) ſed conſimilis, & eodem loci, id eſt, in Serapeo, collocanda. Auctor reparandi Cleopatra, illa armoribus Antonii famoſa : quæ ab eo in auſpicium & velut fundamentum operis impetravit Bibliothecam Attalicam ſive Pergamenam. Itaque totam cum dono accepiſſet, & transferri curaſſet, iterum adornata auctaque eſt, & Chriſtianorum etiam temporibus in vita & fama fuit, in porticibus Serapei, loco portui vicino: videturq; ſtetiſſe, quamdiu ipſum Serapeum, immenſæ molis & artificii ſtupendi templum: quod Chriſtiani denique, Theodoſii majoris imperio, ut arcem ſuperſtitionis, demoliti à fundo ſunt.

Bibliothecæ apud Græcos.

Apud Græcos nobiliores Bibliothecas ſtrictim tangit Athenæus, & Polycratem in hoc ſtudio parandorum librorum dilaudat. Agellius Piſiſtrato tyranno laudem primi auctoris in hoc ſtudio adſcripſit. Magnus vir (odioſum hoc modo cognomen tolle) & cui Homerum etiam digeſtum & correctum nunquam ſoluturi debemus. Adeo Critica hæc cura olim Principum, imo Regum fuit. Ea Bibliotheca ab ipſis deinde Athenienſibus varie aucta, donec ſpoliavit & avexit Xerxes, Athenarum potitus. Sed multis poſt annis Seleucus Nicanor, Syriæ Rex, liberaliter remittendam Athenas curavit, donavitque. Et manſiſſe deinde ad Syllæ tempora, qui & ipſe Athenas cepit, diripuit, afflixit : poſtea tamen inſtauratam, juſte opinor ; quomodo enim mater artium ſine inſtrumento hoc librorum ? Imo plures ibi Bibliothecæ poſtea. De Ariſtotele magnifice Strabo, eum copia & dilectu inſignem Bibliothecam adornaſſe. Quam tandem ad Ptolomæos Reges veniſſe ſcribit Athenæus. Neque memoratu digna alia de Græciæ Bibliothecis leguntur. Romani haud dubie pleraque talia ad ſe traduxerunt, Græcia jam potiti ; niſi placet Byzantinam his accenſere, quæ Principum ævo fuit ; in qua 120000 librorum conflagrarunt ; inter ea draconis inteſtinum 120 pedes longum, cui aureis literis Homeri Ilias atque Odyſſea fuerint inſcripta. Etſi hæc Thraciæ potius, non Græciæ attribuenda.

Bibliotheca in Aſia.

Attalica ſive Pergamena proxima claritate ab illa Alexandrina fuit. Nam Attalici Reges a parvis progreſſi, cum ſocietate opibuſque Romanis creviſſent, ſedem regni Pergamum varie, tum & Bibliothecis, exornarunt. Eumenes Attali Regis filius, hujus rei auctor. In hac Pergamena fuerunt librorum ſingularium 200000.

Bibliothecæ in Urbe.

Veniamus ad Romanas Bibliothecas, ſitu & ævo magis propinquas. Satis enim tarda ibi hæc cura aut ſtudium, apud Martis, non Muſarum prolem: etsi, cum bono Deo, parvis primo initiis, ut ſolet. Iſidorus duos nominat, qui libros advexere, ſed publici uſus aut juris non prorſus fecere; Æmylium Paulum, & Lucullum: quorum iſte, quamquam jus mancipiumque ſibi retineret, uſum tamen eruditis conceſſit. Cornelius Sylla, poſtea Dictator, è Græcia Atheniſque magnam librorum vim traduxit, & Romæ depoſuit & diſpoſuit. Tamen vere publica Bibliotheca nondum ſtructa: quam cogitationem primus magnanimus ille & magnificus Julius Cæſar concepit, ac, niſi fata interpellaſſent, effeciſſet, data M. Varroni cura comparandorum & digerendorum librorum. Sed deſtinavit Cæſar, non perfecit. Auguſtus, adoptione filius, inter alia ornamenta urbis & imperii, hoc quoque plurifariam adjunxit. Nam eo invitante atque incitante, Aſinius Pollio, Orator & Senator nobilis, de manubiis Dalmatarum, atrium libertatis in monte Aventino exſtruxit, atque in eo Bibliothecam publicavit.

Poſt hanc duæ mox aliæ ab ipſo Auguſto inſtitutæ. Prior *Octavia*, quam ſororis ſuæ memoriæ & nomini dedicavit, in ſuperiore Porticus parte, toto & decore; cum inferior ambulationi modo eſſet: in qua Junonis ædes, & nobiles ſtatuæ quoque fuerunt. Altera *Palatina*, à loco dicta, quia in ipſo Palatio. Præter alia, Præpoſitus ſive Cuſtos huic loco fuit C. Julius Hyginus, in Grammaticis celebris. Imo ſeorſim Græca cuſtodem ſuum habuit, & Latina. Ab Auguſto igitur, artium ingeniorumq; amantiſſimo Principe, duæ iſtæ fuerunt.

Ab aliis deinde aliæ, & videtur certamen in hac re Principum fuiſſe, & velut contendiſſe de palma. Ecce Tiberius ſtatim ab Auguſto in ipſo Palatio etiam ſtruxit, ea parte, qua viam Sacram ſpectat: nam illic Tiberii domum fuiſſe, curioſi talium, hodie autumant, & in domo ejus hæc locatur. Videtur & Veſpaſianus deinde ſtruxiſſe, & adjunxiſſe Templo pacis. Fuit item à Trajano alia, quæ, à gentili ejus nomine, Ulpia paſſim nominatur. Hæc in foro Trajani initio fuit, ubi Principis ejus alia opera; ſed ævo mutavit, & tranſlata eſt in Collem Viminalem, ad ornandas Diocletiani Thermas. Fuit & Capitolina, in Urbe, inſtituta (ut divinare licet) à Domitiano. Nam ille ſervatus olim in Capitolio, templum ibi Princeps ſtruxit, quid ſi & hanc Bibliothecam? Conflagravit ſub Commodo, fulmine tacta. Sub ævum Conſtantini Bibliothecas publicas in Urbe 29 fuiſſe, Principum ſtudio ab interitu vindicatas, teſtatur P. Victor: ex iis præcipuæ duæ, Palatina & Ulpia. Heu quam etiam à memoria perierunt! nam ex illis 29, vix 7 induſtria noſtra indagere potuit, & nomina ſaltem ab oblivione vindicare.

Biblio-

Bibliothecæ extra Urbem.

Juxta Urbem etiam Tiburti publica fuit Bibliotheca, in Herculis templo ſatis commode ſtructa (fere juxta templa, aut in illis Bibliothecæ : quidni, ſacra illa ingeniorum opera, in locis ſacratis?) Fortaſſis eam Hadrianus Imperator Tibure inſtruxit, quem eo loco & ſeceſſu impenſe delectatum conſtat, variaque & ampla inædificaſſe. Etſi in aliis municipiis coloniiſque Bibliothecas ſparſas fuiſſe, æque atque artium iſtum cultum, mihi certum eſt.

Bibliothecæ privatorum.

Sed & privatim viri divites uſus & famæ cauſa, ſibi pararunt, & nobiles ex iis quaſdam. Sicut Tyrannio Grammaticus, Syllæ temporibus, qui 3000 librorum poſſedit. Sicut Epaphroditus Chæroneus, item Grammaticus profeſſione, qui uſque ad 30000 optimorum quidem & ſelectorum librorum collegit. Superavit eum Sammonicus Serenus in hoc ſtudio, qui Bibliothecam habuit, in qua 62000 librorum cenſebantur. Is moriens eam reliquit Gordiano minori, qui guſtavit Imperium.

Atque hi, aut pauci alii, proditi ſunt inſigniores Bibliothecas habuiſſe : plures tamen fuere, & Seneca commune hoc ſtudium jam tunc ſuo ævo oſtendit & damnat. Damnat : *Non enim in ſtudium*, inquit, *ſed in ſpectaculum comparabant : ſicut pleriſque ignaris etiam ſervilium literarum, libri, non ſtudiorum inſtrumenta, ſed cœnationum ornamenta ſunt.*

Obſervandum, Bibliothecas etiam in Balneis & Thermis habuiſſe : quia corpori curando otioſe tunc vacabant : & igitur occaſio erat legendi aliquid, hominibus alias occupatis ; vel audiendi. Enimvero etiam in Villis & Prætoriis paſſim habebant, ab eadem hac, otii & vacationis ibi, cauſa. Utinam noſtri divites ſic laſciviant ! ſemper cum alieno aliquo, ſi non ſuo, uſu & bono.

De Armariis Bibliothecarum.

Parietes in Bibliothecis ebore & vitro comptos fuiſſe, ſuggerit Boëtius. Non ergo Armaria & Plutei ad parietes laterales (neque enim conſpicuus ſic ille ornatus fuiſſet) ſed in medio diſpoſita, ut hodie quoque publicæ fere Bibliothecæ uſurpant. Sæpe vitri olim in quadras, orbes, ova, aut rhombos diſtincta parietes ornabant, non aliter quam marmoreæ cruſtæ ; ſæpius tamen cameras & lacunar.

De Armariis vetus Scholiaſtes Juvenalis, in illud : *Hic libros dabit & forulos.*) *Armaria*, inquit, *ad Bibliothecam.* Et proprie, opinor, *Foruli*, ipſi *nidi*, ut cum Martiale dicam, librorum, ſive cum Seneca, diſtincta *loculamenta*. Sidonius & hæc & alia in Bibliothecis collocat : *Hic libri affatim in promptu, videre te crederes aut Grammaticales Pluteos, aut Athenæi Cuneos, aut Armaria exſtructa Bibliopolarum. Pluteos*, id eſt, tabulas inclinatas tranſverſim, quibus libri legendi imponerentur. *Cuneos*, ſcamnorum ſeriem, ut in Athenæo, digeſtam. *Armaria* autem plena & alta : ea *Pegmata* videtur appellaſſe Cicero ad Atticum.

Imagines in Bibliothecis.

Præcipuus ornatus fuerunt Bibliothecarum Imagines & Statuæ doctorum, quas una cum libris disponebant. Nonne pulcrum, & suave oculis ac cogitationi? Natura trahimur ad simulacra & effigies magnorum virorum noscendas, & illa corpora sive hospitia, quibus se cœlestis animus inclusit: ecce hic erat. Romanum hoc inventum videtur, ne omnia bella ad Græciam referantur. Plinius Asinium Pollionem facit auctorem; quem etiam M. Varronis, unius viventis, imaginem in Bibliotheca posuisse, idem refert: Quod tamen & aliis postea, indulgentia an judicio? datum video. Alioquin plerumque mortuorum, & quos famæ consensus jam sacrasset, imagines ibi posuerunt. E metallo ut plurimum, sed etiam e gypso in privatis Bibliothecis, pro cujusque scilicet copia. Imo & in tabulis imagines fuere: & fortasse in librorum fronte picturæ etiam expressæ. Itaque utrumque, & Statuæ, & Imagines fuere. Cæterum minores illæ imagines sive statuæ pluteis plerumque impositæ videntur ante suos quæque libros. Inde & *Sigilla plutealia* apud Ciceronem. Nam jam tunc Bibliothecas exornabant Deorum, si non Auctorum, sigillis.

De Musæo Alexandrino.

Sed si Bibliothecæ solæ, aut rarus adventor; si homines, inquam, non sunt qui frequentent & evolvant, quo ista congeries? & quid nisi studiosa quædam luxuria sint? Providerunt hoc quoque Alexandrini Reges, & una cum illis Musæum (ita dixerunt, quasi Musarum ædem) exstruxerunt, in quo fas esset Musis operari a cæteris rebus feriatos. Imo & à vitæ victusque curis vacuos, cum alimenta iis hic è publico darentur.

Fuit id Regiæ sive Aulæ pars, scilicet adnecti & jungi sibi voluerunt Reges, ut in propinquo & promptu essent eruditi isti, cum quibus dissererent, cum libitum, animo docendo & pascendo. Habuit Porticus & Exedras: illas exercitio corporis magis, has animi, & ubi confidentes altercarentur & conferrent. Fuit & domus, ubi omnibus ex omni terra literatis receptis communis victus & mensa. Habuit hoc Collegium & pecuniam sive vectigalia in commune; & sacerdotem item, qui præesset Musæo, Regum aut Cæsarum delectu constituendum. Magna igitur dignitas, & quæ ab ipso Cæsare conferenda.

Addere licet, non vacuam omninò aut otiosam ibi vitam vixisse, (qui possent viri bono publico nati?) sed aut scripsisse, aut disseruisse, & recitasse. Claudius imperator Musæum hoc altero addito adauxit, ut certi libri ibi quotannis recitarentur.

F I N I S.

GEORGII FABRICII
CHEMNICENSIS
ROMA,

Liber ad optimorum Autorum lectionem apprimè utilis ac necessarius.

GEORGIUS FABRICIUS

WOLFGANGO WERTERO,

Viro Claro & Docto, S. D.

SAllustius, *scriptor in primis nobilis, in Carthaginis mentionem incidens, de ea silere melius putat, quàm parum dicere, idem multo justius de urbe Roma, non Carthaginis solum, sed orbis terrarum victrice scripturus, nunc ego dicerem : præsertim cum multorum hominum, eorumque doctorum, sermones mihi subeundos esse intelligam. Aliqui enim hoc totum scribendi genus tamquam inutile improbant : aliqui vero tot de Urbe monumentis, nostra patrumq; memoria editis, condemnant, quasi minime necessarium. Obstat mihi præterea gentis & patriæ nomen, quod homo Germanus, & in Hermunduris natus, post tot viros in literis claros, de urbe vetustissima & remotissima scribere audeam. Itaque illi, qui non me solum reprehendunt, sed alios accusant in hoc genere studii literarumq; versatos, scribendi operam atque industriam, in tradenda morum & bene vivendi doctrina rectius, quam in his, similibusve rebus, collocari posse existimant. Nam Servilium lacum ignorare, aut Turbonem pugilem nescire, aut tempora, quibus urbs opibus aucta, vel diminuta viribus sit, non tenere memoria, minus malum esse, quam aut errare in vita, aut labi in officio, aut peccare in Rep. Hi cum viri boni sint, & cupidi honestatis, credo eosdem veritatis quoque studiosos esse. Atqui hominis animus cum & actionibus virtutis delectetur, & rerum fruatur scientia, utrumque certe, & virtutis præscripto vivere, & res cognitione dignas investigare, verum ejus & proprium munus est, licet altero alterum habeatur præstantius. Bene igitur hominis excellentiam cum bonis moribus, tum eruditionis elegantia sapientes metiuntur. Quamobrem & Aglaus Psophidius Arcas, qui in vita sua nihil præter agrum coluit : & Socrates Atheniensis, summus doctrina & sapientia Philosophus, felices olim Apollinis oraculo sunt judicati. Qua de causa? ne nos quidem ita alteram præferamus, ut de altera detrahamus cum dedecore & incommodo. Ut autem civitatum magnarum, ex quibus mortalium omnium judicio Roma maxima fuit, instituta, leges, mores, actiones libenter cognoscimus : ita ortum, incrementa, ruinas scire desideramus, & loca ipsa muta cum admiratione intuemur : Illud utile & necessarium est, hoc à liberali animo atque ingenio nequaquam alienum.*

num. Tolle enim ejusmodi studium; & omnis antiquitatis notitiam, & pulcherrimorum exemplorum copiam, & suavissimum artium disciplinarumque fructum sustuleris: & hæc civilis societas, ferarum, quam hominum, congregationi erit similior. Merito igitur gratia habenda illis, qui Urbis potentissimæ & nobilissimæ memoriam passi non sunt interire: sed quidquid vel ex veterum scriptis discere, vel ex ruderibus colligere, vel vestigiis qualibuscunque potuerunt deprehendere, id fidelibus literarum monumentis commendarunt. Quorum libros cum, nondum visa Urbe, admirarer, & bonos auctores legenti utiles & jucundos esse sentirem: tum in Urbem ipsam tecum profectus, Wertere, magna (ut scis) diligentia conquisivi atque perlegi, ut eos communi studio, & labore mutuo cum rebus ipsis præsentes conferremus: quod cum totos quinque menses sine intermissione à nobis ageretur, non pauca vel neglecta ab aliis, vel non satis animadversa, observatu tamen & scitu digna, annotavimus: ea autem in id tantummodo comparaveramus, ut nobis profectionis susceptæ, & otii nostri ratio constaret. Nuper vero cum Casp. Peucerus, Melanthonis gener, doctus imprimis vir, & Philosophiæ deditus, ad me veniret, & de Urbe cum viris aliquot eruditis loquentem avide auscultaret, rogavit tandem, ut aliorum quoque studiis mea opera, si placeret, & otium esset, consulerem. Quod cum ille humaniter, ut solet, peteret, & vultu ipso significationem suæ voluntatis daret, facile mihi non abhorrenti persuasit, ut quæ observaveram, rursus colligerem. Novo igitur labore suscepto, ea cum scriptis Poëtarum & Historicorum majore cura & attentione contuli: qua ratione cum alii ante me Urbem, jam dirutam, quasi à fundamentis instaurarint, eorundem vestigiis institi, in quo proposito & ordinem rebus ipsis congruentem servavi, & locos non paucos in Græcis Latinisque scriptoribus explicavi. Hoc quoniam publicæ utilitatis gratia factum à me est, bonam in spem venio, me studiosis hominibus, & æquis lectoribus probaturum institutum meum, quod ipse post alios plurimos ad hanc scribendi materiam animum adjunxerim. Ignoscent autem ii, quos patriæ nomen offendit, hospiti mihi atq; extero, si quid minus in rebus vetustate plane obrutis vidi: aut si in iis etiam, quæ ante oculos sunt, parum Lynceus fui, hoc enim, quamvis arrogantiusculum sit, quia tamen verum est, dicam, me posse aliorum, qui de Urbe scripserunt, errores varios certis testimoniis convincere. Syracusani certe olim, cum sepulcrum Archimedis indagatum ipsis ostendisset Cicero, non ideo iniqui aut ingrati ei fuerunt, quod peregrinus esset, & Arpinas: neque mihi, si quid laudis Urbi, aut studiosis commodi sum adferre conatus, obesse debet, quod sim Hermundurus: præsertim cum, existimatione nullius læsa, simpliciter exposuerim meam vel opinionem, vel sententiam. Primum enim, veterum auctoritate nitor, in notandis aut explicandis locis: deinde non solum recentiorum scriptis, quibus plurimum adjutus

jutus sum, verum etiam demonstratione Marliani, qui diligentissime omnium scripsit, hanc, qualiscunque est, Urbis cognitionem consecutus sum: cujus domum cum frequentaremus, situm montium nobis indicavit ex Capitolio, & ad viarum, quæ in Urbe sunt, initia nos perduxit: & aliquoties apud Salamancam & Tramezinum, nostram sententiam audire visus est perhumaniter. Hos labores nostros tibi dedico, Wertere, homini amico, quo nomine omnia consuetudinis, fidei, benevolentiæ officia continentur & viro docto, qui hæc eadem cognovisti magna cupiditate, studio, industria. Quamobrem quædam ex his tua recognosces, & multa agnoscet Wolfgangus Meurerus, Philosophiæ scientia, elegantia literarum, cognitione antiquitatis vir celeberrimus, ejus temporis socius & comes noster. Optarem autem plurimos ex nobilitate, viros splendidos & copiosos, excitari ad evehenda optimarum artium studia. Res enim humanæ cum nihil firmi habeant, nihil possideant diuturni, sola virtutis & literarum laus est æterna: imo ne virtutis quidem, absque literis. Exemplum illustre est, & sempiternum erit, Urbs ipsa, cui, aliis ornamentis amissis, hæc sola reliqua manserunt, quæ conservarunt doctorum virorum ingenia. In quam sententiam aliquando Lazarum Bonamicum, doctissimum & eloquentissimum virum, perelegans nobis epigramma recitare memini, quo ipso claudere hanc epistolam placuit: quia nobis ejus viri memoria grata merito est, & maximi nominis fama doctis notissima.

Vos operum stratæ moles, collesque superbi,
  Quis modo nunc Romæ nomen inane manet:
Vosque triumphales arcus, cœloque colossi
  Æquati, Pariis cæsa columna jugis:
Edita Pyramidum fastigia, Templa Deorum,
  Digna vel æthereis Amphitheatra locis:
Vos ævi tandem attrivit longinqua vetustas,
  Vos longa tandem fata tulere die.
At Romæ Æneadum magnum & memorabile nomen,
  Tempus edax rerum tollere non potuit.
Nec poterit, donec clari monumenta vigebunt
  Ingenii, quæ non ulla senecta rapit.
Cætera labuntur tacito fugientia cursu,
  Calliope æternùm vivere sola potest.

Vale, & me ama. Ex ludo illustri Misenæ, Calend. Julii, Anno Christi, M. D. L.

CAPITA

Capita hujus Libri.

Auctores

Auctores veteres & novi, quorum inventis & testimoniis vel ad confirmandum, vel ad explicandum, utimur.

Æmilius Probus.
Albertinus
Alifanæ inscriptiones.
Am. Marcellinus.
Asconius.
Athenienfis inscriptio.
Augustinus.
Aurelianus Imp.
Ausonius.
Auximi inscr.
Bap. Leo.
Bergomates inscript.
Blondus.
Charisius.
Cassiodorus.
Cicero.
Cyriacus Anconitanus.
Claudianus.
Columella.
Corn. Balbus.
Corn. Nepos.
Corn. Tacitus.
Cornutus.
Cuspinianus.
Dacicæ inscript.
Demosthenes.
Dion.
Dionysius.
Egnatius.
Eutropius.
Fab. Pictor.
Festus.
Florus.
Formianæ inscript.
Formula magistrat. Roman.
Frontinus.
Fulvius.
Gallicæ inscript.
Gellius.
Gyraldus.
Helenius.
Herodianus.
Hieronymus.
Hispanicæ inscript.
Homerus.
Horatius.
Josephus.
Jul. Capitolinus.
Jul. Obsequens.
Justinus.
Juvenalis.
Lactantius.
Lampridius.
Livius.
Lucanus.
Lucilius.
Lucretius.
Lud. Gometius.
Macrobius.
Manutius.
Marlianus.
Martialis.

Me-

GEORGII

GEORGII FABRICII ROMA.

CAPUT I.
De auctoribus, qui de Roma scripserunt.

URbem Romam etsi plures olim literis monumentisque celebrarunt, nihil tamen scriptorum veterum relictum fuit, præter Fab. Pictoris & C. Sempronii, de origine Urbis, fragmenta: de quibus merito dubitatur. Catonis Origines, & M. Varronis de tribubus, & de ædibus sacris, & de ludis theatralibus libri interciderunt. Exstat Aristidis Smyrnæi, de Romæ laudibus oratio. Nervæ temporibus de aquæductibus Romanis libros duos Julius Frontinus: Diocletiani dominatu de regionibus Urbis unum Publius Victor, vel (ut aliis placet) Sex. Ruffus, edidit. Ex recentioribus, Urbis admiratione, ad scribendum excitati sunt plurimi: Flavius Blondus, Pomponius Lætus, Andreas Fulvius, qui multis libris prosa & carmine scripsit, Jacobus Poggius, Joannes Tortellius, Raphael Volaterranus, Fabricius Varranus, Franciscus Albertinus, Bartholomæus Marlianus: sed diligentia investigandi, & judicandi solertia excellit Marlianus, qui & veterum scripta majore studio contulit, & plurimos aliorum errores prudenter animadvertit. Scripserunt de eadem Manuel Chrysoloras, & Bernardus Oricellarius: & ex nostris hominibus Hieronymus Questenbergius Misnius, patria Fibergensis, doctus atque diligens antiquitatis investigator, qui in urbe mortuus est, sed ex horum scriptis nihil ad nostras manus pervenit.

Totam Urbem secundum regiones pinxit Fabius Calvus, sed ejus picturæ cum nullius descriptione conveniunt. De ædificiis veteribus vulgari nunc Italorum lingua scripsit Franciscus Serlius, Bononiensis Architectus. Picturas statuarum, columnarum, colossorum, templorum, theatrorum, arcuum, portarum, sepulcrorum, Antonius Salamanca sparsim expressit. Imperatorum & virorum illustrium imagines ex nummis antiquis excudit Jacobus Mazochius, addita brevi historiarum descriptione: quem secuti sunt Joannes Hurrichius, & Nicolaus Gerbelius, Germani. Sed Antonii Zantani opusculo, quod nuper prodiit, nihil fieri potest eo in genere elegantius, aut perfectius. Idem Mazochius ingenii libro Urbis epigrammata ex ære, saxis, marmoribusque, incerto auctore congesta, edidit: quem librum nos, inspectis locis plurimis, & correctiorem, & septingentis epigrammatis auctiorem habemus. Nec inutilis in iisdem colligendis Petri Appiani & Bartholomæi Amantii, & ante illos Sebastiani

baſtiani Sergii opera extitit. Superiore anno Marlianus Conſulum, Dictatorum, Cenſorum, cum ipſorum triumphis deſcripta ex marmoribus nomina publicavit, quæ marmora in foro Romano effoſſa, nunc in Capitolio aſſervantur. De antiquis Romanorum familiis ſe ſcripturum, retulit mihi Paulus Manutius, omnis elegantiæ & antiquitatis ſtudioſiſſimus juvenis: & de iis Commentarium ante annos ſex & quadraginta promiſit Petrus Crinitus, qui, cum alia ejus opera in manibus ſint, nondum exiit. De mirabilibus Romæ non nominati auctoris libellus, in vulgi manibus eſt, ad decipiendos (ut apparet) illiteratos & ſuperſtitioſos homines confictus. In cognoſcenda Urbe ſermo vulgi audiendus non eſt. Molem latericiam ante Amphitheatrum, quæ Meta ſudans dicta fuit, aiunt fuiſſe turrim Virgilii: ædem Jani Quadrifrontis, ſtructura quadrata in foro Boario, domum Boëtii. Columnas æneas in S. Joanne Laterano, quas Auguſtus Cæſar ex præda Actiaca conflavit, e templo Hieroſolymitano religionis cauſa nugantur translatas: de quibus Virgilius canit,

——*Novali ſurgentes ære columnæ.*

Statuam æneam equeſtrem M. Antonini Pii, neſcio cujus liberatoris Urbis, fingunt fuiſſe. Quæ licet apertè falſa ſint, tamen vulgus aſſeverat, & defenſores pertinaces invenit.

CAP. II.

De ſitu & ambitu, & gloria atque interitu Urbis.

URbs Roma primum Italiæ, poſt orbis terrarum caput, à paſtorum manu condita, Regum, Conſulum, Dictatorum, Imperatorum dominatu uſa, à vicinis populis tentata, ab externis gentibus ſæpius petita, a Gallis Senonibus incenſa, à Gothis Vandaliſque vaſtata & diruta. Contemptu noſtrorum Imperatorum quater capta: primum ab Arnulpho, Franco, tum ab Othone Tertio, Saxone, deinde ab Henrico Quarto, item Franco, noſtra denique memoria à Carolo Quinto, Auſtriaco. Poſita in ſolo ſterili, & partim in montibus, partim in vallibus campiſque ſubjectis, auſtro objecta, & cœli aliquanto gravioris: nunc male habitata, & ruinarum plena. Antiquitus, quod miraculo ſimillimum eſt, ſuffoſſionibus montium, & meatibus cloacarum penſilis, & ſubter ædificia navigabilis extitit. Hodie valles & campi ex vaſtitate & ruinis ædificiorum altius quam credi queat, exaggerati ſunt. Ambitus Urbis, qui nunc eſt, XIII M. paſſ. non excedit. Urbem veterem ampliato pomœrio auxerunt Sylla, Auguſtus, Claudius, Nero Trajanus, Aurelianus, Arcadius, Honorius: cujus rei teſtes ſunt Seneca, Suetonius, Tacitus, Vopiſcus, antiqua epigrammata, ex quibus & illud diſcitur, cenſorum, augurum, præfectorum urbis, cura & auctoritate, id factum eſſe. Muri vetuſtiſſimi ex ſaxo quadrato fuerunt, Gabino in primis, Albano, Tiburtino, & Præneſtino: ea enim ſaxa firmiſſima, & igni

impervia,

impervia. Postea facti sunt latericii, qui adhuc durant. Suetonius scribit, Augustum gloriantem dixisse: Urbem latericiam reperi, relinquo marmoream, & Propertius poëta canit,

Hoc quodcunque vides, hospes, quam maxima Roma est :
Ante Phrygem Æneam collis & herba fuit.
Atque ubi navali stant sacra palatia Phœbo,
Evandri profugæ procubuere boves.

Verum (quæ est rerum humanarum imbecillitas & vicissitudo) illa ipsa Urbs nunc rursus latericia est, & Palatinus a nullo habitatus, collis jam & herba factus est, & in foro ipso Romano sues væneunt, & in Tarpeia arce crux hominum nocentum supplicio cernitur erecta. In murorum ambitu circiter trecentas & sexaginta turres numeravimus, pluribus tamen ex his collapsis. Varius Imperator cum decem millia pondo aranearum, opera servorum per domos collegisset, ex iis intelligi posse dicebat, quanta esset Roma. Nos, inepti hominis risu omisso, in sequentibus summæ & clarissimæ Urbis magnitudinem & amplitudinem ostendemus, in qua tot tantaque ædificia fuerunt, quot, præter Urbem, & quanta, terrarum orbis nusquam habuit : ut de cæteris ornamentis nihil dicam, nihil etiam de Imperii gloria. Vere enim ad Germanicum Cæsarem Ovidius,

Gentibus est aliis tellus data limite certo,
Romanæ spatium est urbis & orbis idem.

Cum autem omni fortunæ varietate sit exercitata, tamen in secundis rebus nunquam secura, invicta in afflictis semper extitit Urbem olim arroganti titulo, sed minime vano, appellarunt ÆTERNAM, quia Neptunio Homeri vaticinio posteritati Æneæ, a qua orti Romani sunt, imperii æternitas promissa fuit.

Νῦν δὲ δὴ αἰνείαο βίη τρώεσσιν ἀνάξει,
Καὶ παῖδες παίδων τοίκεν μετόπισθε γένωνται.

Urbis nomini divinos honores tribuerunt Smyrnæi, Pergamenses, & Græcorum omnium cultissimi Athenienses. A Smyrnæis id factum est, ut Tacitus scribit, M. Porcii Catonis consulatu : à Pergamensibus, imperante Augusto. De Atheniensibus planius loquitur inscriptio vetus, quæ ante eversam à Mahomete urbem in vestibus templi fuit, quod in arce quondam Palladi dicatum erat. Postea sacrum B. Mariæ virgini.

Ο ΔΗΜΟΣ ΘΕΑι ΡΩΜΗι ΚΑΙ ΣΕΒΑΣΤΩι ΚΑΙΣΑΡΙ. ΣΤΡΑΤΗΓΟΥΝΤΟΣ ΕΠΙ ΤΟΥΣ ΠΟΛΙΤΑΣ ΠΑΜΜΕΝΟΥΣ ΤΟΥ ΖΗΝΩΝΟΣ ΜΑΡΑΘΩΝΙΟΥ ΙΕΡΕΩΣ
ΘΕΑΣ ΡΩΜΗΣ ΚΑΙ ΣΕΒΑΣΤΟΥ ΣΩΤΗΡΟΣ ΕΝ ΑΚΡΟΠΟΛΕΙ ΕΠΙ ΙΕΡΕΙΑΣ ΑΘΗΝΑΣ ΠΟΛΙΑΔΟΥ ΜΕΓΙΣΤΗΣ ΑΣΚΛΕΠΙΑΔΟΥ ΑΛΑΙΕΩΣ ΘΥΓΑΤΡΟΣ ΕΠΙ ΑΡΧΟΝΤΟΣ ΑΡΗΟΥ ΤΟΥ ΜΥΡΙΩΝΟΣ ΠΑΙΑΝΙΕΟΣ.

Ad quod alludens cecinit Martialis :

Terrarum dea, gentiumque Roma,
Cui par est nihil, & nihil secundum.

Itaque cum templa sacro Urbis nomini dicata sint; minime mirum Victrici statuas Triumphales collocatas fuisse. Cujus generis multæ elegantiæ & artificii statua è marmore, superiore anno reperta, & nunc in ornatissima Cæsiorum domo statua est. Roma juvenili habitu sedet, galeata, sinistra manu tenens, ut videtur, pugionem, dextra coronam lauream, designans indice mulierem sub basi sedentem, vultu mœsto, vestitu lugubri, capillo per vittam passo, caput sinistra manu sustentantem, dextra ad sinistrum femur posita, projectisque ad idem latus armis atque clypeis, cum hac inscriptione:

ROMA VICTRIX DE DACIA PROVINCIA
SUBACTA TRIUMPHANS VULTU AC HABITU
BARBARORUMQ. SPOLIIS INLUSTRIS.

Quin etiam in Urbe prope viam Sacram, Romæ atque Veneris consors delubrum fuit. Romanæ urbi Constans Imp. Constantini junioris filius, septem dierum spatio plus ornamentorum ademit unus, quam ducentorum quinquaginta octo annorum intervallo detraxerunt omnes barbari. Imperium autem quamvis ante septingentos & quinquaginta annos ad nos translatum sit, tamen Romani nomen retinuit: ut poëtico quodam ac vere fatidico spiritu dixisse videatur Propertius:

Roma, tuum nomen terris fatale regendis.

Sibyllæ de Romæ interitu vaticinium ejusmodi refert Lactantius Firmianus, in libro de Divino præmio: Roma interibit, & quidem judicio Dei, quod nomen ejus habuerit invisum, & inimica justitiæ, alumnum veritatis populum trucidarit.

Ortum nuper aliud est, nescio quo auctore, idque occasione ejusmodi. Phocas Imp. eodem jure summam potestatem Pontifici tribuit, quo ipse imperium invasit. Id autem factum est anno à nato Christo DCVI, à quo primum regia authoritate Pontifex Christianorum ecclesiis præfuit: ad hunc annorum numerum si addantur ii, quos Ῥώμη, si Græce scribatur in se continet (singulæ enim literæ certum numerum significant) tum sublatum iri urbis & Pontificis potentiam. Complent autem hæ literæ annos DCCCCXLIIX. Hæc qualia sint, ab Italis excogitata, aliis relinquo judicandum.

CAP. III.

De Montibus, à quibus urbi additi, quæ loca adjacentia habeant, quot nominibus & unde appellati.

PRopertius, poëta elegans, & doctus Urbis præco, canit,

Septem urbs alta jugis, toto quæ præsidet orbi.

Unde ἑπτάλοφος à Græcis, Septicollis à Fabio Pictore, Septemgemina à Statio dicitur. Hos colles, septem arces Virgilius in Georgicis, & in Epithalamio Ausonius, nominarunt. Nos decem Romanorum

norum collium ſitum, & varia eorum nomina, & loca circumjacentia, unde reliquæ urbis cognitio fiat apertior, paucis notabimus. Mœnibus enim incluſi hodie ſunt, Palatinus, Capitolinus, Aventinus, Cœlius, Eſquilinus, Viminalis, Quirinalis, collis Hortulorum; & trans Tiberim, Janiculum, & Vaticanus.

Palatinus.

Romuli ſedes, unde & Romulius à Tremellio, & à Strabone τ' ἄκρας nomine, propter primam ſedem regiam, appellatur. Ad ortum habet Cœlium, ad meridiem Aventinum, ad occaſum Capitolinum, ad ſeptentrionem forum. Adjacet ex eo latere, quod ortum ſpectat, arcus Conſtantini: quod meridiem, Circus maximus: quod occaſum, Romuli ædes, & velabrum: quod ſeptentrionem, templa quæ in ipſo foro ſunt, & Veſpaſiani arcus. Hunc Virgilius a Palanteo oppido nominatum vult: Propertius & Ovidius, quod ibi pecudes palari, id eſt, errare, conſueverint. Hujus montis pars forum verſus, Germali nomen habuit: Cœlium autem verſus, Veliæ. Quia autem prima imperii ſedes in eo conſtituta, cujuſvis principis aulam, aut ſplendidi hominis domum, Palatium nominamus. Hodie ſuffoſſionibus & ſubterraneis meatibus totus quaſi penſilis, ruinis deformis, aut hortis occupatus.

Capitolinus.

Tatii Sabini ſedes, qui & Saturnius, & Tarpeius. Ad ortum habet forum & Palatinum, ad meridiem Tiberim, ad occaſum urbem planam, ad aquilonem collem Quirinalem. Ab ortu adjacent Tullianus carcer, arcus Septimii, porticus Concordiæ: à meridie, Janus quadrifrons, forum holitorium, theatrum Marcelli: ab occaſu circus Flaminius, in quo porticus Cn. Octavii, & recens turris Argentina: à ſeptentrione, Trajani forum. Dictus, à vetuſtiſſima Saturni ſede, Saturnius: & mox (ut Juſtinus inquit) quaſi pulſo à Jove ſedibus ſuis Saturno Capitolinus: idem Tarpeius, quod vel à Tarpeia virgine, vel

A duce Tarpeio mons eſt cognomen adeptus,

Ut canit Propertius. De eodem in VIII Virgilius.

Hinc ad Tarpeiam ſedem, & Capitolia ducit,
Aurea nunc, olim ſylveſtribus horrida dumis.

Aventinus.

Ab Anco rege, creſcente civium numero, ex parte additus, non totus habitatus, Tatii regis Romanorum, & Aventi. Albanorum, ſepulcris celebris. Variis appellatus nominibus, à Remo, Romuli fratre, Remurius: Murciæ ſocordiæ Deæ ſacello, Murcius: à Dianæ templo, collis Dianæ. Martialis lib. XII.

Cum tu forſitan inquietus erras,
Clamoſa Juvenalis in Subura,
Aut collem dominæ teris Dianæ.

Et idem libro VII, ad Maximum:

Esquiliis domus est, domus tibi colle Dianæ.

Propter longitudinem certò describi nequit: sed tamen, ut in prioribus, tentabimus. Ad ortum, in meridiem declinantem, respicit mœnia: ad meridiem, campum Figulinum: ad occasum, flumen: ad septentrionem, montem Palatinum. Ortum versus, sed valde in meridiem flexum, propinqua est porta Capena: meridiem, porta Ostiensis, Cæstii pyramis, mons Testaceus: occasum, Navalia, salinæ, spelunca Caci: septentrionem, Dianæ templum, & Naumachiæ initium. Aventinus dictus ab avibus: quod nomen ante Evandri & Herculis in Italiam adventum, ut liquet ex Virgilio, habuit. Quod si certis auctoribus scripsit ille, minime nomen accepit ab Aventino rege, qui in eo extinctus bello; & sepultus fuerit, ut 4 Fast. ait Ovidius, quamvis in eadem pagina alteram, & cum Virgilio consentientem opinionem ponat. Neque etiam ab Avente Sabinorum fluvio, ut de gente populi Roman. tradidit Varro. In hunc montem aliquando plebs secessit, ut est apud Senecam in libro de Brevitate vitæ, & apud Plin. lib. 19. Nemo Sacros, Aventinosque montes, & iratæ plebis secessus circumspexerit.

Cælius.

Ab eodem Anco additus, ut Strabo: vel à Tullo Hostilio, ut Livius: vel a Tarquinio Prisco, ut Tacitus. A querna sylva, Querquetulanus: à Tiberio Cæsare, quod is post incendium habitatoribus ædificia consumpta instaurasset, dici cœptus mons Augustus. Ab ortu habet mœnia. à meridie Cœliolum, ab occasu Palatinum, à septentrione Esquilias. Adjacent ab ortu, Cœlimontana & Nevia portæ, & inter has Statilii Tauri theatrum dimidiata sui parte mœnibus inclusum: a meridie, vallis: ab occasu, Severi septizonium: à septentrione, Titi Amphitheatrum, vulgo Colosseum. Nominatus a Cœle quodam Hetruscorum duce, qui cum Romulo contra Sabinos arma socia conjungens, castra in eo posuit.

Cœliolus pars est Cœlii, à Martiale lib 12. ad Juvenalem, Minor Cœlius dictus:

Dum per limina te potentiorum
Sudatrix toga ventilat, vagumque
Major Cælius & minor fatigat.

Ab ortu habet mœnia, à meridie Aventinum, ab occidentis & septentrionis partibus vallem, per quam fluit Appiæ rivus. Incipit post portam Gabiusam, nunc Causam: & inde ad Latinam flectitur, terminaturque ad Capenam.

Esquilinus.

A Tullo Hostilio adjectus, ut Livius, a Servio Tullio, ut Tranquillus. Hanc autem in auctoribus diversitatem peperit, quod aliqui reges premi adjecerint, aut habitarint: reliqui ædificiis, aliisve rebus ornarint, aut auxerint. Hunc montem, auctore Verrio Flacco, &

& Cispium & Oppium veteres nominarunt. Attingit ab ortu, Urbis muros: à meridie, viam Lavicanam: ab occasu, vallem inter Cœlium & Palatinum longe lateque patentem: à septentrione, Viminalem. Adjacent ortum versus, Esquilina porta, & Querquetulana: meridiem versus, Carinæ: occasum, vallis subjecta, & regio Tabernolæ: aquilonem, vicus Patricius & Subura. Unde Suburanum nonnulli vocarunt ex veteribus. Dictus, quod excubiæ ibi agerentur, primum Excubinus: postea mutata pronunciatione, Exquilinus: & melioris soni gratia tandem Esquilinus: & à Poëtis Esquilius, litera è medio sublata. Ut Ovid. II. Fast.

Monte sub Esquilio. ———

Idem lib. 3.

Adde, quod excubias ubi rex Romanus agebat,
Qui nunc Esquilias nomina collis habet.

Horatius in sermonibus;. ———*at simul atras*
Ventum est Esquilias. ———

Viminalis.

A Servio Tullio ad reliquos additus, qui & Fagutalis, à sylva fagea, ut est apud Varronem & Festum. In ortum tendens, respicit campum Esquilinum: In meridiem, Suburæ partem, & fori Romani: in occasum, Quirinalem, interjecta Subura plana: in septentrionem, vallem Quirinalem. Ab ortu adjacet porta Querquetulana: a meridie, Novatii & Olympiadis thermæ: ab occasu, Decii palatium: à septentrione, lavacrum Agrippinæ. Nomen invenit à viminum copia: quæ tamen cujus generis fuerint, Varro, Festus, Plinius non dixerunt, neque Juvenalis Sat. III.

Esquilias, dictumque petunt à vimine collem,

In locis incultis, quæ hortos aut vineta non habent, nunc populi, & salicum vimina, & arundines nascuntur.

Quirinalis.

Ab eodem rege additus. Alio nomine Agonius, vel Agonensis, & quadam sui parte mons Clatræ & Apollinis, si Victoris liber emendatus est. Nunc vero mons Caballinus. Habet ab ortu, Viminalem: à meridie, Cæsaris & Nervæ forum: ab occidente, Urbem planam: à septentrione, collem Hortulorum, & campum Martium. Contiguæ sunt ab ortu, portæ Viminalis, & Collina: à meridie, Corneliorum domus: ab occidente, quæ in plana urbe sunt ædificia: à septentrione, porta Collatina. Dictus Quirinalis, ab æde Quirini. Ovid. II. Fast. de Quirino,

Templa Deo faciunt, collis quoque dictus ab illo est.

Horatius secundo lib. epist.

———*Cubat hic in colle Quirini,*
Hic extremo in Aventino, visendus uterque.

Agonius, quod, circo Flaminio eruptione Tiberis inundato, ludi

Agonales in eo fierent. Clatræ & Apollinis, à templo quodam. Caballinus, à duobus equis marmoreis, qui stant ibidem in excelsa basi, cum suis ductoribus, prope ædem S. Saturnini, qui à Phidia & Praxitile sunt facti, si titulus verus est.

Collis Hortulorum.

Vel (ut Suetonius) collis Hortorum, extra antiquos muros, Quirinali contiguus. Ab ortu tangit ejusdem montis campum, a meridie item aliquam ejus partem, ab occasu vallem Martiam, & Domitiani naumachiam, a septentrione urbis mœnia. Ab ortu propinquam habet portam Collatinam, à meridie pilam olim Triburtinam, ab occasu viam Flaminiam, à septentrione templum Solis, & Neronis sepulcrum. Ab hortis ad nostra usque tempora nomen antiquum retinuit.

Vaticanus.

Trans Tiberim, olim habitatus non fuit, nec ad Urbem pertinuit. Nomen accepit vel à vatum responsis, vel à Vaticano Deo, qui & Vagitanus. Ad ortum, spectat campum Vaticanum, & flumen: ad meridiem, Janiculum: ad occasum, alium campum, in quo ex creta & argilla vasa fiunt, ab usque Juvenalis & Plinii temporibus nota; ad septentrionem, prata Quintia. Meminit hujus montis Horat. I. Carm. oda xx.

Care Mecœnas, eques, ut paterni
Fluminis ripæ, simul & jocosa
Redderet laudes tibi Vaticani.

Montis imago.

Olim fuit Scipionis sepulcro nobilis, nunc vero clarus S. Petri basilica, item Palatio, hortisque Pontificiis.

Janiculum.

Ab Anco mons hic additus, Numæ regis, & Statii Cæcilii Poëta sepulcris celebratus. Ab ortu meridieque Tiberim respicit, ab occasu campos, à septentrionis parte Vaticanum. Adjacent ab ortu, prata quondam Mutia: à meridie, porta Portuensis: ab occasu, Aurelia: à septentrione, naumachia Neronis. Dictus vel à vetustissimo oppido, quod Janus condidit, de quo in VIII Virg.

Hic duo præterea, disjectis oppida muris,
Reliquias, veterumque vides monumenta virorum:
Hanc Janus pater, hanc Saturnus condidit arcem,
Janiculumque illi, huic fuerat Saturnia nomen.

Vel quod populo Rom. primum in Hetruscos eunti quasi janua fuerit, ut Verrius Flaccus. Nunc à flavis harenis, mons aureus, & corrupto vocabulo Montorius. Ex hoc propter altitudinem Roma maxime conspicua, cæteris autem infrequentior est, ob aëris gravitatem, utrumque testante libro primo Martiale:

Longo

Longo Janiculi jugo recumbunt,
Et planus modico tumore vertex,
Cælo perfruitur sereniore.
Hinc septem dominos videre montes,
Et totam licet æstimare Romam.

In hunc secessisse aliquando plebem Romanam, & à Qu. Hortensio dictatore revocatam, scribit Plinius libro 16.

Hi montes jam rarissimi habitantur, maxima ex parte hortis, & dispersis hinc inde templis, aut claustris religiosis occupati, aut veterum ædificiorum ruinis obruti. Vetustissimis temporibus nemora & pascua habuit Palatinus, ut scribit Tibullus: Capitolinus dumeta, ut Virgilius: Aventinus lauretum, ut Solinus: Cœlius quercetum, ut Tacitus: Viminalis sylvam fageam, ut Varro: Janiculum esculetum, ut Plinius: Vaticanus ilicetum, ut Fulvius.

CAP. IV.

De Portis veteris novæque urbis, quam variis nominibus eædem appellatæ.

PORtæ urbis in universum sunt viginti, antiqui nominis & loci quindecim, recentioris Urbis quinque. Ad septentrionem sunt Flumentana & Collatina. Ad ortum vernum, Quirinalis, Viminalis, & Clausa. Ad ortum æstivum, Esquilina & Nevia. Ad ortum hyemalem, Cœlimontana, Gabiusa, & Latina. Ad meridiem, Capena & Trigemina. Ad occasum, Navalis, Aurelia, & Septimia Reliquæ quinque urbis, Leoninæ sunt, ut mox dicemus.

I. *Flamentana.*

Quod ad Fluvium pertineret, à via Flaminia, & vulgo nunc Porta populi.

II. *Collatina.*

In colle Hortulorum, à Collatia oppido; & à palatio Pincii Senatoris, modo Pinciana.

III. *Quirinalis.*

Aliis nominibus Collina, & Agonia, sive Agonensis, Ovid. 4 Fast.

Templa frequentari Collinæ proxima portæ.

Juvenalis Satyra 5. ———*Proximus urbi*
Hannibal, & stantes Collina in turre mariti.

Aliquando Lavernalis, quod ad ejus deæ fanum in via Salaria duceret: & nunc à via ipsa, Salaria.

IV. *Viminalis.*

Quæ & Numentana, vel (ut Strabo scribit) Nomentana, & Figulensis, & nunc S. Agnetis.

V. *Querquetulana.*

Ab aliis inter aggeres, sine auctore. Prope enim sunt Aggeres Tarquinii, quadrata forma tumulus. Querquetulanam proxime Viminalem

minalem fuiſſe, videtur indicare Plinius lib. 26. Hæc nunc in vinetis jacet clauſa, ad quam per viginti gradus aſcendimus.

VI. *Eſquilina.*

A Procopio Prænestina, à Fulvio & aliis quibuſdam Ticurtina, à bovis capite, quod ſupra eam eſt, nunc Taurina : à templo ſuburbano, vulgo S. Laurenti. Antiquiſſimo nomine Metia, id enim inde conjicio, quod idem de Metia ſcribat Plautus, quod de Eſquilina Horatius : nec diſſentit ab utroque Corn. Tacitus, qui libro ſecundo Annalium ait, ſumptum more priſco extra Eſquilinam de nocentibus ſupplicium, Plautus in Caſina,

Illum ædepol videre ardentem te extra portam Metiam
Credo ecaſtor velle. Horatius V. Epod.
Poſt, inſepulta membra different lupi,
Et Eſquilinæ alites.

In quem locum annotavit Porphyrio, in regione aggeris extra portam Eſquilinam ſolita fuiſſe pauperum corpora vel comburi, vel projici. Combuſta fuiſſe indicat Plautus, projecta Horatius.

VII. *Nævia.*

A Plinio Lavicana, à vetuſtioribus Rauduſculana : hodie porta Major, ab ædificii magnificentia, propter ductum aquæ Claudiæ, cujus ibi veſtigia apparent.

VIII. *Cœlimontana.*

Aliquando Aſinaria, nunc à templo porta S. Joannis, à quibuſdam porta Laterana. Per hanc Alarico duce ingreſſi Gothi, urbem captam diripuerunt, Innocentio Primo Pontifice.

IX. *Gabiuſa.*

Sub Cœliolo, nunc Clauſa, alias S. Methodii. Per hanc rivus Appiæ urbem influit.

X. *Latina.*

Quæ & Valeria, à via : & Ferentina, ab oppido Hernicorum. De priore nomine incertum eſt : de altero ſuam conjecturam attulit Marlianus.

XI. *Capena.*

A via interdum Appia, à templo olim Camœna, à Tortellio & Merula Fontinalis, nunc S. Sebaſtiani. Celeberrima apud Poëtas. Propertius lib. IV. *Armaq; cum tulero portæ votiva Capenæ*

Juvenalis Sat. III.

Subſtitit ad veteres arcus, madidamque Capenam.

Martialis lib. IV. Epigram.

Capena grandi porta qua pluit gutta.

XII. *Trigemina.*

Nunc Oſtienſis, vel S. Pauli. Veteris Trigeminæ ad Tiberim in vineto quodam ſunt veſtigia, alium enim in locum tranſlata à Claudio Imp. fuit. Extra hanc tenues ſtipem petere ſolitos, ſignificat Plinius lib. XXXIV, inquiens : Extra portam Trigeminam, unciaria ſtipe collata, & alludit eodem Plautus in Captivis, apud quem ſic loquitur paraſitus :

Vel

Vel extra portam ire Trigeminam ad ſacculum licet:
Quod mihi ne eveniat, nonnullum periculum eſt.

XIII. *Navalis.*

Trans Tiberim, quæ & Portuenſis, nunc porta Ripæ, vel Vinaria, quod extra eam vina externa, maxime tamen Campana & Thuſca, vendantur.

XIV. *Aurelia.*

In Janiculo monte, nunc S. Pancratii, aliquando Trajana.

XV. *Septima.*

In eodem monte, hæc & Fontinalis, & ſubtus Janum. Per hanc ingreſſi, Fronsbergio & Borbonio ducibus, Germani Romam diripuerunt, Clemente Septimo, Hetruſco, Pontifice.

De Urbe Leonina, & ejus portis.

Planicies intra Tiberim & montem Vaticanum, vulgo Regio Burgi, ſeu Vaticanum ſuburbium, à Leone Quarto Pontifice, urbs Leonina, & nova Roma appellata, quod eam partem adverſus Saracenos, tunc univerſam Italiam ab utroque mari infeſtantes, munitam reddiderat, mœnibuſque contra incurſiones ſepſerat. Ea nunc quinque habet portas, quarum hæc ſunt nomina:

Poſterula.

Vel porta Turrionis, quæ ducebat ad ſcholam Saxonum & Longobardorum, prope campum ſanctum.

S. Spiritus.

Infra Janiculum, eundo ad Septimiam, à templo vicino nomen habens, circa quam olim Triumphalis porta fuit.

Pertuſa.

Vel S.Peregrini. in dorſo Vaticani, non longe à ſtabulis Palatinis.

Viridaria.

Vel porta Julia, ſubjecta palatio Pontificis: hæc in campos ducit.

Subjecta.

Per quam apud molem Hadriani, nunc caſtellum S. Angeli, in campos iter eſt.

De Portis, quæ jam non extant.

Legitur de aliis portis apud ſcriptores, quæ jam nullæ ſunt, ut Urbis Romuli antiquiſſimæ quatuor. Prima Romana, quæ ab Ovidio porta Palatii, a Varrone Mugionia, à Verrio Trigonia appellata. Altera Pandana, quæ & Saturnia, & Romanula, & Libera. Tertia Carmentalis, & aliis nominibus Tarpeia, & Scelerata, & Veientana, & (ut ex Plinio conjici poteſt lib.VIII,) aliquando Ratumena. Quartam addunt nonnulli, Janualem. Præter has auctæ jam urbis & aliæ inveniuntur, vel à ſtatis ſacrificiis dictæ, ut Piacularis, & Catularia & Stercoraria: vel à deorum templis, ut Sangualis à Sango, Salutaris à Salute, Libitinenſis à Libitina, Minutia à ſacello Minutii. De his malo allatas aliorum ſententias ſequi, quam contra aliquem contendere, aut novam conjecturam ſine auctoritate affingere.

CAP.

CAP. V.

De viis intra & extra Urbem.

MAxima senatus diligentia fuit in viis faciendis: bonis enim Reip. temporibus id agebant principes Romani, non ut sua cupide nimis augerent, sed ut honori publico, & civium commodis consulerent. Ac quod Demosthenes de Atheniensibus prædicat, Aristidem & Miltiadem, aliosque illustres viros, cum urbem publice ita ornaverint, ut ad incrementi amplitudinem posteris vix reliquerint locum, privatim ipsos nihil magnificentius habitavisse, quam quemvis ex modicis vicinis suis. Idem de Romanis veteribus, suorum temporum improbitatem reprehendens, merito jactavit Hortatius secundo Carminum oda xv.

Privatus illis census erat brevis,
Commune magnum: nulla decempedis
Metata privatis, opacam
Porticus excipiebat Arcton.
Nec fortuitum spernere cespitem
Leges sinebant, oppida publico
Sumptu jubentes & deorum
Templa novo decorare saxo.

Ex talibus operibus laude dignis, & utilibus Reip. fuit viarum magnificentia. Earum curandarum munus censoribus à senatu commissum fuit: quibus Augustus Cæsar, Viarum curatores addidit, qui ut & Quatuor viri tuendarum viarum in primis nominati fuerunt, id quod inscriptiones Tiburi, Formiis, Alysis, item Urbini, Romæ, Præneste, & extra Italiam, Daciæ, Gallicæ, Hispanicæ, indicant: Viæ autem ejusmodi cum intra urbem, tum etiam extra fuerunt, & in Provincias ipsas commoda earum translata sunt. Etenim viæ Pompeiæ in Sicilia meminit Cicero contra Verrem; viæ Domitiæ in Gallia, idem pro M. Fonteio: viæ Posthumiæ in Insubria, Cornelius Tacitus: viæ Domitianæ in Campania, Statius Papinius. Nunc ad Romanas venio, & primum ad urbanas.

Viæ Urbanæ.

Sex. Pompeius, ne hoc ignoretur, annotavit, in viarum nominibus, substantivum in sermone præponendum, ut dicatur, Via sacra, & via nova; non sacra via, aut nova via. Verum hæc communis est præceptio, ut dicatur, forum Cæsaris, theatrum Scauri, domus Pompeii: item mons Vaticanus, pons Sublicius, porta Metia, tribus Cornelia; ut id quod generis significationem habet, minus commune verbum in sermone Romano usitate antecedat. Hoc licet à Poëtis raro, à Cicerone & aliis non semper observetur, tamen plerumq; locum habet.

Via Sacra.

Inter urbanas celeberrima, incipit ab ampitheatro, & per vicinos hortos

hortos juxta templum Pacis & forum Cæsaris recta tendit in Capitolium. Per hanc triumphantes Capitolium ascendebant. Propert. lib. II.

Actiaque in sacra currere rostra via.

In eadem, ut fit, animi caussa ambulabant: unde Horatius in Sermonibus:

Ibam forte via sacra, sicut meus est mos.

Item populo se ostentabant homines auræ popularis studiosi: ut de Mena Pompeii Magni liberto idem Poeta in Epodis,

Videsne, Sacram metiente te viam
Cum bis ter ulnarum toga,
Ut ora vertat huc & huc euntium
Liberrima indignatio?

Et de puella populo se præbente Propertius,

Cui sæpe immundo Sacra conteritur via socco.
Nec sinit esse moram, si quis adire velit.

In eadem propter frequentiam res viles vænibant, ut poma, flabella, tesseræ, tali: testantibus Varrone, Ovidio, Propertio, Sacravienses, ut Suburenses, qui ad viam sacram, & Suburam habitant, nominavit Festus.

Via nova.

A Velabro inter Capitolium & Palatium, ducens in forum. Ovid. IV. Fast.

Qua via Romano nunc nova juncta foro.

Via nova alia.

Prope Severi septizonium declinans ab Appia Aventinum versus, & rursus in eam sub thermis Antoninianis incidens, qua pulcriorem inter plateas Romanas nullam inventam, scribit Spartianus.

Via lata.

A macello corvorum, ad septa campi Martii extensa. Hæc vetus nomen retinet, & nunc Romæ est pulcherrima.

Via alta.

Intra Quirinalem & Viminalem, tendens ad portam Viminalem, lapide olim quadrato strata, & Alta semita dicta.

Via recta.

Ducens per longitudinem campii Martii. Seneca de morte Claudii: Trahit capite obvoluto, ne quis eum posset agnoscere, per campum Martium, & inter Tiberim & viam rectam descendit ad inferos. Hæc via prope Flaminiam fuit. Martialis lib. VIII.

Dum repetit sera conductos nocte penates
Lingonus à Recta Flaminiaque recens.

Via fornicata.

Prope Flaminiam, ea parte qua steterunt Ovilia. Hujus sæpe mentionem facit Livius.

Via suburana.

A foro Trajani, ad ædem nunc S. Agathæ.

Via piscinaria.

Inter Cœliolum & Aventinum, porrecta ad piscinas publicas, quæ quamvis tollerentur, viæ tamen nomen remansit.

Via triumphalis.

A campo Vaticano continuabatur in Capitolium. Ejus particula silicibus strata adhuc cernitur, inter templum S.Spiritus, & Tiberim.

Via Ælia.

Ab Ælio Hadriano facta, Triumphali contigua.

Viæ extra urbem.

Hæ viæ partim intra urbem initium habuerunt, ut Flaminia, Prænestina, Tiburtina, Lavicana, Campana, Gabiusa, Appia, Ardeatina, Aurelia: partim extra urbem inceperunt, ut reliquæ omnes. Nomina sortitæ sunt, una tantum, a porta unde orietur, ut Salaria; plures ab auctoribus, ut Flaminia, Æmilia, Cassia, Valeria, Numicia, Appia, Aurelia, Cornelia, Vitellia: pleræque a civitatibus, ad quas erant deductæ. Tam autem latæ quædam fuerunt, ut binos currus simul euntes caperent: tam longæ, ut Provinciarum terminos attingerent. Primum in urbe tantum silice sternebantur, extra vero glarea, ut ex Tibullo & Plinio licet cognoscere: posterioribus temporibus omnes silicibus stratæ sunt. Verum unde tanta lapidum copia advecta sit, nondum me legere memini. In Campania duos montes vidi, ex quibus saxa ejusmodi exscinduntur: unum prope Suessam, alterum ad mare intra Puteolos & Neapolim. Silices lati sunt ternos quaternosve pedes, & reperi quaqua versui latos pedes quinos. Viarum nomina recensebo secundum portas. Quod autem discrepant interdum scriptorum sententiæ, minime mirandum est: siquidem non uno tempore sunt stratæ: & una in alteram sæpe exiguo, sæpe longiore, intervallo incidens, nomen alterius mutat.

Via Flaminia.

Hæc à Cn. Flaminio per Hetruscos Aretium, ab Augusto Cæsare per Umbriam & Picenum, Ariminum usque strata, longa ad xl. milliaria Germanica. Martialis lib. x.

Totaque Flaminia Roma videnda via.

Hujus intra Ocriculum & Romam vestigia in vepretis vidimus. Crebra ejus mentio apud Tacitum, & de eadem inscriptio Tarraconensis Hispaniæ, quæ L. Ovinio, L.F. Quirino Rustico posita, in qua inter cætera legitur.

CURATOR. VIÆ FLAMIN. LEGATO LEG. MYS. INFERIORIS CURAT. VIÆ TIBURTIN.

Claudia.

Flaminiæ juncta; Ovidius 1. de Ponto,

Nec quos promiseris positos in collibus hortos
Spectat Flaminiæ Claudia juncta viæ.

Æmi-

Æmiliæ.

Æmiliæ duæ fuerunt, unam ſtravit Lepidus Bononiam, & ex ea Aquileiam, Martialis lib. III. alloquens librum ſuum,

Romam vade liber: ſi, veneris unde, requiret?
Æmiliæ dicas de regione viæ.
Si, quibus in terris, qua ſimus in urbe, rogabit?
Corneli referas me licet eſſe foro.

Idem de eadem libro VI. & Plinius libro I. agens de mirifico portento agri Mutinenſis: in eadem Faventiam poſitam ſignificat, lib. XIX. Junior Plinius ad Pontium: Mihi nunciatum eſt, Cornutum Tertullum accepiſſe Æmiliæ viæ curam. Alteram Æmiliam ſtravit Scaurus, quæ per Piſas, Lunam, Sabbatios, Dertonam uſque pertinuit.

Caſſia.

Extra Flumentanam per Sutrium, Viterbium, Vulſinios mittebat. Hujus rudera quædam inter oppida nominata extant.

Cimina.

Fuit propinqua ſuperiori, vel ab oppidi, vel à montis, vel à lacus nomine dicta. Hujus mentio apud Victorem,& in marmore Auximi.

C. OPPIO C. F. VEL SABINO CUR. VIAR.
CLODIAE ANNIAE CASSIAE CIMINAE APPIAE AURELIAE
TRIUM TRAJANARUM ET AMERINAE.

Clodia, quæ in hac inſcriptione nominatur, eſt, quæ ab Ovidio Claudia. De Annia, & tribus Trajanis, nihil certi habemus.

Amerina.

Hanc ex poſita inſcriptione fuiſſe cognovimus, & duxiſſe Ameriam.

Collatina.

Extra portam ejuſdem nominis, ducens Collatiam, poſt exiguum ſpatium incidens in Salariam.

Salaria.

A porta Collina mittens in Sabinos, non magnæ (ut Strabo inquit) longitudinis, a deportando ſale adepta nomen. Martialis,

Illic Flaminiæ, Salariæque,
Geſtator patet eſſedo tacente.

Tacitus lib. XIX. Ut tranſverſis itineribus per agrum Sabinum via Salaria Urbem introirent, & paulo poſt, Tertium agmen per Salariam Collinæ portæ propinquat. In hac via, ad quartum & decimum milliare, ut Vibius, vel ad undecimum, ut Livius, prope Alliam flumen, victoria contra Romanos potiti ſunt Galli.

Numentana.

A Viminali, vel (ut Strabo) à Collina inchoans apud Eretum vicum in Salariam incidit. Quamobrem ſuperiorem & hanc tanquam vicinas conjungunt, Suetonius in Nerone, & Eutropius loquens de morte Caligulæ: Numentanæ prope Urbem extant adhuc veſtigia. Ovid. IV. Faſt.

Hac

Hac mihi, Numento Romam cum luce redirem,
Obstitit in media candida turba via.

Tiburtina.

Extra Esquiliam. Tibur mittens. Ab hac porta multæ viæ incipientes, in diversa loca postea dividuntur. Horat. 1. Serm.

Cum Tiburte via prætorem quinque sequuntur.

Tusculana.

Hanc una cum Albana instauravit M. Messala, quem laudibus celebrat lib. 1. Tibullus:

Nec taceam monumenta viæ, quæ Tuscula tellus,
Candidaque antiquo detinet Alba lare.
Namque opibus congesta tuis hic glarea dura
Sternitur, hic apta jungitur arte silex.

In Albana olim via Julio Proculo apparuit Romulus.

Prænestina.

Hujus initium cœpit à Subura, cujus intra urbem adhuc ex lapide quadrato supersunt vestigia, & in frutetis extra urbem, à Tusculo Præneste euntibus.

Lavicana.

Intra Esquilinum & Cœlium, per Esquilinam (ut Strabo inquit) portam exiens, vel, ut alii, per Næviam, deduxit ad Lavicorum oppidum. Sed & hoc & Tusculum à dextra relinquens, ad Pictas & Latinam viam terminabatur.

Campana.

Extra Cœlimontanam de qua Romæ in marmore:

HUIC MONUMENTO ITUS ADITUS AMBITUS DEBETUR EX SENTENTIA EROTIS AUG. L. JUDICIS A VIA CAMPANA PUBLICA.

Et apud Suetonium in Cæsare Augusto.

Gabina.

Intra Cœlium & Cœliolum orta, ducens Gabios. Strabo lib. v. non idem dicit, primum enim ait, Latinam inter Appiam & Valeriam positam: postea inter Latinam & Valeriam, interjicit Prænestinam, & in Prænestina via Gabios sitos inquit.

Valeria.

De Latina declinavit per Sabinos, ad Marsos: & inde ad Corfinium, Pelignorum metropolim, pertinuit.

Latina.

Hæc per Ferentum, Frusinum, Fabrateriam oppida ad Casinum extensa, ubi in Appiam incidit. In Dacia hæc legitur inscriptio,

L. ANNIO FABIANO.
III. VIRO CAPITALI CURATORI VIÆ LATINÆ LEG. X. FRETENSIS LEGATO.

Hanc viam Martialis modo Latiam, modo Ausoniam nominat, libro IX.

———simili venerandus ab Hercule Cæsar,
Consecrat Ausoniæ maxima fana viæ.

Idem eodem libro IX.

Herculis in magni vultus descendere Cæsar
Dignatus, Latiæ dat nova templa viæ.
Quâ Triviæ nemorosa petit dum regna viator,
Octavum, domina marmor ab Urbe legit.

Cicero pro Cluentio, cauponem quendam de via Latina nominat.

Appia.

A porta Capena, vel potius à septizonio initium sumpsit, omnium maxima & laudatissima, ab Appio censore (ut Frontinus inquit) ad urbem Capuam munita, sed verius Tacitus, & auctor de Viris illustribus, qui Appium hanc viam deduxisse Brundusium usque affirmant. Certe Augusti temporibus eo pertinuit, si Horatio credimus: item Tiberii, si Straboni, & hoc ipsum sub Nerva potuit ignorare Frontinus? Longitudine circa sex & sexaginta milliaria Germanica (unumquodque autem v M. pass. continet) est complexa, quamobrem ad Pollium bene Statius,

———qua limite noto
Appia longarum teritur regina viarum.

Hæc prope Romam deflectens, inter Tusculum, & Albam, per montes deducit Aretiam, Algidum, Pictas, Pandochiam: hinc ad maritima pervenit Taracinam, Formias, Minturnas, Sinuessam, & inde Capuam, Sidicinum, Callateriam, Calydium, Beneventum, Brundusium. Libo Drusus Scribonius, conjurationis adversus Tiberium reus, aliquando consultavit, an habiturus esset opes, quis viam Appiam Brundusium usque pecunia operiret. Ab auctoris nomine dicta Appia: à gentis, Claudia: ab imperatoris qui restituit, Trajana. Ejus mensi partem sumus à Monticella, Fundis, Itro, Formiis, ad xx M. pass. & iterum vidimus apud Capuam novam; quo in loco eam restituisse Antoninum Pium, inscriptio pontis supra Vulturnum fluvium demonstrat.

Numicia.

Appiæ vicina, testimonio Horatii lib. I. epist.

Brundusium Numici melius via ducat, an Appi,

Ardeatina.

Ex Aventino, juxta Antonini thermas, strata Ardeam.

Laurentina.

Ex eodem monte Laurentum deducta. Ovid. II. Fastorum:

Est via, quæ populum Laurentes ducit in agros.

Inter

Inter Ardeatinam & Ostiensem Gellius Laurentinam ponit: Et Laurentinam atque Ostiensem, tanquam propinquas inter se, conjungit Plinius junior, in epistola ad Gallum.

Ostiensis.

Quæ ad Ostiam mitteret. De hac inscriptio Neapolitana,

M. BASSÆO M. F. PAL. AXIO
PATR. COL. CUR. R. P. II VIR MUNIF. PROC. AUG.
VIÆ OST. ET CAMP.

Hæc exigua spacio fuit.

Portuensis.

Quæ ultra flumen ad portum Ostiensem, totius orbis amplissimum ducebat.

Aurelia.

Maritimæ Thusciæ ora, per agros sylvasque Pisas extensa. Hæc & Consularis dicta fuit, & ab instauratore, Trajana. Invenitur Aurelia vetus & nova, altera fortasse ob auctorem, altera propter reparatorem. Tiburi in epigrammate C. Popilii inter cætera sic legitur,

CURATORI VIAR. AURELIÆ VETERIS ET NOVÆ
CORNELIÆ ET TRIUMPHALIS.

Cicero, XII Philipp. Tres viæ sunt ad Mutinam, à supero mari Flaminia, ab infero Aurelia, media Cassia.

Cornelia.

De hac in Tiburtina inscriptione, & in Roman. domus Cæsiæ.

CURATORI VIARUM
AURELIÆ CORNELIÆ.
TRIUMPHALIS.

Ex quibus conjicio, inter Aureliam & Triumphalem interjectam fuisse.

Triumphalis.

Hæc intra urbem initium habuit, & de qua supra dictum est.

Vitellia.

A Janiculo monte ad mare usque munita, auctore Suetonio.

Curatores viarum vectigalia certis hominibus locabant: quæ qui redimerent, mancipes dicti sunt. Unde mancipum fraude, & magistratuum incuria viæ sæpe interruptæ, & imperviæ factæ sunt: de qua re conqueritur Tacitus. De ejusmodi mancipe inscriptio Romæ, in domo Cardinalis Carpensis:

CN. CORNELIO
CN. F. SAB. MUSAEO
MANCIPI VIÆ APPIÆ

Viarum munitio ac restitutio maximæ curæ fuit

C.

C. Graccho, ut Plutarchus: item ex Imperatoribus Tiberio, ut Tacitus ſcribit: & Veſpaſiano, ut Sex. Aurelius, probatque marmor vetus Romanum.

IMP. CÆS. VESPASIANO AUG. PON. MAX. TRIB. POT. IMP. IIX. P. P. COS. III. DES. IIII. S. C. QUOD VIAS URBIS. NEGLIGENTIA SUPERIOR. TEMPOR. CORRUPTAS IMPENSA SUA RESTITUIT.

Poſt hoc Trajano, à quo multæ viæ nomen abolito priſtino acceperunt, ut Appia, & Aurelia: & trium Trajanarum ſupra facta eſt mentio. Ad vias exædificatæ fuerunt ædes, domus, arcus, hippodromi, prædia, horti, tabernæ, & (ut ſuo loco dicemus) ſepulcra, tanta frequentia & ſplendore, ut exterarum gentium legati per ſuburbana euntes, in ipſa Urbe ſe verſari crederent.

CAP. VI.

De regionibus & tribubus.

URbs Roma in regiones quatuordecem diviſa fuit, quod Plinius ſcribit, & his verbis Tacitus, de incendio loquens Neroniano: In regiones quatuordecem Roma dividitur, quarum quatuor integræ manebant, tres ſolotenus dejectæ, ſeptem reliquis pauca tectorum veſtigia ſupererant, lacera & ſemiuſta. Teſtatur idem antiquus lapis in Capitolio ante domum Triumvirûm, quos nunc Conſervatores nominant:

IMP. CÆSARI DIVI
TRAJANI PATRICI FIL.
DIVI NERVÆ NEPOTI
TRAJANO HADRIANO
AUG. PONTIF. MAXIMO
TRIBUNIC. POTEST. XX.
IMP. II. COS. III. P. P.
MAGISTRI VICORUM URBIS
REGIONUM XIIII.

De regionibus extat libellus Publii Victoris, ſeu (ut alii volunt) Sex. Ruffi, qui hæc imponit illis nomina, Porta Capena, Cœlimontium, Iſis & Sarapis, Via ſacra, Eſquilina, Alta ſemita (cujus & Suetonius mentionem facit in Domitiano) Via lata, Forum Romanum, Circus Flaminius, Palatium (hoc quartam regionem nominat Varro) Circus Maximus, Piſcina publica, Aventinus, Tranſtiberina. Spacia & terminos nemo ex antiquariis Romanis, in tanti loci opportunitate, & cæterorum adjumentorum copia adhuc inveſtigavit. Auguſtus ad cuſtodiam Urbis propter tumultus ſubitos, aut nocturna incendia, ſeptem Vigilum cohortes ex libertinis conſcripſit, eiſque regionem Tranſtiberinam habitandam conceſſit. Iis qui præerat, Præfectus Vigilum aut Vigilibus præpoſitus (ut apud Tacitum) dicebatur. Ex

quatuordecim regionibus, prima, duodecima, & tertia decima, Gothico incendio ita consumptæ sunt, ut neque postea unquam restitui potuerint: auctor Pomponius. Regiones hodie (ut recentiora cum antiquis conjungam) totidem numero sunt, sed & nominibus & distributione diversæ. Regio Montium, Trivii, Columnæ, Campi Martii, Pontis, Parionis, Harenulæ, Eustachii, Pineæ, Angeli, Cambitelli, Ripæ, Transtiberina, Burgi. Regiones ipsæ dividuntur in vicos, quemadmodum tribus in Curias.

Tribus autem Urbis antiquæ fuerunt quinque & triginta: ut ex actionibus Ciceronis contra Verrem & Rullum, & ex Augusto Suetonii, clarum est. M. Varro de tribubus libros scripsit; & singulas singulis Satyris laceravit Lucilius, de quo Persius:

------ Secuit Lucilius urbem.

Et apertius Horatius in Sermonibus:

Primores populi arripuit, populumque tributim.

Asconius in secundam Vertinam tribus improprie Curias, item Varro libro IIII, de lingua Latina, non recte regiones nuncupat; idem tamen paulo post ipse se corrigit. De tribubus, unde nomina habeant, & quibus temporibus auctæ ad hanc multitudinem pervenerint, dicere hoc loco non est necesse. De priore qui volet cognoscere, legat Sex. Pompeium: de posteriore, T. Livium. Tribus ratione triplici fuerunt distinctæ: in urbanas, & suburbanas, quæ fuerunt libertinorum: & rusticanas, quæ ingenuorum. Urbanæ ex sententia Varronis quatuor, Suburana, Palatina, Esquilina, Collina. Suburbana una tantum, Romilia. Rusticanæ triginta,

Æmilia	Crustumina
Aniensis	Fabia
Claudia	Falcrina
Cornelia	Galeria
Lemonia	Quirina
Metia	Sabatina
Narniensis	Scaptia
Oriculana	Sergia
Oufentina	Stellatina
Papiria	Terentina
Pollia	Tromentina
Pontina	Veientana
Popilia	Velina
Publicia	Veturia
Pupinia	Volirina.

Harum nomina crudite collegit Paulus Manutius, in Scholiis, quæ in Ciceronis epistolas edidit, appositis, qui de iis meminerunt, scriptoribus. Propter antiquitatis studiosos omittendum non est, tribus aliquas varie scribi solitas, ut Pontina, Pomptina, Crustumina, Clustumina, Suburana, Sucurana, de qua Varro & Quintilianus. Eandem unica litera scribi solitam, ex Junio, Varrone, & antiquis epigrammatis,

matis, librisque manuscriptis cognoscitur. Publica in Veronensibus marmoribus, Poblicia, Ufentina, in Mediolanensibus & apud Sex. Pompeium, Oufentina. Volitina, in Bergomatibus Votina, in Reatensibus Voltinia. De Sapinia, quam aliqui ex Livio (si correctus liber est) addunt, nihil habeo dicere, sicuti & de Menia apud Ciceronem in epistola ad Crassipedem: item de Camilla, Flavia, Ulpia, quas in antiquis marmoribus reperi. Vel igitur à posterioribus plures sint adjectæ, quod ego mihi sine auctoritate persuadere non possum, vel ex illis aliquæ diversis nominibus appellatæ: id quod factum est aut à Censoribus, qui populi partes in tribus describebant, & (ut Sex. Pompeius inquit) uni tribui alios diversarum civitatum sæpe adscribebant; aut, quod vero similius est, ab Imperatoribus, qui tribus ampliabant: ut à gente Domitiani Flavia, à Trajani Ulpia fuerit dicta. Trajanus quidem certe tribus auxit, ut manifeste indicat marmor Romanæ in domo Alexiorum,

IMP. CÆSARI DIVI NERVÆ F. NERVÆ TRAJANO AUG. GERMANICO DACICO PONTIFICI MAXIMO TRIBUNIC. POT. VIII. IMP. IIII. COS. V. P. P. TRIBUS XXXV. QUOD LIBERALITATE OPTIMI PRINCIPIS COMMODA EARUM ETIAM LOCORUM ADJECTIONE AMPLIATA SINT.

Civium in tribus distributorum nomina, Elephantinis libris conscripta asservabantur, in ærario Saturni. Ne quid autem temere affirmasse videar; res ipsa postulat, ut inscriptiones, unde ignotæ illæ tribus sumptæ sint, adscribam, si quis forte ad investigandum diligentius excitari queat. *Menia*, de qua Cicero.

Alyiis.

M. GRANIO M. F.
MEN. CORDO &c.

Nuceriæ.

P. AIO. P. F. MEN.
EX TESTAMENTO.

Camilla, Romæ.

TI. CLAUDIO TI. F. CAMIL.
SOTERICHO.
VIXIT ANNIS DUOBUS.

Ibidem.

Q. MANLIUS QU. F. CAM.
SOCIUS
ALBA POMPEIA VETER.

Flavia, Romæ.

C. VALERIUS C. F.
FLAVIA SPECTATUS.
SISCLA MIL. COH. VIII. P. R.

Ulpia, Romæ.

C. GALLONIUS C. F.
ULP. MARITIMUS.

Docemur præterea ex his inscriptionibus initio positum fuisse nomen, proxime familiæ, tum patris, deinceps tribus, ad extremum cognomen. Ita in IX Philippica Ciceronis: Servius Sulpitius Quinti filius Lemonia Rufus: Item pro Quintio: Ubi cognomen, quod fortasse non fuit, omissum est. In oratione, De novo agendi genere, seu prima actione in Verrem, inquit: Inventum esse fortem amicum ex eadem familia, Q. Verrem Romilia, quo in loco & nomen patris, & cognomen quoque contempti hominis præterit: tribum, cum suburbana esset, collocavit. Tribus autem appellationem ablativo casu ponebant, ut intelligeretur præpositio: quod & Asconius in Verrinas, & Servius in tertium, & in decimum Æneidos annotaverunt.

CAP. VII.

De foris, ad splendorem Urbis, & hominum necessitatem factis.

FOra Romana distinguemus primum in ea, quæ ad splendorem Urbis facta sunt, & in quibus hominum conventus fierent, vel negotiorum civilium, vel delectationis causa. Deinde in illa, quæ ad communes populi usus parata, negotiantibus paterent, quibus propter necessitatem carere nulla civitas potest.

De foris primi generis.

Romanum.

Incipit à Capitolii radicibus; ubi nunc Septimii arcus est, & secundum longitudinem ad S. Mariam novam, ubi Titi arcus, protenditur: secundum latitudinem à Palatini radicibus ad viam Sacram, & Saturni ædem. Variis nominibus appellatum fuit. Ut enim poeta nomine apud Græcos Homerus, ita fori in Urbe, Romanum accipitur. Ovidius de Ponto.

Te modo campus habet, densa modo porticus umbra,
Nunc, in quo ponis tempora rara, Forum.

Per campum, Martius: per porticum umbrosam, Popeia: per forum, Romanum, in his versibus intelligitur. Romanum dictum, à dignitate urbis, quod præ cæteris esset ornatissimum, propter ædificia: & frequentissimum, propter judicia. Propert. lib. 4.

Atque ubi nunc terris dicuntur jura subactis,
Stabant Romano pila Sabina foro.

Dictum etiam forum Latium. Ovid. IV. Fast.

Cujus in ingenio est patria facundia linguæ,
Qua prior in Latio non fuit ulla foro.

Præterea forum magnum à Victore, & Ovidio, III Fast.

Et tenet in magno templa dicata foro.

Ad extremum, Forum vetus, in vita M. Antonini apud Herodianum. Hoc in tres partes dividit, & varia in eo hominum studia describit in Curculione Plautus:

In foro infimo boni homines atque dites ambulant.
In medio propter Canalem, ibi ostentatores meri,

Cer-

Confidentes, garruli que, & malevoli. Supra lacum,
Qui alteri de nihilo audacter dicunt contumeliam;
Et qui ipsi sat habent, quod ipsis possit vere dicier.

Per lacum, significat Curtium, quem describit VI Fast. Ovidius. Prope eum fuerunt Rostra, & statua Marsyæ coronati, ad quam homines litigantes conveniebant. Horatius I Serm.

Deinde eo dormitum, non solicitus mihi quod cras
Surgendum sit mane; obeundus Marsya.

Seneca VI de Beneficiis: Forum ipsum ac rostra, ex quibus pater legem de adulteriis tulerat, filiæ in stupra placuisse, quotidianum ad Marsyam concursum; de qua re item Plinius lib. XXI. cap. III. Hæc propter locum Plauti attuli. In liberis Græciæ civitatibus, ita Marsyæ statua olim in foro collocabatur, ut nunc Rolandi superiore Germania. E regione Marsyæ, alius locus erat, ad quam conveniebant fœneratores, quem Libonis puteal nominabant, inter porticum Juliam & arcum Fabianum, ut Persii interpres scribit, Horatius,

Roscius orabat sibi adesses ad puteal cras. Persius,
Si puteal multo cautus vibice flagellas.

Sed ad fora redeamus.

Sallustii.

In monte Quirinali, in quo loco nunc ædes S. Susannæ. Hoc forum Sallustius post Africanam præturam emit, una cum hortis, qui & nunc Sallustiani appellantur.

Cæsaris.

Post templum Pacis & Faustinæ, ædificatum à Cæsare de Gallicis manubiis, hoc tempore in hortos mutatum. Situm ejus indicat Ovid. III. Tristium,

——— Hæc sunt fora Cæsaris, inquit,
Hæc est à sacris quæ via nomen habet.

Hoc restituit Domitianus, & nominavit Palladium, Martialis lib. I.

Limina post pacis Palladiumque forum.

Augusti.

Superiori vicinum, turrim Comitum versus, & hoc in hortos transiit. Templo Martis Ultoris, & colosso Augusti conspicuum. De templo Ovid. V. Fast. loquitur,

Templaque in Augusto conspicenda foro.

De utroque Martialis lib. 8.

Foroque triplici sparsus ante equos omnes,
Ædemque Martis; & colosson Augusti.

Spatio modicum fuit, ne aut alienas domos violenter invaderet, aut publica ædificia ignominiose everteret. Unde idem poeta ad Liviam, Augusti conjugem,

Ne vires errasse tuas campoque foroque.

Hoc inter Urbis miracula refertur à Plinio. Restitutum ab Hadriano est, teste Spartiano. Latini scriptores cum de tribus foris loquuntur,

Romanum, Cæsaris, & Augusti intelligunt: quod interpretes raro observarunt. Seneca de ira: Adjice nunc publica perjuria gentium, circumscriptiones, fraudes, inficiationes, quibus trina non sufficiunt fora. Martialis in Epig.

Causas, inquis, agam Cicerone disertius ipso.
Atque erit in triplici par mihi nemo foro.

Statius in Sylvis,

Nec saltem tua dicta continentem,
Quæ trino juvenis foro tonabas.

Ovidius III. Tristium,

Scena viget, studiisque favor distantibus ardet,
Cumque tribus resonant terna theatra foris.

Fora quæ sint, nominavimus. Theatra sunt Pompeii, Marcelli, Statilii: singulorum adhuc vestigia extant, ut intra aperiemus.

Nervæ.

Post templum S. Hadriani, quod templum inde à tribus foris dictum est; hoc ad Quirinalem usque montem, parte ejus aliqua complanata, pertinuit. Transitorium dictum, quod inde in tria fora transitus pateret. Martialis lib. X. ——— *nec illic*

Sunt triplices thermæ, nec fora juncta quater.

Per thermas triplices, Agrippæ, Neronis, & Titi intelligit: per quatuor fora, Romanum, Cæsaris, Augusti, Nervæ. Hoc etiam restituit Domitianus, ut est apud Suetonium.

Trajani.

Intra Capitolinum & Quirinalem, ædificiis jam occupatum. Giganteis operibus comparatum à Marcellino. In hujus medio pulcherrima columna Cochlis, ex saxo solido fundata, & compacta sine cæmentis & calce, ita ut non artificiosa, sed naturalis videatur. Alta est pedes CXXXVIII, ut Marlianus: vel pedes CXL, ut Eutropius, quem sequitur Platina. Sed alter fortasse à columna, alter a basi initium mensuræ sumpsit. Gradus habet CLXXVII, fenestellas XLIV, latitudine palmi & dimidii intra ædificium, quæ in valde angustum contrahuntur, ut foris acceptum lumen intus diffundant. Columna Pario marmore incrustata, in qua res gestæ Trajani, & præcipue bellum Dacium est expressum. Cernere in ea est formas munitionum, propugnaculorum, pontium, navium: item varia militum opera ligantium, ædificantium, castrametantium, fossas agentium, equos adaquantium, trophæa ferentium, in triumpho euntium: item formas thoracum, galearum, clypeorum, scutorum, zonarum, lituorum, pugionum, pilorum, gladiorum, pharetrarum, aliorumque armorum. Ab ea parte, in qua inscriptio est, Victoriæ alatæ, cum duabus aquilis.

De foris secundi generis.

Boarium.

In Velabro, inter Palatinum montem, scholam Græcam, & Janum quadrifrontem. Ovid. I. Fastorum,

Hic

Hic ubi pars Urbis de bove nomen habet. & vi.
Area quæ posito de bove nomen habet.

In eo templum nunc est S. Geo gii, corrupto nomine, ad Velum aureum: item arcus boarius. In quo cernuntur taurorum immolationes, & victimarii sacrificuli cum instrumentis malleo, cultro, securi, aheno, pateris, flagello, candelabro, linteis, & quibusdam aliis ad sacrificia pertinentibus.

Suarium.

Ad Radices Quirinalis, prope clivum qui ducit ad Caballos marmoreos: in eo foro extructum templum S. Nicolai de Porcilibus.

Piscarium.

Proxime ædem S. Angeli in piscina, ubi olim Mercurii porticus stetit. Vetus forum piscarium intra templa nunc S. Mariæ in porticu, & S. Mariæ Egyptiacæ. Plautus in Circulione,

Symbolorum collatores apud forum piscarium.

Pistorium.

Unum intra Capitolium & Palatium, juxta ædem Vestæ: alterum in Aventino. Hodie tria sunt, unum prope S. Mariam rotundam, alterum in vico Judæorum, tertium apud S. Laurentium in Damaso.

Cupedinis.

In quo esculenta & poculenta delicatiora venderentur, alii in Cœlio, alii in Esquilino statuerunt, eo in loco, in quo olim Numerius Equitius Cupes habitavit; nam ante illum ad Corneta appellatum fuit: utriusque rei testis Varro. Vetus nomen mutavit Æmilio & Fulvio Censs. ut inquiunt Festus & Plutarchus.

Suburanum.

In quo res ad victum necessariæ, à rusticis importatæ, venderentur. Martialis lib. VII.

Quidquid villicus Umber, aut colonus,
Aut rus marmore tertio notatum,
Aut Thusci tibi, Tusculique mittunt,
In tota mihi nascitur Subura.

Agonium.

Olim campus Agonius, nunc commune forum est omnium mercium.

Holitorium.

Inter Capitolinum & theatrum Marcelli quondam fuit, & nunc est: vulgo platea Montinaria.

Præter hæc, fori Archimonii mentionem facit Victor, Esquilini Appianus, Ceditii Festus, Argentarii Vitruvius, Jugarii recentiores.

CAP. VIII.

De Campis.

CAmpi in Urbe fuerunt planicies vacuæ ædificiis, qui aut spectaculorum causa habebantur, certorumque conventuum, aut usibus

bus civium necessariis addicti erant. Persequemur tantum eos, qui in urbe fuerunt; nam campum Horatiorum, de quo Martialis; item Ridiculi, de quo Plinius, extra Capenam portam, utrumque prudens omitto: ut & urbanos hos, Vulcani, de quo Festus: & Jovis, de quo Spartianus: & Licinii, de quo Persius; nec Sceleratum ponam, quem describit Plutarchus: quoniam supplicii locus fuit.

Campus Martius.

Qui à vicinitate fluvii, cui à septentrione adjacet etiam Tiberinus, fuit ager Tarquinii, post ejus exactionem dicatus Marti; hunc plenissime describit lib. v. Strabo. Quamvis autem Arrianus Nicomediensis multos enumerat celebres campos, fama tamen omnes vincit Tiberinus. Incepit ab eo loco, ubi nunc S. Laurentius in Lucina, usque ad pontem Mulvium extensus. Quæ in eo ludicra & exercitia fierent, Horatius lib. I. Carminum describit;

——— cur apricum
Oderit campum, patiens pulveris atque solis?
Cur neque militares
Inter æquales equitet, Gallica nec lupatis
Temperet ora frenis?
Cur timeat flavum Tiberim tangere? cur olivum
Sanguine viperino
Cautius vitat? neque jam livida gestat armis
Brachia: sæpe disco,
Sæpe trans finem jaculo nobilis expedito.

In eundem tribus vocabantur ad Comitia, ut novos magistratus crearent. In campo tumultu exorto, delectus habebatur. In campo, clari viri mortui cremabantur, ut Sylla, Hircius, Pansa: item Imperatores, qui rogo extincto, certis quibusdam ritibus ac ceremoniis referebantur in deos: quam rem pulcherrima narratione exponit in vita Antonini Herodianus. Si qui autem ex Imperatoribus S. P. Q. Romano probati non essent, eorum reliquiæ non deferebantur in Campum, sed tracta corpora præcipitabantur in Tiberim, ut Vitellio & Vario accidit, & de Commodo decretum fuit. In campo, animi causa ambulabant homines ociosi. Horatius in Epist.

Gaudentem parvisque sodalibus, & lare certo,
Et ludis, & post decisa negocia Campo.

Nunc pars ejus mœnibus inclusa, & variis ædificiis occupata est. Campi autem solius nomine, propter celebritatem, Martius intelligitur.

Martialis.

In Cœlio, à Martio denominatus. Nam Tiberi Martium inundante, ludorum pompa in Cœlium transferebatur, auctore Festo, & Ovidio III Fast.

Altera gramineo spectabis Equiria campo,
Quem Tiberis curvis in latus urget aquis.
Qui tamen ejecta si forte tenebitur unda,
Cœlius accipiet pulverulentus equos.

Esquilinus.

Eſquilinus.

Inter aggeres Tarquinii, & urbis mœnia ſeptentrionem verſus. In eo ante Auguſti principatum cadavera cremabantur, à Mæcenate converſus in hortos, & his temporibus vinetis conſitus.

Viminalis.

Poſt Diocletiani thermas, porrectus ad muros: hodie Vivarii campus, partim conſitus, partim vaſtus, & repletus varii generis viminibus.

Agrippæ.

In radicibus Quirinalis, regione viæ latæ.

Vaticanus.

Planicies illa patens, & à Janiculo ad Tiberim diffuſa, protenſaq; in longum, à ſiniſtra mœnibus cincta, nunc ex magna parte habitata.

Figulinus.

Ad portam Trigeminam, poſt Aventinum, in quo hodie fiunt Equiria. In eo campo collis eſt ex fractis figulorum teſtis congeſtus, formam habens cucurbitæ: quem montem Teſtaceum appellant.

Floræ.

A Flora Pompeii liberta, ut aiunt: in hoc campo Pompeiani theatri extant veſtigia. Spacio non magnus, ſed ſatis celebris. Profeſtis diebus variæ in eo merces venduntur: teſtis autem, præcipue equi.

Agonius.

Inter vallem Martiam, & circum Flaminium, nomen vetus retinet: & in eo nunc commune, forum rerum venalium.

CAP. IX.

De templis gentilium, in templa Divorum mutatis.

DE ſacris ædibus M. Varro libros ſcripſit, ex quibus ſextum adducit Macrobius: & ſcriptores recentiores, quos in initio nominavi, ex antiquis multas collegerunt, quorum labori & ſtudiis volo ſuum honorem haberi. Equidem hoc capite de iis tantum deorum templis dicam, quæ nunc ex antiquitate viſuntur, & in noſtrorum Divorum ſunt mutata: ſequenti vero addam ea, quæ ſunt omiſſa ab aliis. Olim igitur aut ſingulis diis erant dicata templa, aut duo pluresve conſors habebant delubrum, unde ὁμωχέται καὶ σύνναοι ſunt appellati. Romæ in domo civis privati,

ΔΙΙ ΗΛΙΩ'
ΜΕΓΑΛΩ'
CΑΡΑΠΙΔΙ
ΚΑΙ ΤΟΙC CΥΝΝΑ
ΟΙC ΘΕΟΙC.

Eadem ratione Carthagine, conjuncta templa habuerunt Ceres & Bacchus, quia victui humano præbent neceſſaria: iiſque adjunctus

Phœbus,

Phœbus, prudentiæ Deus, qui admoneret, deorum muneribus moderare & sapienter utendum. Apud Rom. munus tuendi sarta tecta templorum primum censoribus, post eos ædilibus fuit commissum. In vetustis monumentis & Conservatores ædium sacrarum, & Duumviri fanorum leguntur. Nunc ad templa, primum plurium deorum, deinde singulorum, accedamus.

Jovis, Minervæ, Junonis.

S. Salvatoris in Maximis, in ea Capitolii parte, quæ occasum versus, forum Holitorium respicit: In hoc delubro medium sacellum tenuit Jupiter, dextrum Minerva, sinistrum Juno, sub una (ut Dionysius ait) aquila, hoc est, sub uno tecto. Ex hoc intelligitur locus Ovidii, qui est in Trist.

Cum fuerit Jovis æde, Jovis succurret in æde,
Quam multas matres fecerit ille deus.
Proxima adoranti Junonis templa, subibit,
Pellicibus multis indoluisse deam.
Pallade conspecta, natum de crimine virgo
Subsiulerit quare, quæ et, Erichthonium.

Item alter in Consolatione ad Liviam:

Jupiter ante dedit fati mala signa cruenti,
Flammifera petiit cum tria templa manu.
Junonisque gravi nocte, impavidæque Minervæ,
Et sancta immensi Cæsaris icta manu.

Scribunt de eodem delubro Macrobius & Servius, & ejus magnificentiam laudat Marcellinus; & restitutum à Domitiano post incendium, testatur lib. IX. Martialis.

Herculis, Musarum.

Nunc Sanctæ Luciæ in apothecis obscuris, in aditu circi Flaminii. Ovid. VI. Fast.

Dicite Pierides, quis vos addixerit isti,
Cui dedit invitus victa noverca manus.

Idem de eodem loquitur lib. III De Arte,

Fœmina procedit densissima crinibus emptis,
Proque suis alios efficit ære suos.
Nec rubor est emisse palam: venire videmus
Herculis ante oculos, virgineumque thorum.

Porticum huic addidit Martius Philippus ornatissimam: de qua infra.

Veneris, & Cupidinis.

Nunc S. Crucis in Hierusalem, in monte Cœlio. Pavimentum ejus tessellatum e vario marmore, & aurata laquearia. Ab Helena Constantini matre in pios usus conversum.

Romuli, & Remi.

Nunc SS. Cosmæ & Damiani, in via Sacra, prope turrim Comitum dictam, posterior ejus pars quadrata, prior sphærica, cum rotunda

tunda & unica tantum fenestra, lumen in medio tecti præbente, & excipiente imbres ac pluvias, facta in pavimento fossula. Æneæ ei valvæ sunt, & ex porticu tres columnæ reliquæ. Quondam per aliquot gradus in id ascendebatur, nunc per sex descenditur, adeo ex ruinis antiquorum ædificiorum altius solum factum est, ut pressa & humilia nunc sint, quæ aliquando eminuerunt. Alii hoc volunt Castoris & Pollucis fuisse, sed errant, illorum enim ædes (si Suetonio & Ovidio fides est) in foro ad lacum Juturnæ fuit, eique proximum cum templum Julii Cæsaris, ut idem Ovid. lib. II. de Ponto: tum Domitiani, ut inquit in IX Martialis.

Solis, & Lunæ.

Nunc S. Mariæ novæ, in fine fori Romani: ex ruinis antiqui, novum jam illud ædificatum. In horto duo fornices vetustate collapsi, e regione inter se positi conspiciuntur, quos Victor videtur dicere, Isidis & Sarapidis: Marlianus conjicit reliquias esse templi Solis & Lunæ, Lætus Æsculapii & Salutis, Flavius Æsculapii & Apollinis, Poggius Castoris & Pollucis.

Saturni, & Opis.

Nunc S. Mariæ in porticu, in regione Ripæ.

Martis, & Veneris.

Nunc S. Mariæ rotundæ, de quo in Jove Ultore prolixe agetur.

Jovis Capitolini.

S. Salvatoris in Maximis, de quo in initio capitis. Hoc & Jovis Opt. Max. & Jovis Latii a Propertio dictum. Idem ornatissimum fuit. Martialis lib. x.

Nec Capitolini summum penetrale Tonantis,
Quæque nitent cælo proxima templa suo.

In eo homines religionis causa incubabant: ad quod alludit Plautus in Curc.

Siquidem incubare Jovi velint, qui pejeraverint,
Locus non præberi potis est in Capitolio.

Ad idem victimas gratulationis causa mactabant. Ovid. III Fast.

Ad penetrale Numæ, Capitolinumque Tonantem,
Inque Jovis summa cæditur arce bidens.

Jovis Statoris.

Nunc S. Mariæ de pœnis inferni. Contra ædem Vestæ in Palatini radicibus, clare monstrante Ovidio VI Fast.

Tempus idem Statoris erit, quod Romulus olim
Ante Palatini condidit ora jugi.

Martialis Palatinum Jovem novum, Capitolinum veterem appellat, lib. VII.

Inde novum, veterem prospicis inde Jovem.

Jovis Feretrii.

Nunc S. Mariæ in ara cœli, olim fuit exiguum fanum, & magis fama, quam magnificentia notum. Cognominis causam erudite explicat Propertius lib. ultimo,

—— causa Feretri,
Omine quod certo dux ferit ante ducem.
Seu quia victa suis humeris hæc arma ferebant,
Hinc Feretri dicta est ara superba Jovis.

Jovis Ultoris.

Nunc S. Mariæ rotundæ, & Omnium sanctorum. Aliquando Cybeli sacrum: cujus deæ caput antiqui operis & saxi, cum duobus piscib. muro templi inclusum adhuc cernitur, a M. Agrippa Pantheum, quasi τῶν πάντων θεῶν dictum: & tandem Marti ac Veneri, auctores populi Ro. habiti sunt, ut Livius & Lucretius scribunt, consecratum. Hoc Bonifacius III. Pontifex, à Phoca Imp. qui rem pontificiam auxit atque extulit, acceptum, beatæ Virginis, sanctis omnibus, dicavit, fuitque primum dictum, Virgo ad Martyres: sicuti nunc à circulari forma, S. Maria rotunda. Altum est ped. cxliv, totidem latum. Contignationes æneis trabibus canalium modo compactæ, ped. xl. ut testatur Bap. Leo. Valvæ ingentes ex ære Corinthio, inauratæ, & æneæ: trabes item inauratæ, lithostrotum varii marmoris, aræ duæ marmoreæ, sex marmoratæ. Interstitia, sex columnarum spatio distantia. Testudo templi laqueata, vacuis circumquaq; spatiis relictis, ne nimio pondere ædificium premeretur. Nulla fenestra penitus inest, nisi in medio sphæricum foramen lumen præbens, & æneis inauratisq; trabibus fultum: cui subjectum ad imbres excipiendos impluvium. Ad foramen illud per tectum plumbeum exterius xl. gradibus plumbeis ascenditur: ad quod tectum antequam perveniatur, bini ambitus sunt, ad quorum primum ex imo templi per CL gradus est eundem. Allusit ad hoc in Didonis structura Virgil.

Ænea cui gradibus surgebant limina, nexaque
Ære trabes, foribus cardo stridebat ahenis.

Marcellinus lib. XVI. Pantheum, regionem teretem, speciosa celsitudine fornicatam, nominat.

In tecto nunc sunt plumbeæ laminæ, quæ olim argenteæ fuerunt, quas Constans Imp. Constantini Junioris filius detraxit. Gradus quoq; ænei sublati, & saxeis permutati sunt. Ascensum ad templum fuit per gradus duodecem, nunc per totidem descenditur: ex quo intelligitur, ut & antea dicebamus, quam alte ex ruinis solum exaggeratum sit. Parietes nunc latericii sunt, olim marmoribus incrustati fuerunt. Inter omnia igitur Urbis opera, nullum admirabilius, sive molem, sive artem, sive impensam, consideres.

Jovis in Insula.

Nunc S. Bartholomæi, descriptum ab Ovidio, I Fast.

Accepit Phœbo nymphaque Coronide natum
Insula, dividua quam premit amnis aqua.
Jupiter in parte est, cœpit locus unus utrumque,
Junctaque sunt magno templa nepotis avo.

In eo quatuor columnæ ex ophite, & porphyriticum labrum, cum tabula ex marmore Pario, qua vix pulcriorem vidi.

Saturni in Capitolio.

S. Salvatoris in Statera, infra ſaxum Carmentæ, ſeu rupem Tarpeiam, cujus nunc ſemidirutæ turris extat, reliqua pars tabernis occupata eſt. Mira mehercule rerum mutatio. Trajani temporibus ex tabernis templa facta ſunt Chriſtianis, id permittente ethnico Imperatore: nunc ex templis tabernæ fiunt, comprobantibus, aut certe conniventibus epiſcopis, & Pontifice.

Saturni in foro.

Nunc S. Hadriani, ante forum Romanum, poſt Nervæ à latere Cæſaris, unde in Tribus foris vulgo dicitur. Valvæ ſunt æneæ antiquæ. In eo olim ærarium populi Ro. fuit. Legitur in antiquis monumentis, ſi quis aut teſtamenta corrupiſſet, aut violaſſet ſepulcra, pœnæ loco additum,

INFERAT AER. POPULI
ROMANI. *Item,*
INFERAT AERARIO
SATURNI.

Unde & acta, quæ ſuſceptis liberis parentes faciebant in eodem conſervabantur, & omnium civium Romanorum nomina. Erant ejuſdem certi Magiſtratus, ut præfectus ærario, item ærarii curatores, ærarii ſcribæ, ærarii quæſtores, & tribuni ærarii. Nomen accepit ærarium, cum aurum argentumque nondum ſignaretur. Unde æs Saturnium dicitur Perſio, quod ejus tempore, ejus uſus eſſet.

Apollinis Palatini.

S. Lucia in Palatio. Hoc & Apollinis Actiaci, & Navalis, & Prætonii, dicitur, quod Auguſtus devicto Antonio & Cleopatra ex marmore (ut Servius teſtatur) Lunenſi fecit. Nullum fuit poëtis celebrius, nullum donis opulentius ſiquidem Auguſtus aureas argenteaſque ſtatuas ſibi poſitas, huic templo donavit: nullum opere magnificentius. Valvæ erant eburneæ, auro picturiſque ornatæ, de quibus detracta hoſtibus ſpolia ſuſpenſa erant. Propertius lib. II.

Tum medium claro ſurgebat marmore templum,
Et patria Phœbo carius Ortygia.
Auro Solis erat ſupra faſtigia currus,
Et valvæ Libyci nobile dentis opus.
Altera dejectos Parnaſſi vertice Gallos,
Altera mœrebat funere Tantalidos.
Deinde inter matrem Deus ipſe, interque ſororem,
Pythius in longa carmina veſte ſonat.

Virg. VIII Æn. de ſcuto Æneæ, in quo Auguſti Cæſaris triumphi expreſſi erant:

Ipſe ſedem niveo candentis limine Phœbi,
Dona recognoſcit populorum, aptatque ſuperbis.
Poſtibus ——

Hujus ne veſtigia quidem relicta ſunt, diruto etiam S. Luciæ ſacello.

Apollinis

Apollinis Capitolini.

S. Mariæ sub Capitolio, intra forum holitorium, & circum Flaminium, extra portam olim Carmentalem.

Apollinis Vaticani.

Nunc S. Petronillæ, juxta viam olim Triumphalem.

Apollinis Circi Flaminii.

Nunc S. Apollinaris, ut Flavius Blondus, & Pomponius Sabinus sentiunt.

Martis Ultoris.

Nunc S. Martinæ in foro Augusti, unum ex maximis & sumptuosissimis cum opere, tum artificio: quod his versibus celebrat Ovid. v. Fast.

Ultor ad ipse suos cœlo descendit honores,
Templaque in Augusto conspicienda foro.
Digna Giganteis sunt hæc delubra trophæis:
Hinc fera Gradivum bella movere decet,
Prospicit armipotens operis fastigia summi,
Et probat invictos illa tenere deos.
Perspicit in foribus diversæ tela figuræ,
Armaque terrarum milite victa suo.
Hinc videt Æneam oneratum pondere caro,
Et tot Júlææ nobilitatis avos.
Hinc videt Iliaden humeris ducis arma ferentem,
Claraque dispositis acta subesse viris.

In aditu templi ante fores ab utroque latere, Martis & Veneris statuæ erant, eodem testante, II Trist.

Stat Venus Ultori juncta viro, ante fores.

Circa idem Apellis tabulam posuit Augustus, in qua Alexander triumphans Belli imaginem vinctis ad tergum manibus quasi captivam ducit, quam rem in Augusti gratiam videtur notasse doctissimus poeta:

—— —— furor impius intus
Sæva sedens super arma, & centum vinctus ahenis
Post tergum nodis, fremet horridus ore cruento.

Nunc in eo templo picta cohors Romana, cujus vexillifer pro signo labrum habet. Fuerunt & alia Martis Ultoris templa: de quibus sequenti capite.

Martis in Vaticano.

Nunc S. Mariæ de febribus, ad sinistram ingredienti basilicam S. Petri.

Herculis Victoris.

Nunc S. Alexii in Aventino ad occasum, Tiberim & portam Trigeminam versus. Virgil. VIII Æn.

—— hæc limina victor
Alcides subiit: ——

In eo non licebat esse (ut in aliis) lectisternium, nec cuiquam nisi ingenuo sacris interesse: auctores, Cornelius Balbus, & Servius grammaticus.

maticus. Ab eodem mulieres arcebantur, cujus rei causam prolixe reddit libro quarto Propertius. Talia sacella, a quorum ingressu muliebris sexus arcetur, adhuc Romæ sunt, in S. Petro Vaticano, in S. Joanne Laterano, in S. Cruce in Hierusalem, in S. Praxede, in lavacro Constantini, & locis fortasse pluribus.

Herculis.

In eodem monte, nunc S. Priscæ, orientem versus.

Herculis in ara Maxima.

Nunc S. Mariæ in Cosmedin, post muros scholæ Græcæ. De ara Maxima, Virgil. Propertius, Ovidius.

Romuli.

Nunc S. Theodori, in Velabro, sub Palatino, templum vetus, & sphæricum, cum rotunda fenestra in medio tecti, lumen præbente. Alii Panos Lycæi antiquitus fuisse autumant.

Neptuni.

Nunc S. Blasii, ad ripam Tiberis, in vico qui modo Junius appellatur.

Neptuni Equestris.

Nunc S. Anastasiæ, in radicibus Palatini, ante circum Maximum. Superioribus annis post hujus divæ ædem, sacellum subterraneum inventum, quod parietes co chis ornatos habuit, & in medio testudinis aquilam albam, cum crista rubra. Hoc se vidisse, Marlianus & Gyraldus testantur. Neptunus equestris, alio nomine Consus appellatus.

Castoris.

Nunc S. Laurentii in Miranda, intra Faustinæ vetus templum & porticum, foro Romano adjacens. Plaut. in Curc. recensens loca circa forum.

Pone ædem Castoris, ibi sunt quibus credas male.

In Castoris templo somniorum interpretes incubarunt, ut & apud Persii interpretem.

Æsculapii.

Nunc S. Joannis Colevitæ, in insula Tiberina. In hoc incubabant ægroti, valetudinis causa: unde qui morbo levatus non erat, apud Plautum his verbis incusat deum:

Migrare certum est jam nunc è fano foras,
Quando Æsculapii ita sentio sententiam.

Prope hoc templum in horto, navis est prælonga, ex Thasio lapide, cujus insigne est caput Tauri, & à latere simulacrum serpentis.

Bacchi.

Nunc S. Constantiæ, extra portam Viminalem, in via Numentana, circulare, & vermiculato opere, columnisque duodecim in gyrum dispositis sustentatum, tribus inter se conjunctis, inter quas aliquo spacio relicto, aliæ eodem modo subjunguntur. Vidi prope infracto pulcri marmore, Bacchantium turbam, qui angues ore gestarent, caprum ducerent: de quo more Prudentius Christianus poëta, in gravissimis libris contra Symmachum scribit,

—— *Baccho*

——*Baccho caper omnibus aris*
Cæditur, & virides discindunt ore chelydros,
Qui Bromium placare volunt: quod & ebria jam tum
Ante oculos regis Satyrorum insania fecit.

Fauni.

Nunc S. Stephani in Cœlio, sphæricum, & columnis in orbem æqualiter dispositis ornatum. Columnarum ordo triplex fuit, in interiore columnæ XX cum pilis duabus: in medio, XLII, qui ordo nunc pro muro est; extremo ordinis tantum rudera in adjuncto horto apparent. Fuit igitur terno ambitu, quasi porticibus amplissimum. Structura unum ex pulcherrimis, tempore ex antiquissimis.

Silvani.

Nunc S. Agathæ sub Viminali, in via Suburana, cujus mentio in testamento Galli Favonii, quod nos correctius, quam in Marliano legitur, cum aliis quibusdam testamentis edidimus, anno superiore.

Mercurii.

Nunc S. Angeli in piscina, in foro piscario.

Boni eventus.

Nunc S. Eustachii, proxime Pantheum.

Hadriani.

Nunc S. Mariæ Transpontinæ, sive Carmelitarum, trans pontem Ælium, è regione sepulcri ipsius. Hoc templum Hadriano Antoninus Pius contra vota pene omnium dicavit.

Junonis Lucinæ.

Nunc S. Laurentii in Lucina, in campo Martio, habet columnas ophiticas & porphyreticas. De hoc templo Ovid. III Fast.

Junonis Matutæ.

Nunc S. Nicolai in Mentuza in foro holitorio, Ovid. IV. Fast.

Huc ubi luce ferant Matutæ sacra parenti,
Sceptriferas servi templa dedisse manus.

Junonis Capitolinæ.

S. Salvatoris in Maximis, cum Jovis delubro conjunctum. Unde Ovid. in Fast.

Hic color, hic teneo cum Jove templa meo.

Et ibidem,

——*dicor matrona Tonantis,*
Junctaque Tarpeio sunt mea templa Jovi.

Vestæ.

Nunc S. Mariæ de Gratia, in valle quæ inter Palatinum & Capitolinum est. Sphæricum est, de quo satis plane & perspicue Ovid. VI Fast.

Hic locus exiguæ qui sustinet atria Vestæ,
Tunc erant intonsi regia magna Numæ,
Arte Syracusia suspensus in aëre clauso
Stat globus, immensi parva figura poli.

Et quantum à summis, tantum secessit ab imis
Terra: quod ut fiat, forma rotunda facit.
Par facies templi, nullus procurrit in illo
Angulus à pluvio vendicat imbre tholus.

Vestæ in foro Boario.

Nunc S. Stephani, parvum & rotundum, & in ambitu decem & octo columnis inclusum. De hoc maxime diversæ sunt scribentium opiniones. Blondus & Marlianus affirmant Vestæ fuisse, Volaterranus Herculis; Lætus Matutæ, Albertinus Dianæ, nescio quis alius Auroræ.

Fortunæ Virilis.

Nunc S. Mariæ Ægyptiacæ, ad ripam Tiberis juxta pontem Palatinum, ex lapide quadrato, cum tectorio ad regulam antiquorum tacto, columnæ ex latere utroque septem, duæ in frontibus. Porticus parva columnarum quatuor, & ante aram totidem. Ad ortum æstivum parieti inserta columella ex alabastro, quæ claro solis ortu, luce perspicua, & fulgore luminis incendit parietes. Ovid. IV Fast.

Dicite nunc quare Fortunæ thura virili
Detis, eo gelida qui locus humet aqua.

Simulacrum hujus Deæ duabus undulatis togis fuit opertum, perinde ut olim reges Romani undulatas & prætextas togas soliti sunt habere: ita scripsit Varro libro primo de Vita populi Rom.

Fortis Fortunæ.

Nunc S. Cosmati, sub Janiculo, in hortis Cæsaris Dictatoris, quod ipse populo Rom. legaverat: ut Tacitus narrat. Terentius Scaurus: Fœdus Græciæ (inquit) camelo æreo in hortis Cæsaris, ædi Fortis Fortunæ incisum, & pro porta positum. De eodem horto & templo Suetonius. Fuerunt & alia Fortis Fortunæ templa, ut ex Varrone & Livio conjicimus. Colebatur ab operariis, & rusticis, & servis. Columella in libro de Hortis:

Allia cum cepis, cereale papaver, anetho
Jungite, dumque virent, nexos deferte maniplos,
Et celebres Fortis Fortunæ dicite laudes.

Isidis juxta ovilia.

Nunc S. Marcelli, in via lata, ut Victor: non procul à septis, ut Juvenalis,

A Meroe portabat aquas, quas spargat in ædem
Isidis, antiquo quæ proxima surgit Ovili.

Isidis in circo Flaminio.

Nunc S. Mariæ in Equiro, quod in eo loco fierent Equiria.

Isidis in via Appia.

Nunc S. Nerei, inter S. Sixtum, & thermas Antoninianas, ad caput viæ novæ. Hujus deæ opem in recuperata valetudine experti, tabellas ei suspendebant. Unde Tibullus,

——— nam posse mederi
Picta docet templis multa tabella tuis.

Ejus sacra quomodo subalti, & quam ob causam sacerdotes Urbe pulsi, & templa diruta sint, Josephus docet in antiquitatibus lib.18.

Telluris.

Nunc S. Pantaleonis in Subura, intra Carinas. Ædificatum in area domus Cassii, qui regni affectati pœnas dedit: auctores Cicero & Valerius.

Honoris, & Virtutis.

Nunc S. Sixti, ex aliquorum sententia, quæ mihi falsa videtur. Propinquius enim portæ Capenæ fuit, quam nunc hoc recens est.

Carmentæ.

S. Catharinæ, sub rupe Tarpeia.

Pietatis.

Nunc S. Salvatoris de pietate. Julius Obsequens ponit in Circo Flaminio, Victor in foro holitorio: Plinius in eo loco, ubi postea theatrum Marcelli fuit. Unius loci varia designatio, ab adjacentium locorum vicinitate sumpta. Aliquando eodem in loco carcer plebis fuit, in quo cum filia matrem vinctam suis uberibus aluisset, impunitas illi concessa, & locus Pietatis numini dicatus est.

Dianæ Aventinæ.

Nunc S. Sabinæ, supra Tiberim, occasum versus. Ad hoc alludit Horatius in Epodis,

Quæque Aventinum tenet, Algidumque,
Quindecem Dianæ preces virorum
Curet.——

Antiquum marmor Salonæ in Dalmatia de hoc templo testatur, CAETERAE LEGES EAEDEM SONTO, QUAE ARAE DIANAE SONTO IN AVENTINO MONTE DICATAE.

Dianæ in Cœlio.

Nunc S. Johannis Evangelistæ, ante portam Latinam, minimum, & nullorum plane ornamentorum.

Bonæ deæ.

Nunc S. Mariæ Aventinæ, in medio pene ejus montis, qua Tiberim spectat. Situm depingit Ovid. v Fast.

Est moles nativa loco, res nomina fecit.
Appellant saxum, pars bona montis ea est.
Huic Remus institerat frustra, quo tempore fratri
Prima Palatinæ regna dedistis aves.
Templa patres illic, oculos exosa viriles,
Leniter acclivi constituere jugo,
Dedicat hæc veteris Clausorum nominis hæres,
Virgineo nullum corpore passa virum.
Livia restituit.————

Minervæ.

Nunc S. Mariæ supra Minervam, post Pantheum. In hoc fuit breviatum rerum gestarum Pompeii Magni.

Minervæ Capitolinæ.

S. Salvatoris in Maximis, Jovis Capitolini delubro conjunctum. Unde bene cecinit poëta antiquus,

Vique Palatinis Capitolia condita saxis
Signarent titulo proavi Jovis, atque Pelasgæ
Palladis, & Libyca Junonem ex arce vocarent.

Veneris Victricis.

Nunc S. Mariæ in Crypta picta, vicinum Pompeii theatro, testante, III Trist. Ovidio.

Altera templa peto, vicino juncta theatro:
Hæc quoque erant pedibus non adeunda meis.

Veneris theatri Pompeiani.

Nunc S. Barbaræ. In hoc Catia cum duobus adulteris libidinem sub velo publice exercuit: ut auctor est interpres Horatii.

Salutis.

Nunc S. Vitalis, in Quirinali. Ovid. I Fastor.

Janus adorandus, cumque hoc concordia mitis,
Et Romana Salus, araque Pacis erit.

Quietis.

Nunc S. Petri, & Marcellini, in via Lavicana. A Constantino in meliorem usum conversum, qui matrem suam prope illud in Mausoleo sepeliri voluit, quod in Sylvestro primo asserit Platina.

Concordiæ.

Nunc S. Sergii, & Bacchi, infra Capitolium, qua forum respicit. Fuerunt & alia duo, unum in arce, alterum supra Comitium, ad Vulcani aream:

Sciendum est, cum temporis verbum omisimus, nomine loci simpliciter notato, & vetusta & recentia templa eversa esse. In illis autem vetus magnificentia quærenda non est: & nos quæ posuimus, cum ad antiquitatis qualiacunque vestigia cognoscenda, tum ad auctores intelligendos putavimus pertinere. Varro scripsit, ornamenta templorum olim lignea & fictilia fuisse, quæ post aliquanto ex marmore, ebore, atque auro facta sint. Item Tacitus ait, apud antiquissimos rudi cæmento & informibus tegulis templa fuisse extructa, quæ postea marmore nituerunt,& radiarunt ære atq; auro, non tantum firmis & duraturis parietibus,sed etiam expolitis arte,& splendentibus. Structuræ eorum quæ nunc extant, non uniformes sunt: etenim variis ætatibus atque ingeniis varia placent. Alia visuntur circulari forma sine columnis, sine contignatione, sine fenestris, sphærico foramine in tecti medio, lucem præbente: quorum præcipuum & amplissimum, S. Mariæ rotunda, & post illud S. Maria de gratia, item SS. Cosmæ, & Damiani, & S. Stephani in foro boario, & S. Theodori. Alia eadem forma, sed plurimo columnarum ordine, & adjunctis fenestris, ut Stephani in Cœlio, & S. Constantiæ extra portam Viminalem. Hæc licet ex antiquis cuncta sint, novis tamen nominibus

 tanquam

tanquam notioribus appello. Alia quadrangulari forma, ordine columnarum recto, & plerumque uno tantum, interdum duplicato, ut in recentioribus illis magnificis, S. Johannis Laterani in Cœlio, S. Petri in Vaticano, S. Pauli in via Ostiensi, quod olim etiam multo amplius & cultius fuit ita enim depingitur in quodam hymno Prudentiano,

Parte alia titulum Pauli, via servat Ostiensis,
Qua stringit amnis cespitem sinistrum.
Regia pompa loci est, princeps bonus has sacravit arces.
Clausitque magnis ambitum talentis.
Bracteolas trabibus subievit, ut omnis aurulenta
Lux esset intus, ceu jubar sub ortu.
Subdidit & Parias fulvis laquearibus columnas,
Distinguit illic quas quaternus ordo.
Tum Camyros hyalo insigni varie cucurrit arcus:
Sic prata vernis floribus renident.

Tale autem fuit Theodosii Magni temporibus. Nonnulla pilas tantum habent, interjectis columnis, & fenestellas sub ipso tecto: alias plures, alias pauciores, pro reliqui ædificii forma, atque modo. In ipsis templis plurimæ columnæ pretiosæ, ex variis diversisque marmorum generibus. Hodie intra & extra urbem plus quam trecenta visuntur, quæ libello quodam cum cœmeteriis & xenodochiis, additis clarorum virorum epitaphiis, separatim annotavimus.

CAP. X.

De templis sacellisque veteribus, quæ ab aliis omissa sunt.

Superiore capite dictum est de templis prophanis, quæ in diversorum nomina sunt mutata: hoc autem capite enumerabimus ea, quæ nunc quidem nulla sunt, sed apud veteres fuisse leguntur, & à recentioribus sunt omissa: qui tamen in eo, ut colligerent omnia, videntur elaborasse. Quamvis autem ad eam Urbem, vel potius cadaver Urbis, quod nunc est, nihil pertineat hæc diligentia, tamen ad poëtas & historicos intelligendos, hæc vel nominum cognitio, vel locorum notatio utilis, ut opinor, futura est.

Veneris, & Romæ.

Consors delubrum fuit in via Sacra, testante id contra Symmachum Prudentio.

Ac Sacram resonare viam mugitibus, ante
Delubrum Romæ: colitur nam sanguine & ipsa
More Deæ, nomenque loci ceu numen habetur.
Atque urbis Venerisque pari se culmine tollunt
Templa, simul geminis adolentur thura deabus.

Urbis etiam dies natalis colebatur XII Cal. Maii. Hoc fortasse idem est cum eo, quod Servius Veneris Romanæ nominat. Inter

singularis

ſingularia certe & digna admiratione loca, Urbis templum numerat Marcellinus.

Jovis Fagutalis.

In monte Viminali, à luco Fageo, de quo Varro, Plinius, Feſtus, Victor.

Jovis prædatoris.

In quo prædam hoſtibus ereptam ponebant. Locus ignoratur ſed fuiſſe, & ad illud alluſiſſe Virgilium Servius ſcribit,

—— – ipſumque vocamus
In prædam, partemque Jovem.

Jovis invicti.

Et hujus neſcitur locus. Ovid vi Faſt.

Idibus invicto ſunt data templa Jovi.

De eodem Auguſtinus *de Civitate Dei.*

Jovis inventoris.

Juxta Salinas ſacellum fuit, quod inventis bobus, & punito Caco, Hercules patri Inventori dicavit: auctores, Dionyſius & Solinus.

Jovis propugnatoris.

In Palatio, cujus mentionem invenimus in antiquis Epigrammatis.

IN AEDE JOVIS PROPUGNATORIS IN LOCUM CLAUDI PATERNI VITA FUNCTI ATERIUS COLONIUS COOPTATUS.

Hæc inſcriptio poſita ſexto conſulatu Commodi Imperatoris, in quo Petronius Septimianus ei collega fuit.

Jovis Conſervatoris.

Hocquoque in vetuſto epigrammate legimus, non expreſſo loco. Jovi conſervatori ſacellum cum ara Domitianus extruxit, juxta Velabrum, auctor Tacitus.

Jovis Arbitratoris,

In decima urbis regione ponitur à Victore, & appellatur Pentapylon, quaſi quinque Portarum.

Jovis Statoris.

Aliud à ſuperiore, quod Varro de rebus divinis in Circo Flaminio poſuit, cujus certiorem locum Vitruvius indicavit, Metelli porticum, quæ ad eundem Circum fuit.

Martis Ultoris.

Etiam aliud, præter id quod ſupra poſitum eſt, in Capitolio, referente Dione.

Martis, circi Flaminii.

Cornelius Nepos, citante Priſciano, in circo Flaminio (inquit) fuit ædes Martis, architectata ab Hermodoro Salaminio.

Herculis defenſoris.

Incerti loci, in quo, ut in Jovis Propugnatoris, milites honeſta miſſione miſſi, & gladiatores emeriti, arma clypeoſque ſuſpendebant.

debant. De L. Domitio Valeriano milite, loquitur vetus inſcriptio: de Veianio gladiatore Horatius,

——— *armis*
Herculis ad poſtem fixis latet abditus agro.

Herculis extra urbem.

Duo fuerunt: Unum extra Capenam modicum, ſed frequens, de quo Martialis lib IV.

Et qua puſillum fervet Herculis fanum.

Alterum extra Latinam, quod ſtatuit Domitianus longiuſcule ab Urbe, cujus lib. IX. idem poëta mentionem facit. Verſus poſiti ſunt ſupra, ubi de via Latina agitur.

Apollinis Tortoris.

Suetonius in quadam urbis parte locat, ſed eam non exprimit, in Auguſto.

Fidii.

In Quirinali. Ovid. VI Faſt.

Hunc igitur veteres, donarunt ſede Sabini
Inque Quirinali conſtituere jugo.

Summani.

Sacellum fuit in faſtigio templi Jovis Capitolini, ædes prope circum Maximum. Idem,

Reddita quiſquis is eſt, Summano templa feruntur,
Tunc, cum Romanis Pyrrhe timendus eras.

Mutini.

Adverſum murum Muſtellinum, ut inquit Feſtus. Huic mulieres velatæ togis prætextatis ſolitæ ſunt ſacrificare.

Sarapidis.

M. Aurelius Antonius in Pontificatu ſuo, poſuit circa eum locum, ubi nunc S. Stephanus de Truglio.

Adonidis.

Refertur ab Ovidio in Arte, non expreſſo loco.

Jani Curiatii.

Prope templum Junonis Sororiæ, de quo mox dicemus.

Sangi.

Locus ignoratur, ponitur à Varrone & Plinio. In eo lana, colus, & fuſus Tanaquilis fuerunt conſecrata.

Auguſti.

Duo fuerunt: alterum in Palatino, quod Livia Auguſti conjux fecerat; Veſpaſiani dominatu, publico conſumptum incendio: alterum in foro, à Tiberio Cæſare extructum.

Junonis Capratinæ.

Extra urbem, cui ſub caprifico faciebant mulieres, ex eadem arbore virgas ramoſque geſtantes, Varrone & Feſto auctoribus. Templum frequentabatur Nonis Quintilibus, quæ inde Capratinæ dictæ ſunt. Origo talis fuit: Fidenates poſt urbem à Gallis incenſam,

ſi

si reliquias salvas esse vellent, Romanos cogere voluerunt, ut omnes puellas & matres-familias sibi traderent. Patribus igitur dubiis, & de summa Reip. sollicitis, ancillæ se ituras promiserunt: quæ cum dominarum habitu profectæ essent, per castra distributæ, hostes vino invitaverunt: illisque sopitis, signum Romanis ex caprifico dederunt: quo dolo & pœna de hostibus sumpta est, & Romanorum matronarum fama conservata. In hujus beneficii memoriam ingenuæ simul & servæ Junonis Capratinæ diem solennem habebant.

Junonis Sororiæ.

Prope Carinas, ad eum clivum, qui nunc ducit ad ædem S. Petri in vinculis, à Sororio tigillo nomen habens, quod cum Jano Curiatio dicavit Horatius, unus ex Trigeminis victor contra Curiatios, ut inquit Festus.

Veneris Capitolinæ.

De hoc in Caligula & in Galba Suetonius.

Veneris Romanæ.

In foro Cæsaris. Huic soli victimas solitas immolari, cum Paphiæ thure tantum fieret, ait Servius.

De Venere Romana, in initio Lucretius,

Æneadum genetrix. ———

Si licet conjecturam sequi, puto hoc delubrum Veneris & Romæ fuisse, de quo initio hujus capitis dictum est.

Veneris Lubentinæ.

Locus ignoratur: de templo scribunt Cicero, Varro, Marcellus. Solebant puellæ, quæ excesserant annum pueritiæ, pupas, ætatis suæ insignia, dicare Veneri, quemadmodum pueri bullas diis suspendere penatibus: illud ex Persio, hoc ex Propertio docemur.

Veneris Verticordiæ.

Extra Collinam, via Salaria. Hujus ædes factæ, cum tres Vestales uno tempore, incestum commisissent (ut ait Julius Obsequens) ut puellarum animos lascivos ad castitatem verteret. De eodem Valerius, & Ovid. IIII Fast.

Roma pudicitiæ proavorum tempore lapsa,
Cum ææm veteres consuluistis anum.
Templa jubet Veneri fieri, quibus ordine factis:
Inde Venus verso nomine corda tenet.

Veneris Cluacinæ.

In ea fori parte, qua Romani & Sabini armis depositis facto sacrificio se purgaverunt. Hujus templi locum, cum juxta forum fuerit, varie designant auctores: nam Ovidius ait prope viam sacram fuisse, Plautus prope Comitium, in Curc.

Qui perjurum hominem vult convenire, mitto in comitium:
Qui mendacem & gloriosum, apud Cluacinæ sacrum.

Livius III ab V. C. ad Tabernas fuisse indicat. Dicta Cluacina, quod cluere antiqui, purgare dicebant, ut Plinius inquit lib. XV.

Marlianus Cloacinam vocat, & diversam ejus nominis etymologiam affert, secutus auctorem, ni fallor, Lactantium.

Fortunæ Mammosæ.

In capite viæ Novæ, à qua etiam vicus nomen accepit: dicta vel ab ubertate, vel à forma statuæ.

Fortunæ Plebeiæ.

A Tullo conditum, de quo VI Fast. Ovidius:

Plebs colit hanc, quia qui posuit, de plebe fuisse
Fertur, & ex humili sceptra tulisse loco.

Fortunæ Tarpeiæ.

De quo Templo in Prænestina inscriptione, quæ in domo episcopi est: cognomento Primigenia, ut plurimæ ibidem inscriptiones docent.

Fortunæ Reducis.

A Domitiano factum. Martialis lib. VIII.

Hic tibi Fortunæ reduci fulgentia late
Templa patent, felix area nuper erat.

Claudianus,

Aurea Fortunæ reduci si templa priores
Ob reditum vovere ducum, non dignius unquam
Hæc dea pro meritis amplas sibi posceret ædes.

Cybeles.

Sub Palatino, Junonis Sospitæ templo conterminum, ut Victor inquit. Ovidius II Fastorum,

——*Phrygiæ conterminа matri Sospita.*

De eodem Martialis, VII.

Hinc viduæ Cybeles, illinc sacraria Vestæ.

In sacris Cybeles, æreis crepitaculis utebantur, unde æs Corybantium: ut in Apollinis lebetibus æreis, à quo æs Dodonæum.

Annonæ.

In Capitolino fuisse, conjicimus ex inscriptione, quæ nunc ibidem legitur:

ANNONAE SANCTAE HAELIUS VITALIO MENSOR PERPETUUS CORPORIS PISTORUM SILIGINARIORUN. D. D.

Segestæ.

In Circo Maximo, quæ segetibus præerat.

Dianæ Suburbanæ.

Trans Tiberim. Ovid. I de Arte,

Ecce Suburbanæ templum nemorale Dianæ.

Minervæ Medicæ.

In quinta Urbis regione Victor.

Minervæ Chalcidicæ.

Idem ponit in nona regione. Ego puto, Chalcidicen dictam, ab æneo templo, quod Domitianus ei condidit: ad imitationem illius, quod inter Tænarum & Lacedæmonem fuit, de quo Æmilius Probus, & Livius.

Minervæ

Minervæ Aventinæ.

Antiquissimum, & Livii Andronici poëtæ donariis celebre. Ille à poëtis aliis, & histrionibus, scribens ipsis fabulas honorabatur. Ovid. VI Fast.

Cœpit Aventina Pallas in arce coli.

Minervæ captæ.

In valle Cœlii, cujus situm describit IV Fast. Ovid.

Cœlius, ex alto qua mons descendit in æquum,
Hic ubi non plana est, sed prope plana via est.
Parva licet videas captæ delubra Minervæ,
Quæ Deæ natali cœpit habere suo.

Quare autem Capta dicta sit, quinque conjecturas affert idem poëta.

Vacunæ.

Locus ignoratur; de templo Ovid. VI Fast.

Nunc quoque cum fiunt antiquæ sacra Vacunæ,
Ante Vacunales stantque sedentque focos.

Mihi videtur extra urbem fuisse.

Nemesis.

Prope forum Trajani.

Lavernæ.

Extra portam Collinam, via Salaria, ut inquit Helenius, supra illum Horatii locum,

Labra movet metuens audiri pulchra Laverna;
Noctem peccatis, & fraudibus objice nubem.

Quietæ.

Extra eandem portam, Quietis Deæ: quam, cum suburbanum haberet templum, in urbem recipere noluerunt. D. Augustinus.

Liviæ Augustæ.

In foro Romano.

Tutullinæ.

In Aventino, cujus apud Varronem mentio.

Bonæ deæ subsaxanæ.

Non procul à via Nova, & thermis Antoninianis, in Aventino.

Victoriæ.

In eodem monte, ædificatum ab Arcadibus, Halicarnassæus.

Cornicarum.

Trans Tiberim, dearum à cornicibus dictarum, quas alii in Junonis, alii in Concordiæ, tutela fuisse asseverant.

Ne molestus sim, prætermittam illa, ut Clementiæ Cæsaris, de quo Plutarchus: Justitiæ Augusti, de quo Ovidius: Fœcunditati Poppeæ, de quo Tacitus, dicata templa; nam translata ad unum imperii potestate, superstitiosa assentatio immoderata fuit.

CAP.

CAP. XI.

De Domibus quorundam doctorum.

DE domibus Regum, Imperatorum, civium illustrium, aut divitum, de quibus passim legitur, nihil dicam, & satis multa ab aliis, praesertim à Marliano: sunt collecta; sed referam tantum domicilia quorundam doctorum, qui etiamsi Octaviorum, Scaurorum, Messalarum, Catulorum, Lateranorum, Corneliorum, Balbinorum, similes aedes non possederint, tamen & illas celebrarunt, & casulas suas nobilitarunt virtute & ingeniis; imo vero quicquid alii laudis habent, per doctos sunt consecuti. Tantum enim scimus, quantum à literis accepimus.

Crassi Oratoris.

In Palatino, ut illis temporibus, magnifica fuit. In ejus atrio, cum in publico nondum ullae marmoreae essent, columnae Hymettiae quatuor, ut Plin. lib. XVII. vel ut idem XXXVI. bis prodidit, sex fuerunt, non longiores duodenum pedum: cum tamen ideo Cn. Domitii & M. Bruti reprehensionibus non caruerit. Alii in Viminali ponunt, sed ea fuit Crassi cognomento divitis, de qua Persius Satyra secunda,

——*Nunc Crassi mittit in aedes.*

Calvi Oratoris & Poëtae.

Prope forum Romanum, supra scalas Anularias, eam primum habitavit Augustus Caesar,

Philippi.

In Carinis, sub Esquilino. Horatius, I Epist.

Strenuus & fortis, causisque Philippus agendis
Clarus, ab officiis octavam circiter horam
Dum redit, atque foro nimium distare Carinas
Jam grandis natu queritur.

Hortensii.

In Palatino, quam domum secundam possedit Augustus, non procul ab aede nunc S. Anastasiae.

Ciceronis.

In eodem Palatino, supra aedem Jovis Statoris, quam incensam à P. Clodio, majore sumptu ex aerario aedificavit Senatus.

Salustii.

In Quirinali, cujus ruinas supra hortos ejusdem in valle subjecta extare aiunt. Qui de vita ipsius scripserunt, prope Minervae aedem, quae hodie S. Mariae sacra est, volunt habitavisse. Quod si ita est, haec prima fuit: altera, post praeturam Africanam, ab ipso culta.

Attici.

In eodem monte, ubi nunc S. Vitalis templum, fuit situ & sylva amoenissima.

C. Aquilii.

Jurisconsulti, in dorso montis Viminalis, omnium consensu pulcherrima. Plinius lib. XVII.

M. Manilii.

Jurisconsulti celebris, & prudentis oratoris, in Carinis. Cicero Paradoxis.

L. Annæi Senecæ.

In Palatino Cœlium versus, supra balneum: cujus domus incommodum & inqnietum situm ipse describit, lib. VII. ad Lucilium, Epist. LVII.

Plinii Junioris.

Oratoris, supra Suburam in Esquilino, quod ipse in Epistolis, Martialis in Epigrammatis testatur.

Ennii poëtæ.

In monte Aventino juxta Tutulinæ fanum, ut ex Porcio tradit Varro.

Virgilii.

In campo Esquilino, juxta Mecœnatis hortos, qui erant inter aggeres Tarquinii, & urbis mœnia.

Propertii.

In Esquilino, ita enim ipse libro secundo,

I puer, & citus hæc aliqua propone columna,
Et dominum Esquiliis scribe habitare tuum.

Ovidii.

Infra Capitolium, qua Velabrum respicit, circa eum locum, ubi nunc est S. Mariæ templum de consolatione. Innuit. lib. I Trist.

——— Capitolia cernens,
Quæ nostro frustra juncta fuere lari.

Martialis.

Intra Viminalem & Hortulorum collem, prope Pilam dictam Tiburtinam. Sic enim ipse libro quinto:

Sed Tiburtinæ mihi proximus accola Pilæ,
Qua videt antiquum rustica Flora Jovem.

Idem lib. I.

Longum est, si velit ad Pilam venire,
Et scalis habito tribus, sed altis.

Stellæ.

In aditu Suburæ. Idem lib. XII.

Vel si malueris, prima gradiere Subura,
Atria sunt illic Consulis alta mei.
Laurigeros habitat facundus Stella penates.

Suræ.

In Aventino, Palatinum versus. Idem lib. VI.

Quique videt propius magni certamina circi,
Laudat Aventinæ vicinus Sura Dianæ.

CAP. XII.

De theatris, circis, odeis, stadio, xysto, item de factionibus aurigantium.

IN liberis civitatibus multa populo concessa sunt, qui cum sæpenumero gravibus & diuturnis bellis, sine quibus libertas retinetur, difficulter vexaretur, domesticæ quædam animorum relaxationes inductæ sunt, & multiplices ludi ac diversa spectacula publice exhibita: Idque cum in Græcis civitatibus usitatissimum fuit, tum in Romana Rep. contra Scipionis Nasicæ consilium ita increbuit, ut lusus licentiam, jocus turpitudinem, frequentia lasciviam, consuetudo denique crudelitatem pepererit. Nam & spectatores, & fautores, & actores scelerum, ipsi interdum principes aderant. Ædificiis theatrorum præerant censores: ludis & spectaculis, ædiles curules: &, ut ex Juvenale patet, prætores, quibus & consulares addidit Nero, & Domitianus præfectos, quales sunt apud Martialem Lectius quidam, & Oceanus. In Capuanis inscriptionibus, exactor operum publicorum, & theatri legitur: & dux theatralium operarum, apud Tacitum. Theatra autem non solum ex lateribus fuerunt structa, ut in urbe Statilii, ad Lyrim fluvium, Minturnense, & quod est Puteolis, quæ nos vidimus: neque ex quadratis tantum lapidibus, ut Pompeii, Marcelli, Titi: verum etiam ex solido marmore, quale fuit Capuanum, cujus ruinas mirati sumus: item Veronense, de quo Torellus Sarayna: item Atheniense, quod inspexit Cyriacus Anconitanus. Sed ad Romana. De Cassii theatro Paterculus: de Scauri, & Curionis Plinius: de C. Cæsaris Tacitus, de Balbi Ausonius, de Claudii Suetonius, de Neronis Sex. Aurelius, de Trajani Spartianus, de tribus theatris & uno amphitheatro campi Martii Strabo, de theatro montis Esquilini Martialis. Hæc cum nulla amplius sint, de iis quorum aliqua extant vestigia, agemus.

Theatrum Pompeii.


Ad campum Floræ, contiguum circo Flaminio, vestigia cernuntur in cella vinaria, & in equili domus Ursinæ. Hoc Pompeius mansurum instruxit, igne consumptum instauravit Tiberius, perfecit Caligula, iterum ambustum restituit Claudius, vetustate collapsum refecit Theodericus rex Gotthorum. Adeo tenui & apta junctura fuit, ut non compositum opus, sed ex uno perpetuoque lapide factum videretur. Fuit & aliud Pompeii, vicinum campo Martio, de quo Plinius lib. XXXIV. Unum fortasse ex illis, de quibus Strabo loquitur.


Marcelli.


Intra Capitolium & Tiberim, in cujus ruinis hodie ædificatum est palatium Sabellæ familiæ, & ampliora ejus vestigia sunt, quam Pompeiani, & forum Holitorium versus tabernas habet.

Statilii Tauri.

Intra portam Næviam & Cœlimontanam, adhuc prope integrum,


THEATR
N
A


L
N
L
B
B
L
N
B
K
G
A


N
N A
L
A
P
B
A
B
B
B
B
P
C
D
D
B
A
K
E
G
A

grum, & urbis mœnibus inclusum, una ejus parte intra, altera vero extra murum. De his tribus loquitur Ovid. III de Arte,

Visite conspicuis terna theatra locis.

Item III Tristium, quem locum supra explicavi.

Tiberii.

Ejus aliqua vestigia in privatis ædificiis intra aquam Virginem, & columnam Cochlidem Antonini visuntur: nam juxta septa fuit.

Titi.

Intra Cœlium & Esquilinum, vulgus à mole ædificii Colosseum appellat, urbe media, auctore Suetonio, situm, altitudinis tantæ, ut visio humana ad ejus summitatem ægre conscendat: quod testatur in XVI, Marcellinus. In altum habuit fornices quatuor, alterum alteri impositum, tres inferiores in extremo columnis sustentantur cum diversis capitellis superioris pars pro muro est: fenestris aliquot lucem admittentibus. Adeundi loca varia. Primus enim introitus est in ipsam aream circularem, quam nunc nominant harenam : proximus ascensus est ad sedilia ; sequitur alius ad aream aditus, postremus descensus in loca subterranea, ad quæ obruta jam perveniri nequit. Sedilium ratio non plane perspicitur, muri tamen magis ac magis sunt ad spectantium commoditatem declives. Post sedilia latus & spaciosus supra porticum ambitus. Ex ruinarum amplitudine, recte scriptum à Martiale videtur,

Omnis Cæsareo cedat labor Amphitheatro:
Unum præ cunctis fama loquatur opus.

De ludis Theatralibus, item de scenicis actionibus & originibus, M. Terentius Varro libros scripsit. Ludorum tempore contra æstum Theatra velis tecta fuisse, & sedilia croco conspersa, prodiderunt, præter Plinium lib. XIX. etiam poëtæ, cum veterum frugalitatem laudibus efferunt. Ut Ovid. libro primo de Arte:

Tunc neque marmoreo pendebant vela theatro,
Nec fuerant liquido pulpita rubra croco
Illic, quas tulerant nemorosa palatia, frondes
Simpliciter positæ, scena sine arte fuit,
In gradibus sedit populus de cespite factis,
Qualibet hirsutas fronde tegente comas.

Item Propertius lib. IIII.

Nec sinuosa cavo pendebant vela theatro,
Pulpita solennes non oluere crocos.

Vas ipsum, quo sedilia spargebantur, Nimbus appellatur à Martiale, qui ad Agathinum pugilem his verbis scribit:

Lubrico Corycio quamvis sint pulpita nimbo,
Et rapiant celeres vela negata noti.

Fuit θεατρικὸν ἀργύρειον, quod extat Latino vocabulo nun-

nuncupat Charisius. Romanus populus ludos spectabat coronatus, ad quos omnis ætas & sexus admittebatur. Quamvis autem Theatra, Circi, Campus, singulares quæque ac proprios ludos haberent, & exercitationes cuique loco accommodatas: tamen eadem sæpe omnibus in locis peracta sine discrimine fuerunt. Nam ut de circo dicam, in eo cursores, pugiles, luctatores, gladiatores, confectores ferarum versabantur; nam in eo bigarum quadrigarumque cursus, & ludi tauriles, & ferarum venationes, & equestria ac pedestria prælia exhibebantur. Introducti etiam sunt mimi, saltatores, citharœdi; histriones, funambuli, qui in theatris solebant agere frequentius. Contra in theatro navale prælium edidit Domitianus. Nunc de Circis breviter, dicendum est.

Circus Maximus.

Ex Palatini latere meridionali, quod Aventino est oppositum, jacet: cujus ruinæ cernuntur ab æde S. Anastasiæ, usque ad Severi septizonium. Fornices quadrupliciter altera alteri imposita, & sedilium directæ lineæ. Carceres olim & metæ ex topho lignoque fuerunt, quæ marmorea & aurata fecit Claudius. Ne quis autem alii sedendo molestus esset, hæc dat præcepta Ovidius:

Tu quoque, qui spectas post nos, tua contrahe crura,
Si pudor est, rigido nec preme terga genu.
Sed pendent tibi crura, potes si forte juvabit
Cancellis primos inseruisse pedes. Et,
Quid frustra refugis? cogit nos linea jungi:
Hæc in lege loci commoda Circus habet.
Tu tamen à dextra, quicunque es, parce puellæ:
Contactu lateris læditur illa tui.

In circo ornamenti causa, cum Deorum imagines gypseæ, tum detracto hostibus spolia suspendebantur. Idem,

Sive erit ornatus, non ut fuit ante, sigillis,
Sed regum positas Circus habebit opes.

Ad circum in cellis subterraneis habitabant, qui quæstum corpore facerent, ut ex Juvenale colligitur, & aperte declarat in Vario Lampridius: Omnes de theatro, de circo, de stadio, & omnibus locis & balneis meretrices collegit. Ad eundem res furto sublatæ sub crepusculi tempus vendebantur, quod in Horatium, cum circum vespertinum vocat, annotavit Helenius. Servi per circum nuces, & fractum cicer clamando solebant circumferre, item in cortinis aquam portare, quæ esurienti sitientique plebi venderent: quod adhuc in Italiæ civitatibus usitatum est. Ad illud respexit Horatius, ubi equestrem, & patricium, & copiosorum hominum ordinem, ab infima plebe discernit, scribens ad Pisones:

Offenduntur enim, quibus est equus, & pater, & res,
Nec si quid fracti ciceris probat, & nucis emptor,
Æquis accipiunt animis, donantve corona,

Alterum in Pænulo ostendit Plautus, *Ita*

Ita replebo atritate, ut atrior multo sies
Quam Ægyptii, aut qui cortinam ludis per circum ferunt.

Tomentum Circense erat culcitra ex gnaphalio, aut aliis herbis vel arundinibus concisis facta, quæ substernebatur multitudini: quod ex Suetonio & Martiale constat. Circi nomine, etiamsi nihil aliud addatur, intelligitur Maximus: ut fori appellatione, Romanum accipimus: campi vocabulo, Martium.

Flaminius.

Incepisse videtur circa ædem S. Angeli in piscina, protensus ad campum usque Agonium, Ejus inter ruinas plurimas, vestigia sunt apud apothecas obscuras, prope ædem S. Rosæ, & sacellum sepulcri sancti. Ab Apollinis templo, quod aliis magis conspicuum fuit; alio nomine Apollinaris. In hoc circo vitri officina fuit, in qua pocula fierent, coloratis punctis, quasi gemmis insignita, & crystallinis similia: quæ ut pretio gemmatis æquanda non erant, ita usu reperiebantur firmiora, quod aquis calidis, ut veræ gemmæ, not vitiarentur aut fluerunt; quod Martialis in Apophoretis docet, disticho Calices, & expressius lib. XII.

Cum tibi Niliacus portet crystalla cataplus,
Accipe de circo pocula Flaminio.
Nullum sollicitant hæc, Flacce, toreumata furem,
Et nimium calidis non vitiantur aquis.

Floralium.

In valle intra collem Hortulorum & Quirinalem. Ovidius de hoc, v Fast.

Circus in hunc exit, clamataque palma theatris,
Hoc quoque cum circi munere carmen eat.

Intimus.

Qui antiquiore nomine, Circus ad murum, ut Varro. In campo Figulino, & in Vinetis Tiberi adjacentibus, ejus rudera spectantur.

Neronis.

In valle inter Janiculum & Vaticanum.

Antonini Caracallæ.

Ab aliis, Prætorianus, quod ibi cohortis Prætoriæ statio fuerit, extra Capenam. Vestigia qualiacunque apparent prope S. Sebastianum, & molem illam, quæ nunc Bovis caput dicitur.

Alexandri Severi.

Eo in loco, ubi campus nunc Agonius.

Antequam ad reliqua progrediamur, illud admomendum est, claris viris, & ad populum gratiosis, in theatrum aut circum introeuntibus, clamore publico & plausibus vulgi gratulationes factas ad Mecœnati, de quo Horatius,

Datus in theatro cum tibi plausus.

Et Cæsari Domitiano, de quo in VIII Martialis,

Dum te longa sacro venerantur gaudia Circo,
Nemo quater missos currere sensit equos.

Odeum.

Odeum.

Græco nomine dictum ᾠδεῖον, publicum ædificium erat, in quo, ut in xysto athletæ, in lanistæ ludo gladiatores, ita citharœdi & tibicines à musico, & reliqui fortasse scenici actores ab histrione exercebantur ante, quam in theatrum prodirent. Odea in urbe quatuor fuerunt. Unum, in monte Aventino, de quo ad Atticum loquitur Cicero, etiamsi locus mundo non vacet: Monumentum illud (inquit) quod tu tollere laudibus solebas, ut Odeum laxaremus, & usque ad atrium Libertatis explicaremus, contempsimus. Alterum, intra Palatinum & Cœlium, prope Metam sudantem (hæc nunc intra amphitheatrum Titi, & arcum Constantini collapsa cernitur) cujus quidem nomen Seneca non exprimit, sed ab usu describit ad Lucilium lib. VII. In iis quæ me sine avocatione circumstrepunt, essedas transcurrentes pono, & fabrum inquilinum, & ferrarium vicinum: aut hunc qui ad Metam sudantem tubam experitur & tibias, neque cantat, sed exclamat. Tertium, prope theatrum Pompeii; quod innuere videtur Marcellinus lib. XVI, cujus verba, quantumvis corrupta, quia locis aliquot eorum testimonio sum usus, cuncta subscribam: Intra septem montium culmina, per acclivitates planiciemque posita urbis membra collustrans, & suburbana quidquid erat primum, id eminere inter alia cuncta sperabat. Jovis Tarpeii delubra, quantum terrenis divina, præcellentia. Lavacra in modum provinciarum extructa. Amphitheatri molem solidatam lapidis Tiburtini compage, ad cujus summitatem ægre visio humana conscendit. Pantheum velut regionem teretem, speciosa celsitudine fornicatam. Elatos vertice scansili suggestus consulum, & priorum principum imitamenta portantes. Urbis templum, & Pacis, Forum, & Pompeii theatrum, & Odeum, & Stadium, aliaque inter hæc decora Urbis æternæ. Verum, cum ad Trajani forum venisset, singularem sub omni cœlo structuram, ut opinamur, etiam numinum assensione mirabilem, hærebat attonitus, per Giganteos contextus circumferens mentem, nec relatu effabiles, nec rursus mortalibus expetendus. Hæc ille. Quartum, inter cætera opera mirabilia & memorabilia fecit Domitianus, ut in vita ejus Suetonius tradit: quamvis non plane indicet, extruxerit ne an instauraverit, nam (ut ait Sex. Aurelius) multa ædificia cœpta, multa à fundamentis ipse construxit.

Stadium.

Locus cursoribus destinatus, & hoc extructum à Domitiano, eodem Suetonio testante. Etsi autem ubi fuerit, & unumne an plura extiterint, nesciatur: tamen inter maxima & præcipua urbis loca poni intelleximus è Marcellino, & è Lampridio: quorum verba in hoc ipso capite citavimus. Martialis lib. III ad Matronam,

Gymnasium, therma stadium est: hac parte recede;
Exuimur, nudos parce videre viros.

Stadiodromum quendam Astylon nominat Plinius lib. XXXVIII.

&

& multos celebrat Pindarus, & notus historiis est Milo Crotoniata, & eadem patria natus Ischomachus: unde studium ambitiosæ his in rebus Græciæ magis cognoscas.

Xystus.

Græca quoque appellatione locus dictus, in quo subtecto hyemis tempore versabantur athletæ. Ut autem Odeum theatri, Stadium circi, ita Xystus forma porticus erat extructus: inde & hypethras, hoc est (ut Plinius) subdiales ambulationes, neutro genere xysta appellarunt Romani.

Odeum multa sedilia, multasque columnas habuit, cum pronis & declivibus tectoriis, ut in Pericle describit Plutarchus: stadium, carceres, & metas, non secus atque circus: Xystus columnas in latum directas. Qui concertantibus præerat, Xystarchus: qui ipse certabat, Xysticus nominatus, ut in antiquo marmore:

L. THENODORUS XYSTICUS PARIDI THYMELICO BENE MERENTI FECIT.

Factiones aurigantium, qui ludis Circensibus Palmam quærebant, fuerunt quatuor: quæ à coloribus, viridis, cærulei, coccinei, albique panni, quo donabantur, nomina acceperunt, Prasinæ, Venetæ, Russatæ, Albatæ. Domitianus duas aurati purpureique panni ad quatuor pristinas addidit, teste Suetonio. Harum factionum ad reprehensionem usque studiosi fuerunt principes nonnulli, ut Caligula Prasinæ, Vitellius Venetæ: tum agitatores ipsos habuerunt in pretio, ut Caligula incitatum. Nero Prasinum, Domitianus Passerinum & Tigrim, Nerva Scorpum: quorum victorias prædicatione extollit Martialis, ut M. Aurelii Dioclis, & C. Pompeii Eusceni, & Fusci, vetera epigrammata. Martialis tres factiones conjungit,

Si Veneto, Prasinove faves, qui coccina sumis,
Ne fias ista transfuga veste, vide.

De Prasina separatim Juvenalis, Satyra XI.

Totam hodie Romam circus capit, & fragor aurem
Percutit, eventum viridis quo colligo panni.

Justiniani temporibus ex contentione factionum Prasinæ & Venetæ, tanta Byzantii seditio exorta est, ut quadraginta fere hominum millia sint trucidata: quod ex Zonara Monacho scripsit Cuspinianus. Post illam cladem factionum nomina sunt abolita.

CAP. XIII.

De Porticibus.

INter clara Urbis ædificia porticus fuerunt, quæ vel ædibus sacris, vel illustrium virorum domibus, vel publicis ædificiis annexæ, aut necessitatis, aut ornamenti voluptatisque gratia fuerunt. Velleius in sua historia conqueritur, cum post bellum Punicum a Scipione confectum, in somnum à vigiliis, ab armis ad voluptates, à negotiis in otium esset conversa civitas, tum primum familias illustres inter se

certasse ejusmodi ædificiorum pompa, donec publicam magnificentiam secuta privata luxuria sit. Porticus nomina acceperunt, aut à deorum templis, ut Concordiæ, Quirini, Herculis: aut ab auctoribus, ut Pompeia, Octavia, Livia, item Nasicæ, Metelli: aut ab ædificii qualitate, ut curva, miliaria, stadiata, porphyretica, Corinthia: aut ab hominum actionibus, ut Margaritaria apud Victorem, Argentaria apud Vitruvium: aut à picturis, ut Isidis, Europæ, Argonautarum: aut à locis adjunctis, ut porticus amphitheatri, porticus circi, porticus septorum, porticus campi Martii. In porticibus interdum res seriæ agebantur, ut cum in iis haberetur senatus, cum jus diceretur, cum publica acta notarentur, cum sponsalia fierent. Interdum in iis lucri gratia consistebant, qui res pretiosas, gemmas scilicet, tabulas, signa, toreumata, aulæa, venderent. Plerumque animi causa, æstivis præsertim caloribus, ad captandum umbram ibidem inambulabant. Enumerabimus hic cum eas quæ nunc extant, tum quæ à scriptoribus sunt celebratæ.

Apollinis Palatini.

Ante celeberrimum illud templum ab Augusto post Actiacam victoriam conditum, in Palatino, circum Maximum versus, auro & columnis Numidicis, & statuis, & picturis variis ornata: duorum poëtarum testimonio; Propertii lib. II.

Quæris cur veniam tibi tardior? aurea Phœbi
Porticus, à magno Cæsare aperta fuit.
Tantam erat in speciem Pœnis digesta columnis,
Inter quas Danai fæmina turba senis.
Hic equidem Phœbo visus mihi pulcrior ipso
Marmoreus tacita carmen hiare lyra.
Atque aram circumsteterant armenta Myronis,
Quatuor artificis vivida signa boves.

Et Ovidii tertio Trist.

Inde timore pari gradibus sublimia celsis,
Ducor ad intonsi candida templa Dei.
Signa peregrinis ubi stant alterna columnis
Belides, & stricto barbarus ense pater.
Quæque viri docto veteres fecere novique
Pectore, lecturis inspicienda patent.

Dicit poëta, signa alterna stetisse, qui in una parte fuerunt filiarum Danai effigies, & è regione sub dio totidem equestres filiorum Ægypti: ut inquit vetus Persii interpres. Hujus nulla extant vestigia.

Jovis Ultoris.

Quæ postea ab æde, porticus Panthei: ab auctore, porticus Agrippæ dicta est. Reliquæ sunt ex ea columnæ ingentes XVIII, pilæ XII, ita distributæ, ut primus ordo habeat columnas octo, inter quas aditus ad templi ipsius fores: post quem duo alii ordines, in singulis columnæ quatuor, quæ inæqualibus primi ordinis, primæ scilicet &

tertiæ

tertiæ respondent. Proximi ordines tres, pilas ternas habentes, longius inter se, quam columnæ distant.

Quirini.

In ea Quirinalis parte, quæ Viminalem attingit, ubi hodie S. Vitalis templum. Martialis lib. XI.

Vicinam pete porticum Quirini,
Turbam non habet otiosiorem
Pompeius, vel Agenoris puella,
Vel primæ dominus levis carinæ.

Silvani.

De hac antiquum Epigramma, quod Romæ legitur.
SILVANO SANCTO L. VALLIS SOLON PORTICUM EX VOTO FECIT. DEDICAVIT K. APRILIB. PISONE ET BOLANO COSS.

De templo autem Silvani sub Viminali, an de alio cui porticus adjuncta sit, intelligitur, incertum est.

Herculis.

In aditu Circi Flaminii, quam æde illa instaurata Martius Philippus Augusti vitricus fecit. Unde Philippi porticus dicitur à Martiale lib. v.

Vites censeo porticum Philippi,
Si te viderit Hercules, peristi.

Hanc Plinius lib. xxxv, bis commemorat, propter Apellis & Antiphili pictorum opera, & ædem Herculis cum hac porticu conjungit Victor.

Mercurii.

Inter circum Flaminium & Tiberim, semidurata, ante templum S. Angeli in piscina. Hæc & Severi, & Antonini dicitur, ab imperatoribus qui restituerunt, aut ornarunt. Sub ea nunc porticu pisces, & ferinæ carnes venduntur.

Neptuni.

Ante ejusdem ædem juxta Septa, ubi comitia fiebant, qui locus eminentior, jam Mons acceptorius & Citorus dicitur.

Concordiæ.

Sub Capitolio forum versus, de quo octo adhuc columnæ altissimæ extant, brevi inter se spatio disjunctæ. Hanc pene integram se vidisse scribit Poggius, & columnas ad calcis usum suo tempore dijectas: id quod non raro fit in urbe, etiam in maximis ædificiis.

Veneris Erycinæ.

Ante portam Collinam, ejus deæ templo conjuncta. Porticus mentionem facit Strabo, templi Ovidius, II De remedio.

Libertatis.

In Palatino, quam domo Ciceronis eversa, fecit Clodius, sed eadem paulo post sublata.

Scipionis Nasicæ.

Ab æde Saturni extensa ad Capitolinum, quam inter magnifica enumerat Velleius.

Q. Metelli.

Idem: Metellus (inquit) Macedonicus, porticus quæ fuerunt circundatæ duabus ædibus, sine inscriptione positis, quæ nunc Octaviæ porticibus ambiuntur, fecerat. Plinius de eadem lib XXIIII. fuit hæc ad finem circi Flaminii, ut ex Varronis & Vitruvii, scriptis conjunctis colligi potest. Visuntur hodie inter S. Nicolaum de Funariis; & S. Mariam de Sole, circum Flaminium versus, multæ marmoreæ columnæ: sed hujus, an alterius porticus sint, nondum liquet.

Cn. Octavii.

Duobus nominibus aliis appellata, à structura, Corinthia: à pictura, Persei nam C. Octavius de Perse Macedoniæ rege triumphum agens, ex manubiis porticum condidit, & res suas gestas in ea depingendas curavit. Unde merito amœnissima à Velleio habetur; qui addit, eam in Circo fuisse: verum, ne relinquatur in dubio, de quo loquatur, Plinius exprimit Flaminium. Extant vestigia intra ædem S. Nicolai de Chalcaria, & turrim Argentinam, columnæ semiobrutæ cum capitellis Corinthiis. Duplex columnarum ordo fuit, auctoribus Plinio & Victore, ab Augusto, cum esset incendio deformata, in formam meliorem reducta est, quod ex Verrio tradit Pompeius.

Q. Catuli.

Quæ, eversa M. Flacci domo, qui Gracchanas partes contra Remp. foverat, extructa de Cimbris manubiis. Eam diruit Clodius, ut Orationibus & Epistolis testatur Cicero.

Hortensii.

In Palatino ante ædes ipsius, brevis, & ex columnis Albanis, sine ullo marmore. Suetonius.

Balbi.

Ejus contigua theatro, circa illum locum, qui nunc Apothecarum obscurarum nomen habet.

Æmilii.

Intra portam Trigeminam & Navalia. Livius.

Faberii.

In Aventino, auctore Vitruvio. Corrupte apud Victorem Fabraria, pro Faberia legitur. Faberii scribæ multa mentio apud Ciceronem.

Numicii.

In foro Romano circa Rostra, & ædem Veneris genetricis. In hac Antonius Lupercus, auream coronam Cæsari imposuit, ut est in secunda Philippica. Videndum, num Numicia eadem sit cum ea, quam Miniciam Velleius nominat.

Philippi.

In regione circi Flaminii, ut Victor: de ea paulo ante, de porticu Herculis Musarum. Fuit picturis ornata, quia ad splendorem urbis Augusto hortante facta est.

Pompeii.

Pompeii.

Ad ejus theatrum, omnium sumptuosissimi, primum columnarum varietate & multitudine, etenim ἑκατόςυλ@, seu (ut quidam) centenaria dicta est: tum platanorum ex utraque parte nemoris modo ipsam ambientium diffusa umbra: postremo aquarum illuc deductarum amœnitate, quæ singula prædicat lib. II Propertius.

Scilicet umbrosis sordet Pompeia columnis
Porticus, aulæis nobilis Attalicis,
Et creber pariter platanis surgentibus ordo,
Flumina sopito quæque Marone cadunt.

De eadem sentire videtur Martialis lib. III.

Inde petit centum pendentia tecta columnis,
Illinc Pompeii dona, nemusque duplex.

Æstatis tempore frequentes in ea ambulabant homines, ut primo & tertio libro de Arte Ovidius innuit. In eodem Pompeii imago populi voluntate erecta: Plutarchus in vita Bruti.

M. Agrippæ.

Ante ædem Panthei, de qua paulo ante Horatius lib. I Epist.

——— *cum bene notum*
Porticus Agrippæ, & via te conspexerit Appii.

Julii.

Prope arcum in foro Fabianum. Hujus porticus mentionem inveni apud Persii interpretem, & Victorem.

Augusti.

Plures unâ in Campo, cujus solum lithostrotum, & latera myrto, lauro, ac buxo circundata, perpetuæ viriditatis. Alia duplicata in ipsius foro, in qua statuæ virorum illustrium triumphali habitu statutæ erant.

Liviæ, uxoris Augusti.

Ad viam sacram, ubi nunc ruinæ templi Pacis cernuntur, artificum tabulis ornata, & opaca fœcundissimaque vite inumbrata: de hac lib. XIIII, Plinius: de illis Ovidius,

Nec tibi vitetur, quæ priscis sparsa tabellis,
Porticus, auctoris Livia nomen habens.

Hanc inter præclara Urbis ornamenta recenset Strabo.

Octaviæ, sororis Augusti.

De eadem Ovidius, I de Arte,

Aut ubi muneribus nati sua munera mater
Addidit, externo marmore dives opus,

Per munera nati, Marcelli Theatrum intelligitur, cui fuit Octaviæ porticus contigua: unde eandem porticum Marcelli nominat Florus. Vestigia ejus inter S. Nicolaum in carcere, & S. Mariam in porticu, ubi locus ex ruinis eminentior. Quin ipse vidi ibidem effodi lapides Tiburtinos, & fragmenta marmorea ingentium columnarum.

Claudii.

Ultra viam sacram, Theatrum versus. Merula hanc & Liviam eandem esse auguratur: Martialis à Tito & Domitiano fratribus significat Claudiam restitutam: nam postquam de amphitheatro Titi, & thermis ejusdem, locutus est, addit:

Claudia diffusas ubi porticus excipit umbras,
Ultima pars aulæ deficientis erat.

Ad eam quondam terminabatur domus aurea Neronis.

Neronis.

Intra ipsius domum æneo colosso addita, triplex fuit, & singuli ordines M. pass. complexi sunt, ut ex Suetonii verbis licet intelligere, Alii milliariam à spatio vocant.

Nervæ.

In ipsius foro cum columnis excelsis, partim rotundis, partim quadratis, quarum adhuc aliquæ relictæ sunt, olim laminis ex orichalco tecta.

Trajani.

Ejusdem foro adjecta, cui columnarum altitudine nulla nullius ætatis in urbe par fuit.

Antonini Pii.

Juxta ædem S. Stephani de Truglio, de qua undecem marmoreæ columnæ striatæ, magnæ & pulchræ, extant. In ea nunc ædificata domus, in qua pueri orphani nutriuntur.

Faustinæ, uxoris Antonini.

Forum Romanum, & Palatinum montem prospiciens, extructum in ea templum S. Laurentii in Miranda: ex ea decem columnæ reliquæ, forum versus sex, utreque ex latere binæ. In epistyliis extat inscriptio.

Gordiani.

In campo Martio sub colle, longa ped. M. in cujus lateribus viridaria ex lauro, myrto, & buxo fuerunt, ut est apud Capitolinum.

Galieni.

In eodem campo usque ad pontem Mulvium extensa, dicta πεντάστιχος, propter quinque ordines quorum primus ex pilis, reliqui quatuor ex columnis fuerunt. Dicta etiam Flaminia, propter viæ vicinitatem.

Constantini.

De hac nihil aliud, quam quod in Capitolio fuerit, legimus. Referuntur præter has & aliæ, ut Minicii a Vellio, Neronis per totam urbem à Suetonio, Vispani à Tacito, Reguli à Plinio juniore, Alidata a Victore, Stadiata à Vitruvio, centum columnarum a Martiale: quarum quia locus incognitus est, nomina saltem ex auctoribus nota esse voluimus. Pergamus porro ad alias quasdam, dignas commemoratione, & olim non incelebres.

Porticus

Porticus Capitolii.

Hæ fuerunt in latere clivi Capitolini, per quem ex Velabro aſcenſus in Capitolium fuit: conſumptæ ſunt incendio factionis Vitellianæ: auctor Tacitus.

Amphitheatri.

Triplex fuit: in exteriore parte aditus nunc cernuntur XXXIII. in media XXXVI. in intima LXXII. Sed tota illa mole conſumpta, atque maxima ex parte collapſa, de univerſa ſtructura judicare nemo niſi artifex poteſt.

Circi Maximi.

Et hæc triplex fuit, ſed ita, ut ex triplici ſtructura una circularis fieret: binæ exteriores ambulationibus patuerunt liberæ, altera officinis & tabernis opificum & inſtitorum occupata fuit. Circi ingentia rudera ſunt, porticus nullæ extant reliquiæ.

Septorum.

De qua Cicero ad Atticum lib. IIII, & Plinius lib. XVI, à M. Agrippa circum ſepta conſtructa fuit.

Campi Martii.

Hæ circum circa Campum ambierunt, ut Strabo teſtatur. Ex eis una fortaſſe fuit, quæ ſequitur.

Europæ.

Adjuncta Campo, non procul a ductu aquæ Virginis, canente Martiale,

Sed curris vitreas tantum prope Virginis undas,
Aut ubi Sidonio taurus amore calet.

Umbroſa fuit buxeto. Idem.

An delicatæ ſole rurſus Europæ
Inter tepentes poſt meridiem buxos
Sedet?

Unde idem ad hominum, loca publica cœnæ cauſa frequentantium, jocoſe ſcribit, lib. 2.

Lotus ad Europes tepidæ buxeta recurrit,
Si quis ibi ſerum carpat amicus iter.
Per te, perque tuam, vector laſcive, puellam,
Ad cœnam, Selium tu, rogo, Taure voca.

Idem Agenoris puellæ hanc porticum nominat, lib. XI.

Argonautarum.

A pictura ſic dicta, à Campo ad ſepta extenſa, auctore Martiale lib. II.

Si nihil Europe fecit, tum Septa petantur,
Si quid Phillyrides præſtet, & Æſonides.

Poſt Quirini, Pompeii, & Europæ, tanquam præcipuam hanc extollit idem poëta, quos verſus de Quirini porticu retulimus. De eadem lib. III.

Hinc si recessit, porticum terit templi,
Aut spatia carpit lentus Argonautarum.

Isidis.

In hortis Commodianis, à forma dicta Curva, à pictura, Isidis. Nam Commodus Imp. cum Pescennio Nigro, qui postea ad imperium aspiravit: in ea depictus fuit, quasi præses sacrorum Isidis. Non solum autem pictura, sed & Musico opere insignis fuit, ut ait Spartianus.

Millarensis.

In hortis Sallustianis, exornata ab Aureliano, qui secessu illorum hortorum delectabatur, ut est apud Vopiscum. Egnatius vult Milliariam dici à mille passuum longitudine, quod nomen & Neronis porticus habuit intra Palatinum & Esquilinum, de qua paulo ante.

Porphyretica.

Et hæc memoratur à Vopisco. In ea actorum publicorum scribæ versati sunt. Videtur juxta Concordiæ ædem fuisse, in qua sæpissime Senatus habebatur; nam prope ædem triplicis porticus fundamenta superioribus annis effossa constat.

CAP. XIV.

De Arcubus Triumphalibus, & Trophæis.

ARcus olim honoris virtutisque causa erecti sunt iis, qui, externis gentibus domitis, singulares victorias patriæ pepererant. Ii primum rudes & simplices fuerunt, cum virtutis præmia, non ambitionis lenocinia essent: seculo insolentiore, monumenta victoriarum, & triumphorum pompa fuit in iis incisa. Erant aut latericii, ut Romuli: aut ex rudi lapide quadrato, ut Camilli: aut ex marmore, ut Cæsaris, in foro: Drusi cum trophæis, in via Appia: Trajani, in ejusdem foro: Gordiani, in Viminali: Gratiani, item Theodosii, non longe à via Triumphali: deinde etiam reliqui, quos jam nominabimus: de iis enim tantum, de quibus adhuc restat aliquid, loquemur. Arcuum forma, primum erat semicircularis, unde & nomen fornicis accepit: fornix enim Fabianus à Cicerone dicitur, qui à Victore arcus Fabianus nominatur. Postea quadrata, ita ut in medio ampla esset porta fornicata, & ex ejus portæ utroque latere aliæ minores additæ. Intra mediæ portæ fornicem Victoriæ alatæ pependerunt, quæ dimissæ victori transeunti coronam imponerent. In superiore arcus parte spatia sunt, in quibus aliquot homines, vel qui tubis canerent, vel qui insignia trophæa ostentarent, stetisse videntur. Hæc magnificentia Augusti temporibus, & paulo ante, cœpit; nam de Cæsaris arcu, Servius: de Drusi, Suetonius: de Germanici & Neronis, Tacitus. Novitium hoc inventum ait Plinius, non quod arcus ante Cæsarum tempora non fuerint, sed quod

quod tali ornatu non fuerint. Antiquissimi, de quibus extat aliquid, sunt tres: novitii Plinio, nobis veteres, quinque.

Arcus Romuli.

Vestigia inter S. Mariam de gratia, & S. Mariam de inferno. Bini fuerunt, quos, etsi lateritii erant, tamen in marmoreos Romani non mutarunt, ne conditoris sui memoria, & priscæ frugalitatis monumentum interiret. Hos sua tempestate primum collapsos tradit Blondus.

Camilli.

A via lata eunti versus S. Mariam in Minerva, ex lapide quadrato, rudi, & nullorum ornamentorum, inclusus parti ædificiorum.

Fabii.

In via sacra, cujus fundamenta, cum in urbe essemus, effodi dicebantur, prope S. Laurentium in Miranda. In eo scuta & signa Victoriæ fuerunt sculpta.

Arcus Titi.

Marmoreus inter forum Romanum, & amphitheatrum, adjunctus templo S. Mariæ novæ. In eo ab una parte sculptus de Judæis triumphus. Imperator in curru sedens, ab alata Victoria coronatur: currui præfertur arca fœderis, præcedentibus duodecem fascibus consularibus. Ab altera parte candelabrum aureum cum septem lucernis, tabulæ Mosaicæ, mensa aurea, & varia templi Hierosolymitani vasa. In medio arcus fornice, Titus sedens aquilam alis expansis utraque manu sub genibus tenet. In frontibus, Judæi vinctis post tergum manibus captivi aguntur. Hujus splendidissimi arcus & clarissimi triumphi, lib. VII. belli Judiaci meminit Josephus.

Domitiani, Titi fratris.

In via Flaminia, inter S. Sylvestrum, & S. Laurentium in Lucina, quatuor columellas habet in prima fronte. In eo urbis imago, & Victoriæ, & Domitianus nudus sedens, corpore procero, & dormienti similis, à Minerva fovetur. Martialis libro VIII.

Stat sacer, & domitis gentibus arcus ovans.
Hic gemini currus numerant elephanta frequenter,
Sufficit immensis aureus ipse jugis.

Extruxit plures per omnes urbis regiones, ut scribit Suetonius: & insignem in via Appia, de quo Statius in Sylvis.

Septimii.

Ad radices Capitolii, propemodum è regione arcus Titi. Visuntur in eo navales & terrestres pugnæ, cum machinis bellicis, variisque armorum generibus. Ex utraque parte victoriæ, & milites gestantes trophæa. Ad ejus superius spatium per gradus quinquaginta ascendimus.

Galleni.

Gallieni.

In Cœlio monte, conjunctus templo S. Viti, nullis ornamentis, ex lapide Tiburtino.

Constantini.

In Palatini radicibus, ad caput viæ Appiæ, multi ornatus & artificii, res ejus gestæ in eo expressæ, & in primis bellum contra Maxentium: cui etiam jacenti, admisso equo insultans, minitatur. Fuerunt superne circumquaque impositæ statuæ, partim mutilatæ, partim collapsæ. And. Fulvius libro secundo, quem carmine scripsit, plures recenset arcus, quorum ne vestigia quidem relicta sunt.

Trophæa Marii.

Inter templa S. Eusebii, & S. Juliani, in Esquilino. Moles latericia, in qua bina trophæa ex marmore. Sunt autem trunca corpora cum spoliis, quorum alterum thorace squamoso indutum, cum ornamentis militaribus & clypeis, ante se habens juvenem captivum, brachiis ad tergum revinctis, & undique altas victorias. Alterum armis militaribus ornatum, inter quæ clypei inæqualiter rotundi, galea aperta cum cono & cristis; & altera sine cristis clausa. In eodem inest forma chlamydis, & alia quædam, quæ marmore detrito & corrupto satis cognosci non possunt. Locus ille hodie Cimbricum vocatur, quia de Cimbris à C. Mario trophæa sunt erecta.

CAP. XV.

De Tiberi, & fluviis urbis: & de ornamentis fontium, ac naumachiis.

TIberis in Hetruria ex monte Appenino, paulo supra Arnum, oritur, augustiore nomine Tiberinus, poëtis Tibris, in sacris Serra, antiquissima appellatione Rumon, aliquando Albula dictus Virg. VIII. Æn.

——— *Amisit verum vetus Albula nomen.*

In quadam urbis parte Terentum, ut apud Ovid. Mart. Intra septentrionem & occasum in urbem influit, & meridiem versus apud Ostiam oppidum, in mare Tyrrhenum ostio amplo, & proxime deducta fossa, quæ ibidem efficit insulam, infertur. Naturali suo colore, albus: vulgari amnium, cæruleus est: propter terram quam radit, flavus, & leni pluvia turbidus. Aqua ejus in urbe venditur, & in fictilibus urceis, aut vasis lapideis continetur, fitque in eis limpidissima, potu amabilis, & absque corruptione longo tempore pura. Nec minus aquarum esse huic amni, quam Nilo, Plinius tradit. Primum cursum habuit inter Palatinum & Capitolinum, per Velabrum stagnans, & fori partem, unde Ovidius:

Hic,

Hic, ubi nunc fora sunt, lintres errare videres.

Sed eum repressit Priscus rex, & post eo alveo, quo nunc currit, laxavit Augustus, quo respexit ad Pisones Horatius,

——— *Amnis*

Doctus iter melius.———

Aurelianus Aug. ad Flavium Arabianum scribit, se Tiberinas extruxisse ripas, & vadum alvei tumentis effodisse. De Tiberis auctu erat libellus Ludovici Gometii, & visuntur in arce Romana, item ad templa S. Mariæ de populo, & S. Mariæ supra Minervam, & ad S. Eustachium, aliisque in locis indicia marmoribus incisa, ad quantam altitudinem aliquoties creverit. Interdum adverso cursu influentes amnes impellit, & alienis aquis, nocet cum urbi, tum villis & agris. Illud Augusti tempore factum scribit Horatius : hoc Trajani, Plinius. Auctus ejus religiosus, quia futurum malum aut cladem urbi portendere creditur. Nostra memoria, Clementius VII, Hetrusci, anno septimo, VIII, Id. Octobris, sereno cælo, inopinato Tiberis incremento tota Roma navigabilis facta est. De amnibus in Tiberim influentibus, Plinius libro tertio, & Corn. Tacitus libro primo Annalium.

Rivus Appiæ.

Frontinus: Rivus Appiæ (inquit) sub Cœlio monte & Aventino auctus emergit, intra clivum Publicii Alsi, & inde eductus est in Naumachiam. Hodie per portam Gabiusam (ut & ante dixi) ingreditur fluvius, qui fertur per vallem inter Cœlium & Cœliolum, inde per viam Appiam in radicibus Aventini, sub eo clivo, quo ad S. Sabinam ascensus est, influit in Tiberim. A Mariano oppido, aqua Mariana dicitur. Marlianus rivum Herculanum esse arbitratur.

Almo.

Extra Capenam, in quo religionis causa quotannis sexto calendas Aprilis simulacrum & carpentum & leones Cybeles, & cultri Phrygii a sacerdotibus abluebantur: cujus mentio apud Ovidium, Lucanum, Statium, Claudianum, Val. Flaccum, Martialem ; nam Cosmographi de eo fluvio, quod sciam, nihil. Non procul autem ab urbe cum Tiberi miscetur.

DE AQUIS RELIGIOSIS IN URBE.

Fuerunt & religiosæ aquæ : ut nihil unquam in Urbe superstitione caruit. Mercurii, extra eandem Capenam, in qua qui lavabant, se à perjurio liberati credebant : modum lavandi aliquot describit versibus Ovid. lib. V. Fast. Petronia, quam magistratus auspicato transierunt, cum in campo agere quid vellent, ut auctor est Verrius Flaccus. Juturnæ aqua in foro, quam valetudinis causa multi bibebant, & præ cæteris adhibebant ad sacrificia. Fontem autem Juturnæ in foro fuisse, lib. I. Fast. ostendit Ovidius, eumque secutus Victor in octava regione. Versus Ovidii sunt,

Fratribus illa Deis, fratres de gente Deorum,
Juxta Juturnæ composuere lacus.

Templum vero fuiſſe in campo, prope aquam Virginem, aperte idem indicat,

Te quoque lux eadem Turni ſoror æde recepit,
Hic ubi Virginea campus obitur aqua.

Facile igitur tolli controverſia poteſt, quæ inter ſcriptores recentiores eſt, ſi verba poëtæ recte conſideres.

DE ORNAMENTIS FONTIUM ATQUE AQUARUM.

Quia vero de aquis ſermo eſt, de ornamentis fontium dicam aliquid, quorum non pauca ex antiquitate relicta ſunt monumenta. Fontibus igitur varia appoſuerunt ſimulacra antiqui, vel propter religionem, vel propter ornatum. Religionis cauſa Apuli & Siculi Herculem, quia purgavit aquas extincta hydra: unde & thermæ Himeræ urbis in Sicilia, item Oetæ montis & Pylarum in Theſſalia, in tutela Herculis fuerunt: quod Pindari & Sophoclis interpretes ſcribunt; & ſunt qui omnes thermas ei eſſe ſacratas velint. Herculeæ thermæ Mediolani in primis nobiles, à quibus etiam vicus nomen traxit. M. Agrippa Romæ non Herculem, ſed Hydram ipſam ad lacum Servilium poſuit, quod memoriæ prodidit Sex. Pompeius. Ornamenti autem gratia, fontibus appoſita fuerunt diverſa ſimulacra, quorum & publicis in locis, & in nobilium ædibus adhuc plurima viſuntur. Uſitatiſſimum fuit, Deos fluminum apponere, qui formantur jacere ſemierecti, urniſque brachio ſuppoſitis, amnes tanquam è fonte emittere, velati plerumque ſerto harundineo, & tecti carbaſo, quæ eſt veſtis fluxa & ampla, umbilico tenus ſuperiore corporis parte nudi. Talis cernitur Tiberis, domo Cæſia: talis Arnus, in hortis Pontificiis: & duo coloſſi marmorei in area Capitolini, Nili & Tigris, vel (ut quibuſdam placet) Naris & Anienis, vel (ut aliis) Acheloi & Iſtri. Alter cubito innititur Sphingi monſtro, alter tigri animali: barba alter prolixa, alter modice reſecta. Talis eſt coloſſus Rheni, prope forum Romanum jacens, quem alii Niphatis fluvii eſſe putant: Blondus falſo vocabulo Jovem piſtorem, vulgus novo Marforium, nominat. Talis in ſcuto Æneæ apud Virgilium,

Amnem cælata fundens pater Inachus urna.

In domo Chiſiorum, extra portam Septimiam, ante Deum aquarum, eo, quo diximus, modo cubantem, nuda mulier ſtans, dextramque mamillam manu comprimens, aquam in ſubjectum labrum immittit. Ad ortum Virginis in agro Luculano, puellæ imago ad fontem ſtetit, ut Frontinus teſtatur: in Umbria, Clitumnus prætextatus juxta fontem ſuum, ut Plinius: in Surrentino Pollii, ante balneum, ipſe Neptunus, ut Statius. In domo Cæſia, de qua jam diximus, Sylvanus barbarus è ſaxo paulatim ſtillante, quaſi ex utre, aquam exprimit. Reperiuntur frequenter Nymphæ dormientes, quæ amphoris & crateribus (ea fuerunt Hydriadum inſignia) innituntur:

tuntur: quorum ſymbolorum in Odyſſea mentio apud Homerum, & latius exequitur interpres ejus Porphyrius. Antiqui operis pulcherrimum monumentum vidi Romæ, in capite viæ latæ, in privata domo: erat autem Nais ſinu aperto, ſupina jacens, & ventre ad pubem nudo, capite incubans amphoræ. Recentis operis, in agro Neapolitano, in villa Leucopetrea, Arethuſa nuda adjacet fonti, in nymphæo conchiliato. Legitur de ſimili Nympha epigramma in hortulo Colorii:

Hujus nympha loci, ſacri cuſtodia fontis,
Dormio, dum blandæ ſentio murmur aquæ.
Parce meum quiſquis tangis cava marmora, ſomnum
Rumpe: ſive bibas, ſive lavere, tace.

Et alibi in fontis margine hæc antiqua inſcriptio,

NYMPHAE LOCI
BIBE LAVA TACE.

Erant & alia ſimulacra; interdum enim totus aliquis fons abſorbebatur, quem Deus marinus ore excipiebat, ut ex illo Propertii diſcitur, libro ſecundo.

Et leviter lymphis tota crepitantibus urbe,
Cum ſubito Triton ore recondit aquam.

Nonnunquam rurſus emovebatur, vel per Nilum & Euripum, ita majores minoreſve canales appellabant; vel per ſiphones conchaſque, vel per certa vaſorum genera. De Silano Lucretius libro ultimo:

Corpora Silanos ad aquarum ſtrata jacebant.

De Cantharo vetus lapis, extra portam Oſtienſem reperta in vinetis, cum hoc diſticho,

Perdiderat laticum logava injuria curſus,
Quos tibi nunc pleno Cantharus ore vomit.

Sed ne prolixior ſim, dicam de Naumachiis, quas Romani, poſtquam cognoverunt, externas gentes navali certamine plurimum poſſe, primo bello Punico inſtituerunt, auctore Servio. In his navalium pugnarum, ut pedeſtrium in campo, circo, aut theatro, edebantur ſpectacula. Unde Martialis:

Quicquid & in circo ſpectatur, & amphitheatro,
Dives Cæſarea præſtitit unda tibi.

Res tota ſublata eſt, locorum notatio ad cognoſcendas valles pertinet. Fuerunt naumachiæ quatuor. Circi Maximi, quæ & vetus à Suetonia nominatur: ea occupavit vallem inter Palatinum & Aventinum, de qua 11 Faſt. Ovidius. Cæſaris Auguſti, in valle Martia: de ea, libro primo de Arte, Idem. Caii & Neronis, inter Janiculum, & Vaticanum, de qua Corn. Tacitus. Domitiani eo in loco, quo Auguſti fuit, ſed ab eo perpurgata & ampliata, effoſſo etiam & circumducto ex Tiberi lacu: de hac apud Suetonium & Martialem. Hæ valles noſtro jam tempore privatorum hortis, poſſeſſionibus, & ædificiis magna ex parte occupantur.

CAP.

CAP. XVI.

De Pontibus Tiberinis.

IN urbe fuerunt curatores alvei & riparum Tiberis, qui non ſolum fluvium coercebant, & ut eſſet ſine ſordibus & impedimento, curabant: verumetiam terminos ſtatuebant, quo uſque habitare in ripa, vel ædificare liceret. Ei muneri aut ſinguli præerant, ut ſub Trajano, T. Julius Ferox: ſub Hadriano, A. Meſſius Ruſticus: quorum termini adhuc extant, & titulos deſcripſit Marlianus. Aut præerant plures, ut ſub Veſpaſiano, C. Calpetanus, Rantius Quirinalis, Valerius Ceſtus: cujus termini titulus refertur in Epigrammatis antiquæ Urbis, & nos ipſi talem invenimus,

C. VIBIUS C. F. RUFUS.
SEX. SOTIDIUS SEX. F. STRABO
LIBUSCID.
C. CALPETANUS CESTA-
CIUS RUFUS.
M. CLAUDIUS M. F. MARCELLUS
L. VISELLIUS C. F. VARRO
CURATOR. RIPARUM ET ALVEI
TIBERIS EX SC. TERMIN.

Ex qua etiam inſcriptione docemur, Curatores alvei & riparum Tiberis, non primum ab Auguſto inſtitutos, ut Suetonius ſcribit: hic enim ex SC. legitur terminus poſitus; in aliis omnibus, quas commemoravi, in initio legitur, EX AUCTORITATE IMP. Pontes Tiberis primum curarunt pontifices, qui Sublicium augurato condiderunt, à quo ponte nomen illis inditum eſt: deinde cenſores, item Viarum curatores, ut pontis Fabricii titulus probat: poſtremo idem munus ſuceperunt nominis & honoris ſui cauſa Imperatores. Antoninus enim Pius, Janiculenſem marmoreum fecit, Gordianus Ceſtum reſtituit, Hadrianus novum de ſuo nomine extruxit.

Mulvius.

Vel (ut in antiquis Saluſtii libris) Molvius: non enim Milvius dicendum eſt, quod & Baſilius Zanchus probat. Ab Æmilio Scauro cenſore factus, ab Auguſto refectus, ad ſecundum ab urbe lapidem, in via Flaminia. Claudianus de Honorii in urbem introitu, cum ſextum conſulatum adeptus eſſet:

Omne, Palatino, qua pons à colle recedit
Mulvius, & quantum licuit conſurgere tectis,
Una replet turbæ facies. ——

Fornices habet magnos quatuor, binos mediocres, totidem parvos.

Ælius.

Ælius.

Ab Ælio Hadriano, prope sepulchri sui molem factus: nunc pons Castelli, vel pons S. Angeli. Fornices quatuor, In eo ponte equites aurati creari hodie solent.

Janiculensis.

Qui & Aurelius, & aliquando Pons ruptus, nunc Pons Sixti; restitutus enim est à Sixto Quarto. Post hunc pontem se flumen dividit, & insulam circum fluit.

Tarpeius.

Qui olim Fabricius, nunc quatuor capitum, è regione theatri Marcelli, insulam in flumine surgentem, quæ Lycaonia dicitur, urbi conjungit. Fornices duos ingentes habet. Horatius II Serm.

Atque à Fabricio non tristem ponte reverti.

Hunc Paulus Tertius corruptum refecit, & restituit.

Esquilinus.

Quondam Cestius, nunc S. Bartholomæi, eandem insulam regioni Transtiberinæ jungit. Forma arcus triumphalis factus, fornice in medio ingenti, & ab utraque parte parvulo.

Palatinus.

Aliquando pons Senatorum, nunc S. Mariæ Ægyptiacæ. Quia aquam ex insula duabus partibus cum impetu defluentem accipit, reliquis major est: fornices habet sex, pilas quinque.

Leguntur & alii duo, qui hodie non sunt: sed qualiacunque eorum in flumine vestigia.

Triumphalis.

Inter Ælium & Aurelium; alio nomine Vaticanus, quod in campum & montem Vaticanum duceret. Hujus pilæ quatuor in Tiberi e regione hospitalis, S. Spiritus ex aqua eminent.

Sublicius.

Qui & pons Herculis, & pons Sacer, & Æmilius a Lampridio, & ab Antonino pons Lepidi dictus, circiter pedes sexcentos à Palatino abest. Fundamenta parum supra navalia in fluminis alveo apparent ex solido marmore: unde aliquando pons Marmoratus dictus est. Omnium primus & antiquissimus, hodie nullus.

CAP. XVII.

De Aquæductibus, quorum vestigia nunc sciuntur extare.

URbi Romæ nullum ex ædificiis opus, aut ad necessitatem melius, aut utilius ad salubritatem fuit, quam tot tantique aquarum ductus, qui quasi amnes perpetui (ut Strabo inquit) eam inundarunt. Aquæ, usibus publicis privatisque servientes, nomen vel à fontibus lacubusque acceperunt: ut Anio vetus, Anio novus, Sabatina, Alsietina, Cymina, Cærulea, quæ & Claudia: vel à deductoribus, ut Martia, Claudia, Appia, Julia, Alexandrina, Antoniniana, Hadriana:

vel

vel casu illud invenerunt, ut Virgo, & Tepula. Spartianus ait, Hadrianum propter gloriæ cupiditatem multos aquæductus, de suo nomine appellasse, inde factum est, ut sæpe diversæ existimentur, quæ una est. Vel propter instauratores, ut Martia dicta est Aufeia, item Trajana : Alsietina, Augusta : Alexandrina, Neroniana : Sabatina, Aureliana. Vel propter fontes, ut Claudia, modo Cærulea, modo Curtia appellatur : Anio novus, aqua Herculana, à rivo Herculano. Aquas tuebantur censores, item ædiles, interdum ipsi consules. Inter principes præcipua aquarum cura fuit Augusto, ejusque socero Agrippæ, præterea Nervæ, Trajano, Hadriano, Vespasianis, & (ut Cassiodorus tradit) Theoderico regi Gothorum. Erant varii earum custodes, & magistratus. Duum viri aquæ ducendæ, & curatores aquarum, leguntur in Alifanis & Formianis inscriptionibus. Agrippa, qui urbem aquis auxerat, ut est apud Suetonium, primus omnium consularis operum suorum, & munerum perpetuus curator fuit. Consularis autem aquarum legitur etiam in formula Hadriani, in qua dignitatum omnium tam civilium, quam militarium nomina sunt descripta. Procuratorem aquarum curatoribus ipsis addidit Claudius. De Mostro Augusti liberto, à commentariis aquarum; & de Clemente servo Castellario, loquuntur inscriptiones Romanæ : & de familia huic muneri destinata, scribit Frontinus, qui de aquæductibus Romanis duos libros edidit. Hæc cum satis videantur, cum de appellatione aquarum, tum de curatione, dicta, rem nostro instituto propiorem aggrediamur.

Virgo.

Restituta à Nicolao Quinto, opere arcuato quadrati lapidis, per Campum Martium nunc fluit; ex agro Tusculano, qui à Lucullo olim possidebatur, deducta per Agrippam, via Collatina, ut Frontinus : & in Prænestinam incidens, ut auctor est Plinius. Ovid. lib. III Fast. ait, eos, qui in campo exercerentur, ea sudorem & pulverem abluisse.

Nunc ubi perfusa est oleo labente juventus,
Defessos artus Virgine tingit aqua.

Et Statius Anienem ad eundem usum cum hac conjungit,

Quæ præceps Anien, atque exceptura natatus
Virgo juvat.

Plinius lib. XXXI. Quantum, inquit, Virgo tactu, tantum præstat Martia haustu : hanc bibenti salubrem, illam natanti & lavanti commodam significans. Virgo cæteris frigidior fuit, quod Ovidius scripsit IIII de Arte. & eaddem liquorem Virgineum poëtice appellat de Ponto, & aquam Virgineam in Fastis.

Sabatina.

Reducta ab Innocentio octavo, à Sabate lacu, via Aurelia : hujus primum deductorem non ponunt, qui de Urbe scripserunt. Ejus nunc duo fontes sunt in Vaticano : alius intra palatium Pontificis cum cochlea, ex qua superne ab omni parte despicere in fontem

licet :

licet: alter in ipso campo. Prudentius poeta Baptisterium describit in Vaticano, cui hanc serviisse aquam, verisimile est. Recentiores modo Aurelianam, a via: modo Septimianam, à porta nominant.

Alsietina.

Restituta ab Hadriano primo, ex lacu Alsietino, via Claudia, deducta ab Augusto. Hujus ductus reliquiæ in naumachia Augusti sub Hortulorum colle cernuntur, sed aqua mox conditur, & in regione Transtiberina prope S. Mariæ templum, publico fonte emissa, vulgi usibus & quibusdam hortis servit.

Martia.

Ex fonte Piconia montium Pelignorum, per Marsos ducens, via Valeria, ad septem milliaria nostratia: inchoata ab Anco Martio, perfecta à Publico ac Quinto Martiis, ut in Coriolano scribit Plutarchus: qui eundem ductum maximum pulcherrimumque vocat, & inter miracula refert Plinius lib. xxxvi; idque confirmat Statius I Sylvarum,

——— Marsque nives & frigora ducens
Martia, præcelsis quarum vaga molibus unda
Crescit, & innumero pendens transmittitur arcu.

Eadem aqua per Funicum lacum transit plumbeis fistulis, ut idem canit,

Teque, per obliquum penitus quæ laberis amnem,
Martia, & audaci transcurris flumina plumbo.

Hoc si vere scribitur à Statio, id quod ars & opera hominum effecit, naturæ attribuit Plinius, qui ait, quod ita in Fucino lacu Martia invehatur, ut in Latio Addua, in Verbano Ticinus. Nisi aliud sit Fucinus lacus Plinio, & Fucinus amnis Statio.

Tacitus & Martialis propter frigus Martiam nationi: Tibullus, Plinius, Frontinus, propter salubritatem potui esse aptam, scribunt. Propertius lib. III.

Non operosa rigat Martius antra liquor. Et,
——— *æternum Martius humor opus.*

Aqua hodie non influit in urbem. Ruinæ ductus, intra & extra portam Esquilinam ingentes cernuntur.

Claudia.

Ex duobus fontibus, Cæruleo & Curtio, qui & Albudinus, via Sublacensi deducta à Claudio, ex Simbrivinis collibus, ut Tacitus inquit XI Annali. Fuit autum Simbrivium flumen in Equicolis, finibus Tiburtnm. Silius VIII.

Quique Anienis habent ripas, gelidoque rigantur
Simbrivio: & Tacitus lib. XIV. Apud Simbrivina stagna, cui Sublaqueum nomen est, licet omnes Taciti codices his in locis sint depravati. Claudiam aquam Vitellius in deliciis habuit, & Alexander Severus jejunus bibit ad unum prope sextarium. In urbe in duas dividebatur partes, unus enim ductus & Cælo in Capitolium, alter in

Aventinum tendebat. Ruinas ejus in Aventino prope S. Priſcam, & prope portam Næviam in muro vidimus, canales ſcilicet ſaxeos tres, alterum alteri impoſitum, tantæ amplitudinis, ut unus à me perrepari poſſet. In Cælio monte, intra monaſterium S. Joannis & Pauli, fons reſtare dicitur, qui perenni aqua abundat: neque procul inde Caſtellum aquæ eſt quadratum, & magna ex parte integrum, forma diverſum ab iis duobus, de quibus mox in thermis dicemus. Hoc ſolum caſtellum non vidi, quo excepto, nullus locus in urbe eſt, de quo Marlianus ſcribit, & ad quem acceſſus patet, quem non inſpexerim.

Julia.

A Julio quodam inventa, ab Agrippa ex variis venis in agro Tuſculano collecta & deducta, via Latina, reſtituta ab Aureliano: ductus in Eſquilino rudera apparent, intra portam & Marii trophæa.

Hactenus de aquis, quæ aut in urbem hodie ex vetuſtis introëunt, ut tres priores: aut quarum aliqua veſtigia cernuntur, ut reliquarum. Locum de aquis in poſtrema ſuorum librorum editione ex Frontino diligentiſſime tractavit Marlianus, optime de nomine Romano meritus.

CAP. XVIII.

De balneis & nymphæis.

BAlneæ in urbe plurimæ fuerunt, cum privatæ in locis diverſis, tum publicæ in ſingulis regionibus. Si quibus autem locis deeſſent, aut corruptæ eſſent, eas antiquitus ædiles ſuis temporibus vel addiderunt, vel reſtituerunt Severus & Gordianus Impp. in primis populares, & lavationum ſtudioſi. Cum enim apud Romanos eſſet lini uſus rarior, ſudorem ſordeſque corporis ſæpius abluere neceſſe habebant. Uſitato more ante cœnam balneis utebantur, item poſt ambulationes, exercitationes, operas; ſæpe neceſſitatis, ut dixi, cauſa, non raro voluptatis: ſiquidem Commodum in die octies, Gordianum juniorem, & Rhemnium grammaticum ſepties laviſſe legimus. Balneas mixtas haberi Severus prohibuit; quod Commodus non vetuerat, Varius permiſerat. Sola & parietes unguentis illinebantur. Idque non ſolum potentioris factitarunt, ſed in privato quoque homine, ac demum in ſervo Plinius notavit: & Seneca aquam argenteis epiſtomiis fundi in plebis fiſtulis, & in libertinorum balneis gemmas calcari indignatur. Valerius & Macrobius Sergium Oratam, hominem voluptuarium, etiam penſiles inſtruiſſe balneas teſtantur.

Balneæ Palatinæ.

A loco ſic dictæ: nam in dorſo Palatini fuerunt, quorum veſtigia viſuntur cum parietinis & fornicibus collapſis. Pavimentum ex duriſſimis

rissimis lapillis quadratis, nigri coloris, tessellarum more compositis.

Neronis.

Intra ipsius domum, marinis & Albulis fluentes aquis, ut inquit Suetonius.

Agrippinæ.

A matre Neronis, in colle Viminali, qua respicit ædem S. Agathæ, Quirinalem versus. Ex iis labri ingentis fragmentum vidimus ex marmore, in via projectum.

Stephani.

In valle collis Hortulorum. Martialis lib. XI.

Octavam poteris servare, lavabimur una:
Scis quam sint Stephani balnea juncta mihi.

Octava igitur hora lavabant, & lavabant quadrante, quod ex Horatio & Juvenale notum est.

Novati.

In Viminali, ubi nunc templum S. Pudentianæ, in quo & canales fuliginosi, & solum thermarum more tessellatum.

Olympiadis.

In eodem monte, prope S. Laurentium in Panisperna, in vineto quodam.

Pauli.

In clivo Quirinali, ubi nunc monasterium est, quod corrupta Romanorum lingua, Bagna Poli, quasi balneæ Pauli, dicitur. Prope has in projecto lapide, formam strigilis & ampullæ vidimus exsculptam. Strigile utebantur ad fricandum, purgandumque corpus: ampulla vase ad abluendas infusione sordes. Strigilis loco chirothecis ex serico factis ad eliciendum sudorem balneatores Italos uti vidimus.

Polycleti.

Prope ludum Æmilii Lepidi gladiatoris: de quibus Helenius & Porphyrio.

Claudii Hetrusci.

Libertini hominis, qui Claudii Imp. dispensator fuit. Locus ignoratur, profusissimus sumptus ex Statio & Martiale cognoscitur, qui eas à marmorum varietate, & ab ædificii magnificentia, & a luminis immissione, & argenti fistulis laudant. Utriusque versus subjiciam. Statius 1 Sylv.

Non huc admissæ Thasos, aut undosa Carystos,
Mœret Onyx longe, queriturque exclusus Ophites:
Sola nitet flavis Nomadum decisa metallis
Purpura, sola cavo Phrygia quam Synnados antro,
Ipse cruentavit maculis lucentibus Atys,
Quasque Tyros niveas secat, & Sidonia, rupes.
Vix locus Eurotæ viridis, cum regula longo
Synnada distinctu variat, non lumina cessant,
Effulgent cameræ, vario fastigia vitro

In species animosque nitent. stupet ipse beatas
Circumplexus opes, & parcius imperat ignis.
Multus ubique dies, radiis ubi culmina totis
Perforat, atque alio sol improbus uritur æstu.
Nil ibi plebeium, nusquam Temesæa notabis
Æra, sed argento felix propellitur unda,
Argentoque cadit, labrisque nitentibus instat,
Delicias mirata suas, & abire recusat.

Martialis VI Epigramm.

Nusquam tam nitidum micat serenum,
Lux ipsa est ibi longior, diesque
Nullo tardius a loco recedit.
Illic Taygeti virent metalla,
Et certant vario decore saxa,
Quæ Phryx & Libys altius cecidit.
Siccos pinguis Onyx anhelat æstus.
Et flamma tenui calent Ophitæ.

Seneca quoque ante hos nimiam balnearum luxuriam exagitavit, lib. XIII. ad Lucilium: cujus verba, quia in superioribus verbosior fuisse videor, non apponam. Martialis & alias nominat, ut Tuccæ, Fausti, Fortunati, Grylli, Lupi, Pontici, Severi, Pæti, Tityi, Tigillini: quibus Lampridius addit Alexandri, & Varii. Victor ultra octingenta se computavit. Agrippa clxx gratuita balnea præbuit, quæ postea in infinitum, ut Plinius tradidit, sunt aucta.

De Nymphæis.

Nymphæa autem quid sint, duplex est opinio. Zonaras Monachus, qui de Græcorum Imperatoribus scripsit, in Leone primo. Nymphæa esse vult palatia publica, in quibus nuptias celebrarent, qui habitarent angustius: eaque ædificiis maximis, in quibus Senatus cogeretur, plerumque adjuncta fuisse: qualia ædificia Romæ erant, curiæ, feracula, basilicæ. Alii nymphæa putant esse loca publica, delectationis gratia facta, in quæ non ut in balneas, aut thermas, propter usum aqua deduceretur, sed gratiæ potissimum atque amœnitatis caussa, & a Nympharum statuis, quibus ornata fuerunt, nomen traxisse. Verum ut de forma aut usu illorum operum non satis constat, ita maxime insignia fuisse, vel illud declarat, quod aut ab ipsis Imperatoribus construerentur, ut de Nymphæo Marci, ambitiosi operis, scribit Ammianus, de Alexandri Victor, de Gordiani Capitolinus: aut ab urbis præfectis, quale Clearchus Valentiniano, & Valente Impp. extruxit Constantinopoli, & Flavius Philippus reparavit Romæ: sed quo tempore, incertum est, nam antiqui tantum marmoris invenimus testimonium.

FLAVIUS PHILIPUS VIR
CLARISSIMUS PRAEFECTUS URBI NYMFIUM SORDIUM SQUALORE FOEDATUM ET MARMORUM NUDITATE DEFORME AD CULTUM PRISTINUM REVOCAVIT.

De

De Nymphæis veteribus nullum ad nostra aut patrum usque tempora duravit. Recens nunc est intra Neapolim, & montem Vesuvium, in villa Leucopetræa, cujus forma est talis. Ædificium ex marmore quadrangulare, ad quod una solummodo porta est aditus, & aliquot gradibus descensus. Ad dextram introeunti ad caput fons est aquæ limpidissimæ, ad cujus quasi custodiam accubat Arethusa nuda ex candidissimo marmore, solum varium & marmoratum, & canali circundatum, in quem aqua ex fonte effluit. Parietes ex conchis lapillisque albi, nigri, flavi, purpurei coloris, quasi maltha illiti: in quibus ex concharum compositione, tanquam ductilibus in pictura, anni menses duodecem, & quatuor virtutes politicæ expressæ. Item raptus Proserpinæ, Pan canens fistula & mulcens gregem. Præterea imagines Nympharum nantium, navigantium, in piscibus ludentium: inter quas Helle insidens arieti, Siren Delphino, Europa Tauro. In eodem ad singula latera, quatuor statuæ marmoreæ, Herculis leoninam gestantis, Panis agnum bajulantis, Genii cani blandientis, Naiadis nudæ. Hæc nobis & de nomine, & de auctoribus, & de forma Nymphæorum, lectione atque inspectione sunt cognita, cupide & libenter audituris, si quis vel nostra probaverit, vel studiosos certiora docuerit.

CAP. XIX.

De Thermis.

IN nullis antiquorum operibus plus luxus & insaniæ cernitur, quam in Thermis Imperatorum, quas in provinciarum modum fuisse extructas, Ammianus conqueritur, & reliquiæ aliquarum adhuc testantur. Hæ aut æstivæ aut hyemales fuerunt, quales uno eodemque in loco extruere instituerat Gordianus: sed morte præventus, non absolvit. Hyemales trans Tiberim Aurelianus fecit. Primum servierunt imperatoribus privatim, postea vulgatæ sunt & populo, & aliquando patebant interdiu, corruptioribus temporibus etiam noctu. Consuetæ more mixtæ & communes non fuerunt, quod tamen malorum principum culpa aliquoties factum est, quorum ne nomina quidem referre libet. Hodie omnia in urbe majora ædificia ab imperiis Thermæ vocantur, propter Diocletianas & Antoninianas: quod sua quoque factum tempore, non dissimulavit Blondus. Ita insignis illa basilica, quam Augustus Caio & Lucio Agrippæ filiis, nepotibus suis, erexit in Esquilino, corrupte appellatur thermæ Gallutii: item Corneliæ gentis domus ruinæ, supra Trajani forum, Corneliorum thermæ vulgo dicuntur. Thermis, ut & aquæductibus, adjuncta erant castella, in quibus aqua conservabatur: & subjecti canales, per quos caduca aut immunda effluerent. Castella, in urbe sunt quatuor. Unum in Cælio, de quo ante dictum est: tum alia duo, prius

ſub thermis Titi, alterum ſub Diocletiani: quartum intra portam Næviam, & theatrum Statilii. Eorum parietes maltha ti ſunt, tam tenaci & dura materia, ut vix ferro frangantur, qualem maltham in pluribus aliis vidimus caſtellis, ut in Prænestino, in portu Oſtienſi, in Monte Miſeno, in piſcinis ſinus Baiani. Thermas ſecundum ætates Imperatorum ponemus, ordinem alium obſervare ſecundum ſitum urbis non poſſumus. Thermarum ſola, ut balnearum, interdum ſternebantur vitro, ut de Agrippæ dictum eſt: frequentius lapide aut cruſtis marmoreis latis, aut teſſellis quadratis varii coloris: nigri, ut balneæ Palatinæ: nigri albique, ut thermæ Commodi & Antonini: quod ipſarum adhuc demonſtrant veſtigia.

Agrippæ.

Quas inter præcipua urbis ornamenta effert Plinius, arcus & pavimenta habuerunt ex vitro: & ipſe vidi eo in loco vitrei fruſtula effodi. Apparent in iis ſedilia, & ſcamnorum ordines. Sitæ ſunt inter templa S. Mariæ rotundæ, & S. Mariæ ſupra Minervam. Martialis lib. v.

Laſſus ut in thermas decima, vel ſerius, hora,
Te ſequar Agrippæ.

Ante has ſignum Apoxyomeni fuit, quod cum Tiberius in cubiculum ſuum tranſtuliſſet, magnis populi in theatro clamoribus reponere coactus eſt: teſtis Plinius.

Neronis.

Quarum fornices & arcus altiſſimi extant prope S. Euſtachium, de iiſdem Martialis libro VII.

——*Quid Nerone pejus?*
Quid thermis melius Neronianis?

Titi.

Quarum ruinæ in vineto S. Petri in vinculis, & juxta S. Martini ædem multæ magnæque viſuntur. Idem lib. III.

Titi-ne thermis, an lavatur, Agrippæ?

Eas breviſſimo temporis ſpatio in tantam amplitudinem extructas, idem prodidit lib. II.

Hic ubi miramur velocia munera, thermas,
Abſtulerat miſeris tecta ſuperbus ager.

Nam in parte domus Neronianæ ſteterunt. Harum thermarum caſtellum, vulgo ciſternas capaces, & ſeptem ſalas nominant. Sunt autem novem ſub terra cameræ fornicatæ, quarum unaquævis portas aliquas habet; & per unam introiens, ſimul per multas, ei oblique oppoſitas uno ordine, oculos inferre potes.

Domitiani.

Inter portas Flumentanam & Pincianam. Cernuntur in parietinis picturæ, ſed vetuſtate abolitæ.

Trajani.

Earum ruinæ in Aventino, in vineto quodam prope templum S. Priſcæ, monſtrantur.

Commodi.

Commodi.

Ad radices Viminalis, in quibus ædificatum nunc eſt S. Pudentianæ templum: in ejuſdem templi pavimento adhuc teſſellæ ſunt, quibus ſola thermarum ſternebantur.

Severi.

In regione Tranſtiberina, prope S. Cryſogonum, & S. Cæciliam.

Antonini.

In latere Aventini, via Ardeatina, ab oriente adjicet templum S. Nerei & Achillei, à ſeptentrione S. Priſcæ, juxta viam S. Balbinæ, è regione S. Sixti. Tanta mole & artificio ſtructæ, ut etiam docti architecti tales fieri poſſe negarent, ſi Spartiano creditur. Videntur earum incredibiles ruinæ, parietinæ ingentes, altiſſimi fornices, pulcherrimæ columnæ ſemiobrutæ, maxima peregrinorum marmorum fruſta projecta, pavimentum teſſellatum albi nigrique coloris, varia & ampla conclavia, & in aliquot locis profunda aqua, ex ductu Appiæ fœdato & obruto fortaſſe adhuc reliqua.

Varii.

In Aventino, circa Trajani & Decii thermas: has, neſcio quo auctore, Syriacas dictas, ſcribit Albertinus; commemorat eas Victor, & repetit Volaterranus.

Alexandri.

Quæ juxta Neronis fuerunt, & habuerunt adjunctum nemus, auctore Lampridio. Alii Neronis & Alexandri eaſdem fuiſſe ſcribunt, quod alter fecerit, alter reſtituerit.

Gordiani.

Leguntur duplices. Priores in monte Eſquilino, quarum ruinæ jacent prope S. Euſebium, via Præneſtina: hæ fuerunt ſumptuoſiſſimæ, adeo ut Capitolinus ſcribat, tales, præter Urbem, nuſquam orbem terrarum habuiſſe. Poſteriores in campo Martio, quas cum Miſitheo extruere voluit: ſed morte præventus, non fecit.

Philipi.

In Eſquilino, poſt Titi thermas, inter ortum atque occaſum.

Decii.

In Aventino, orientem verſus, in quarum ruinis nunc S. Priſcæ templum dicitur extructum.

Aureliani.

Trans Tiberim, infra Janiculum, in ea valle, ubi nunc S. Franciſci templum eſt.

Diocletiani.

In Viminali, quæ bonam montis partem occupant. Earum ruinæ tantæ cernuntur, quantæ maximæ eſſe poſſunt, fornices altiſſimi, columnæ admirabiles, ædificia concamerata ampliſſima, quorum duo pene integra extant, unum prope S. Suſannam, alterum verſus vallem Eſquilinam, ad quod ex interiore parte per xl gradus aſcendi[illegible]ellum harum thermarum, figuræ mathematicæ, quæ ſca-

lenos dicitur, formam habet, pilis quadratis fultum, in prima ſerie pilæ quindecem, totidem in ſecunda, in tertia decem, in quarta quinque. Videntur in iiſdem thermis ambulationes, xyſta, & varia conclavia, ad delectationem facta.

Conſtantini.

In Quirinalis deſcenſu, ſeptentrionem verſus, ex ſententia Læti & Marliani. Earum magnæ ruinæ, ædificia quædam quadrata, quædam rotunda, altiſſimis fornicibus extant: quorum unum per centum fere gradus aſcendimus.

CAP. XX.

De locis Sepulcrorum, & de inſignibus quibuſdam Sepulcris: Item de Sepulcrorum ornamentis, ac ratione conditarum urnarum.

IN urbe olim neminem, more Athenienſis populi, ſepelire legibus licebat, niſi Veſtales, aut Imperatores qui legibus non tenebantur: aut eos quibus id honoris virtutiſque cauſſa tribuebatur, ut Val. Publicolæ, & P. Poſthumio Tuberto contigit, de quibus ſecundo de Legibus Cicero. C. quoque Fabricius juxta Veliam in foro ſepulcrum habuit, de quo Plutarchus: C. Poblicius ſub Capitolio, de quo eodem in loco lapis Tiburtinus: Claudia familia ſub eodem Capitolio, de qua Suetonius. Servio Sulpitio in campo Eſquilino ſepulcrum decrevit Cicero, de quo ipſe in Philippicis. Reliqui aut privatim in agris ſuis condebantur: aut in viis, extra portas, tumulos habebant. Earum viarum nomina, & exempla quædam adjungere placuit.

Flaminia.

In hac fuit ſepulcrum Paridis, pantomimi Ægyptii, Neronis liberti. Martialis lib. XI.

Quiſque Flaminiam teris viator,
Noli nobile præterire marmor.

Item Glauciæ, liberti Melioris. Idem lib. VI.

Hoc ſub marmore Glaucias humatus,
Juncto Flaminiæ jacet ſepulcro.

Et de eodem Statius II Sylv.

——— *Plebs cuncta nefas, & prævia flerunt*
Agmina, Flaminio quæ limite Mulvius agger
Tranſvehit.

Fit ejuſdem viæ mentio in libello Velii Fidi Lubentii, quem cum Antiquitatis aliquot monumentis edidimus.

Salaria.

In hac ſecundum lapidem fuit ſepulcrum magnificentiſſimum Licinii, tonſoris Auguſti, quem Satyrici inſectati ſunt, & Varro hoc Epigrammate, ut eſt apud Cornutum,

Marmoreo

Marmoreo tumulo Licinius jacet: at Cato parvo,
Pompeius nullo: credimus esse deos?

In eadem fuit Marii sepulcrum.

Tiburtina.

In hac intra primum lapidem fuit sepulcrum Pallantis, Claudii Cæsaris liberti, splendidum, & arrogantissimo titulo: de quo libro septimo & octavo Plinius ad Montanum.

Prænestina.

In hac secundo ab urbe lapide sepulcrum fuit Q. Attæ, Togatarum scriptoris.

Lavicana.

In hac sepultus Didius Julianus Imp. ut in ejus vita scribit Ælius Spartianus.

Campana.

De qua supra inscriptionem ex epigrammatis Romanis posuimus.

Latina.

In hac à Phyllide nutrice sepultus Domitianus Imp. & in eandem inferri voluit testamento Sempronius Tucidanus. Ex sepulcro viæ Latinæ hoc epigramma refert Ausonius,

Non nomen, non quo genitus, non unde quid egi,
Mutus in æternum sum cinis, ossa, nihil.
Nec sum, nec fueram, genitus tamen è nihilo sum:
Mitte, nec exprobres singula, talis eris.

Appia.

In hac (ut in Parad. scribit Cicero) Calatini, Scipionum, Serviliorum, Metellorum sepulcra visa sunt, item Ennii & Archiæ poëtarum: de hoc idem Cicero, de illo Ovidius. Pomponii Attici, quinto ab urbe lapide: M. Tullii Ciceronis, sexto. Gallieni Imp. nono. In eadem Thessali, medici Neronis, qui in monumento suo se ἰατρονίκην inscripsit, ut ait Plin. lib. XXIX. Idem lib. X. inquit, in hac via sepulcrum fuisse Corvi avis, qui duorum Æthiopum humeris elatus sit, præcedente tibicine, & prælatis coronis omnium generum. Sulpitius Verulanus, & Raphael Volaterranus, memoriæ prodiderunt; vidisse se integrum mulieris cadaver in hac via effossum, oblitum crasso unguento & incorruptum, quod alter suspicatur fuisse Tulliolæ, M. Tullii Ciceronis filiæ: alter certum nomen non addit, sed ex erutis marmoribus vicinis colligit, ante annos plus mille & trecentos fuisse depositum.

Laurentina.

In qua Augustus Cæsar ancillæ suæ, quinque liberos uno partu enixæ, monumentum fieri jussit: Gellius libr. X. In hac, ut recentiores historici scribunt, ante quingentos annos cadaver effossum est, statura ingenti, & ingenti vulnere in medio pectore, quod Pallantis Evandri filii asserunt fuisse. Hoc cum illi historiæ inseruerint, ne hoc quidem in loco piguit referre.

Ostiensis.

Ostiensis.

De Ostiensi, ut & Cassia, & Numentana, apud scriptores nihil inveni: sed in singulis multæ epitaphiorum inscriptiones effossæ sunt.

Aurelia.

In hac sepultus Galba Imp. in privato monumento, testante Suetonio. In eadem duorum Germanorum militum descripsi Epitaphia, Jonii & Hesperi Batavorum, qui Tib. Claudii Cæsaris corpori custodes fuerunt. In hac ut in Flaminia, Appia, Latina, plurimi loculi & urnæ adhuc videntur.

Dicam nunc de sepulchris insignibus illustrium virorum intra urbem, & de ornamentis quorundam sepulchrorum, quæ passim per urbem visuntur: & ut quasi absolvam hunc locum, addam etiam pauca de modo condendarum urnarum.

SEPULCRUM SCIPIONIS AFRICANI.

Sub pinu ænea honorarium: nam Liternenses hospites de vero se meritò jactant. Dicitur autem Vaticano pinus altissima ænea fuisse erecta Carthaginem versus: de qua una adhuc nux aliquot pedum altitudine, ante basilicam S. Petri cernitur, vetusti operis, & inaurata.

Augusti Cæsaris.

In Mausoleo, quod exemplo Cariæ regis extructum est, in valle Martia inter viam Flaminiam, & ripam Tiberis, post ædem S. Rochi. Moles rotunde ex immensis aggeribus, marmore olim Lunensi incrustata, cum circumjectis silvis, & amplis ambulationibus. Ad latera positi erant bini obelisci. Habuit plura ostia, & loculorum seriem intra aggerem: quorum adhuc vestigia apparent. Ante molem res gestæ Augusti æneis tabulis incisæ erant; quod ipse testamento mandaverat. A tergo locus erat cum porticu. Interior murus reticulato opere variatus, & in media area Augusti tumulus ex niveo marmore ferreis cancellis inclusus: in cujus summo simulacrum ipsius æneum. Intra tumulum & murum interiorem consiti populi. Ut autem Augusti in medio sepulchrum stetit, ita cognatorum & amicorum, cum quibus communem esse illum locum voluit, à lateribus in muro loculi effossi erant. Ovidius ad Liviam:

Vidimus erepta mærentem stirpe sororis.
Luctus, ut in Druso, publicus ille fuit.
Condidit Agrippam, quo te, Marcelle, sepulchro,
Et cepit generos jam locus ille duos.
Vix posito Agrippa, tumuli bene janua clausa est:
Perficit officium funeris ecce soror.
Ecce ter ante datis jactura novissima Drusus,
A magno lacrymas Cæsare quartus habet.

Vide de Mausoleo Strabonem libro quinto.

Cestii.

In Pyramide, proxime portam Ostiensem. Est autem Pyramis moles quadrata, quæ flammmæ more, e lato ad sublimitatem acuminando gracilescit: à qua figura nomen traxisse judico. Alii à genere lapidis Thebaici, apud Ægyptios, quem πυροποικιλον vocant Græci, dictam autumant. Stephanus aliam rationem, fabulæ magis, quam vero, similem, attulit, quam ommitto.

Hadriani.

In mole ad Tiberim, duos habuit ambitus, & duplicem columnarum ordinem. Primus ambitus quadratus ex solidis lapidibus fuit, interior moles oblonga & præalta ex Pario marmore. Ex hoc duplici ambitu arx nunc est extructa, quæ castrum S. Angeli vocatur. Columnæ, quæ circumpositæ fuerunt, ad S. Petri basilicam ornandam translatæ sunt, & earum loco ad arcis munitionem alius murus circumdatus. Fuit olim commune omnium Antoninorum monumentum: id quod inscriptiones ex antiquitate reliquæ testantur.

Severi.

Supra Septizonium, inter Palatinum, & Cælium. De septena columnarum serie, ex qua assurgebat, tres series jam visuntur, una alteri superimposita. Integra series illa est, quæ Eurum spectat, in cujus prima secundaque parte supersunt columnæ octo, in tertia sex. Intra illas columnas moles ex quadratis lapidibus assurgit, quæ in altum pyramidis aut obelisci more, magis magisque contrahitur atque acuitur. Opus sane mirum & magnificum.

Omitto hoc loco molem pyramidalem, quæ prope Hadriani sepulchrum fuit: eam enim diruit Alexander sextus. Item alteram quadratam, supra Mausoleum in via Flaminia, Campum versus, quam demolitus est Paulus Tertius; nam etiamsi constet, sepulchra fuisse, tamen quorum fuerint, incertæ & dissentientes sunt scriptorum opiniones.

In sepulchris autem, quæ hinc inde per urbem in multis locis inveniuntur, varia rerum simulacra sunt exsculpta. Ludorum curulium, quale est ante S. Cosmam & Damianum, in foro Romano, & in S. Joanne Laterano, in quo etiam nocentes objiciuntur bestiis, ut in alio quodam ante S. Mariam in via lata. Equestrium certaminum, ut in S. Maria in ara Cœli, montis Capitolini. Pugnarum, ut in S. Gregorio montis Cœlii. Venationum, ut in S. Laurentio in Lucina, Campi Martii. Triumphorum, ut ante S. Laurentium in Panisperna, montis Viminalis: & triumphi Venerei, in S. Joanne Laterano. Sacrificiorum, ut in S. Maria de Strada, inter Octavii porticum, & Capitolium: & in S. Laurentio extra Esquilinam. Deorum ludentium, ut Apollinis canentis, & Narcissi jaculantis discum, in domo Augustini Maphæi. Satyrorum puellæ dormienti insultantium, in horto S. Marci. Amorum equitantium, in domo Columnensium. Deorum marinorum in piscium caudas desinentium, & vehentium

in eis Nymphas, ut in S. Joanne, & Paulo, in Cœlio, in hortis S. Sabinæ montis Aventini, ante S. Thomam in regione Harenulæ. Plutonis Proserpinam rapientis, in S. Silvestro prope arcum Domitiani, & ante S. Mariam in Cosmedim, prope Velabrum. Ventorum quatuor simulacra, in sepulchro domus Cæsiæ. Laborum Herculis, in domo Sabellorum supra Marcelli theatrum. Servilium suppliciorum, in quibus alii capite plectuntur, alii brachium saxo impositum alio saxo frangitur, in S. Maria in ara Cœli, & ante ædem S. Stephani de Cacabo, in regione Pineæ. In quibusdam sepulchris exsculpta sunt ædificia, partim januis apertis, quibus dicunt animæ æternitatem significari, cujusmodi est in palatio Triumvirum in Capitolio: partim clausis, qua interitus ejus una cum corpore notatur. Tale in Transtiberina regione in domo civis cujusdam cernitur, è regione pontis Fabricii. Hæc è multis retulisse satis sit, quæ non ita accipi volo, quasi unius tantum rei imago aut effigies sit expressa, sed alia multa quæ oratione depingi in hac brevitate nequeunt, spectaculi loco addita. Quod ut intelligatur, duobus exemplis declarabo. In sepulchro sacrificantium in S. Maria de Strada: Mulier in bigis, quæ à rhinocerotibus trahuntur, vehitur: ipsis animalibus duo juvenes insident, & animalia à Faunis naso ducuntur. Præcedit Thuscus fidicen, & viri nudi, & mulierculæ, donec ad aram perveniatur, cui fidicen canens astat, & inter cætera ludicra Faunus cornibus cum hirco concurrit. Item in altero apud S. Silvestrum: Pluto quadrigis vectus, raptam Proserpinam amplexu tenet, exanimi similem, supra quam volitat alatus Cupido, currum præcedit Mercurius alato pileo & caduceo. In altera parte, Ceres bigis invehitur, tractis à serpentibus, pinea tæda, quam sinistra gestat, investigans amissam filiam. Inter hæc, ab utraque parte comite Proserpinæ flores collectos gestant, veste ultra pubem sublata. A lateribus Hercules est, leonis exuvio indutu, dextra tenens clavam, sinistra anum quandam invadens, cui verbera minitatur.

Faciendorum loculorum & urnarum condendarum non admodum diversa fuit ratio, cum in Urbe, tum in reliqua Italia, atque etiam in Græcia ipsa. Marlianus scribit, antra concamerata fossionibus esse aperta, in campo Esquilino quædam unius testudinis, quædam duplicis concamerationis, ita ut ex superiore in inferiorem descenderetur. Pavimenta interdum tessellata, interdum vermiculata: in parietibus circum circa loculos extitisse, singulos cum binis urnis. Alia quoque fuisse antra plurium parietum modico intervallo distantium, in quibus totidem urnas fuisse contiguas, & exiguo post spatio rursus alias, hisce alias impositas: has pauperum, illas divitum fuisse opinatur. Nos in agro viæ Appiæ in profundum fornicem sub terra descendimus, plenum loculorum inter se dispositorum ex ruina autem parietum cognosci vere non potuit. Intra Puteolus & Atellam, at utraque viæ silicibus stratæ latera, plurima sepulchrorum lustravimus monumenta:

menta: quorum ædificia partim quadrata sunt, partim rotunda. Inter cætera pulcherrimum est, quod Arcum Cellæ nominant accolæ. Parietes ejus tetragoni, cum laqueari vermiculato: in cujus medio centauri imago puerum vehentis. Loculi ultra sexaginta: medii amplii fortasse patronorum: laterales contracti libertorum libertarumque. In loculis urnæ singulæ pluresve dispositæ fuerunt, clausæ exterius tabellis marmoreis, in quibus nomina depositorum, de more fuerunt ascripta. Testatur Cyriacus Anconitanus (cujus scriptas quasdam chartis evolvimus) se Patris in Achaia, ad ædem S. Andreæ, antrum subterraneum ex integro solidoque lapide vidisse, miro artificio fabricatum, in quod per gradus sedecim descensus fuerit, quodque sub una testudine ad tetragonos parietes habuerit loculos quatuor decim, in quibus singulis binæ aut ternæ unæ funerales fuerint locatæ; ex quibus testimoniis, non multo diversam Græcorum & Romanorum, ut diximus urnas conjungendi rationem fuisse, est perspicuum.

CAP. XXI.

De iis, quæ nunc in urbe sunt præcipue visenda.

ROmanæ urbis cadaver, omnibus pene Barbaris lacerantibus, ante oculos hodie jacet: sed gloriæ splendor & nominis claritas, doctis pro ea propugnantibus, extingui nunquam poterit. De eo in superioribus, ex Græcis Latinisque scriptoribus multa studiose collegi: & ne quem prolixitate ostenderem, modo quodam retuli. In hoc capite nonnulla etiam alia cognitione digna, quæ a majoribus & præsentibus hominibus ad urbis ornamentum comparata sunt, studiosorum hominum gratia addam. Antiquitatum igitur cupidi habent domum Angeli Colocii, in Campo Martio: Cæliorum, sub Janiculo: Porciorum, in regione Pineæ: Vallarum, ad circum Flaminium: in primis vero Triumvirum, in Capitolio, & hortos Palatinos, in Vaticano. Literarum amantes, instructas bibliothecas. Pontificias tres, unam clausam, cui adjuncta proxime est altera, item clausa: tertiam certis diebus & horis patentem, & Græcis ac Latinis scriptoribus refertam. Præter has aliæ quoque sunt: apud S. Mariam in ara cæli, apud S. Mariam de populo, apud S. Mariam supra Minervam, apud S. Augustinum. Tumuli in urbe clarorum virorum, qui ingeniis sibi decus pepererunt, cum suis epitaphiis, sunt hi:

Blondi Flavii, in ara Cæli, ante introitum templi.

BLONDO FLAVIO FORLIVIENSI, HISTORICO CELEBRI, MULTORUM PONTT. ROMANORUM SECRETARIO FIDELISS. BLONDI QUINQUE FILII PATRI BENE MERENTI UNANIMES POSUERE. VIXIT AN. LXXXV. OBIIT. PR. NON. JUNII. ANNO SALUTIS CHRISTIANAE M. CCCC. LXIII. PIO P. M. SIBI NATISQUE FAVENTE.

Nicolai

Nicolai Vallæ, in ipso templo.

NICOLAO DE VALLE LEG. D. BASILICAE PRINCIPIS APOSTOLORUM CANONICO, LAELIUS IN MEMORIAM DULCISSIMI FILII POSUIT. HIC IN VITA SUA NULLI MALEDIXIT, SINE VOLUNTATE PARENTIS NIHIL FECIT. MAGNO ET EXCELLENTI CLARUIT INGENIO. ILIADEM HOMERI ET HESIODUM HEROICO CARMINE IN LATINUM VERTIT. OBIIT PRIMO JUVENTUTIS FLORE, MAX. OMNIUM MOESTICIA. M. CCCC. LXXIII VI. CAL. OCTOBRIS.

Ibidem Bartholomæi, Petri, Philippi, Andreæ, Vallarum. Item Joan. Jacobi Buccabellæ poetæ, Lud. Grati Margonii mathematici, Seraphini Oductii philosophi, Manilii Britanorii fatorum præscii.

Laurentii Vallæ, in Sancto Johanne Laterano.

LAURENTIO VALLAE HARUM AEDIUM SACRARUM CANONICO, ALPHONSI REGIS ET PONTIFICIS MAXIMI SECRETARIO APOSTOLICOQUE SCRIPTORI. QUI SUA AETATE OMNEIS ELOQUENTIA SUPERAVIT, CATHERINA MATER FILIO PIENTISS. POSUIT. VIXIT ANN. L. OBIIT ANNO DOMINI M. CCCC. LXV. CALENDIS AUGUSTI.

Bessarionis Græci, S. Apostolo, in regione Trivii.

BESSARIO EPISCOPUS TUSCULANUS, S. R. E. CARD. PATRIARCHA CONSTANTINOPOLITANUS NOBILI GRAECIA ORTUS ORIUNDUSQUE SIBI VIVENS POSUIT. ANNO SALUTIS M. CCCC. LXVI.

Τοῦτ' ἐπὶ Βησσαρίων ζῶν ἄνυσε σώματι σῆμα,
Πνεῦμα ἢ ἐκφεύξει πρὸς θεὸν ἀθάνατον.

Lascaris Græci, in templo S. Agathæ, sub Viminali.

Λάσκαρις ἀλλοδαπῇ γαίῃ ἐνικάτθετο, γαίῃ
Οὔτι λίην ξείνῃ ὦ ξένε μεμφόμενος·
Εὕρετο μειλιχίην ἀλλ' ἄχθεται, εἴπερ Ἀχαιοῖς
Οὐδ' ἔτι χοῦν χεύει πατρὶς ἐλευθέριον.

Petri Maris, in S. Laurentio in Damaso.

QUAE SOLA ELOQUII SUPERABAT GLORIA, ET ILLAM PERDIDIMUS, TECUM VIXIT ET INTERIIT.

Hieronymi Aleandri apud S. Chrysogonum, trans Tiberim.

HIERONYMO ALEANDRO MOTTENSI, E COMITIBUS LANDRI IN CARNIA, PETRAE PILOSAE IN ISTRIA ORIUNDO, CARD. BRUNDUSINO: PHIL. ET THEOL. DOCTORI, HEBRAICE, GRAECE, ET LATINE, ALIQUOTQUE ALIARUM LINGUARUM EXOTICARUM ITA EXACTE DOCTO, UT EAS RECTE ET APTE LOQUERETUR AC SCRIBERET, MOX DIVERSIS LEGATIONIBUS PRO SUMMIS PONTT. AD OMNES FERE CHRISTIANOS PRINCIPES, FIDELI-

FIDELITER ET DILIGENTER PERFUNCTO, ET IDEO IN TABEM DELAPSO. QUANTI HUMANAM MISERIAM FECERIT, SEQUENTI DISTICHO, DE SE EDITO TESTATUM POSTERIS RELIQUIT.

Κάτθανεν οὐκ ἄκων, ὅτι παύσομαι ὧν ἐπιμάρπτε
Πολλῶν, ὧνπερ ἰδεῖν ἄλγιον ἦν θανάτου.

ANNO CHRISTI M. D. XLII. AETATIS SUAE LXII. MINUS DIEBUS XIII.

Valerii Cordi, qui sepultus est in S. Maria de anima, regione Parionis.

VALERIO CORDO SIMESUSIO HESSO, EURICII FILIO, MORIBUS, INGENIO, COMITATE, PRAESTANTISS. DOCTORUM OMNIUM ADMIRATIONEM MERITO, QUI NATURAE OBSCURITATEM ET HERBARUM VIRES ADOLESCENS SENIBUS EXPLICAVIT, CUM EXPLERI CUPIDITATE COGNOSCENDI NON POSSET, PERLUSTRATA GERMANIA, ITALIAM ADIIT, VENETIIS IN HONORE HABITUS, ET ROMAM VIX INGRESSUS, SUBITO MORBO INTER AMICORUM LACRYMAS, NON RECUPERABILI STUDIORUM JACTURA OPT. AETATE EXTINGUITUR. ANNO SALUT. M. D. XLIIII. VII. CAL. OCTOB.

INGENIO SUPEREST CORDUS, MENS IPSA RECEPTA EST
CAELO, QUOD TERRAE EST, MAXIMA ROMA TENET.

Tumuli Pontificum æneei sunt, Martini Quinti in S. Joanne Laterano, & Sixti Quarti in S. Petro Vaticano. Marmorei, Sixti Quarti, Piorum Tertii & Secundi, Hadriani Sexti. Sedes pontificiæ sæpius sunt mutatæ. Aliquando fuit apud S. Sabinam in Aventino, item apud S. Mariam majorem, in Esquilino: superioribus annis apud S. Joannem Lateranum, in Cælio: nunc apud S. Petrum in Vaticano. Æstivam habitationem apud S. Marcum in capite viæ latæ exædificavit Paulus Secundus: in quo loco cellis vinariis imposita sunt equorum stabula, stabulis hortus cum proceris cupressis, in horto circumcirca extructæ habitationes. Aliam in Capitolino, supra templum S. Mariæ in Ara cæli extruxit Paulus Tertius, ad cujus templi introitum, ex montis planicie per cxxxix gradus ascenditur, unde de altitudine novi ædificii fieri conjectura potest. Post sedes pontificias nihil admirabilius, laudeque dignius nihil visum est, quam tot per totam Urbem, ut vocantur, xenodochia, non solum publica omnium, ut amplissimum S. Spiritus in Campo Vaticano: S. Salvatoris, in Cælio: S. Mariæ de consolatione, in Velabro: S. Jacobi de Augusta, in valle Martia: verum etiam propria singularum civitatum aut nationum, ut Florentinorum, apud S. Joannem Baptistam;

ſtam : Germanorum, apud S. Mariam de anima : Hiſpanorum, apud S. Barbaram : Gallorum, apud S. Ludovicum : Anglorum, apud S. Thomam : Flandrorum prope turrim Argentinam : Ungarorum, prope S. Petrum : ut alia omittam, in quibus locis infiniti homines gravibus morbis laborantes domeſtici atque externi curantur & aluntur. Cryptæ ſubterraneæ, quæ laterbæ & ſepulcra Chriſtianorum fuerunt, ſævientibus in eos tyrannicis principibus, tribus in locis ſunt. Maxima omnium, apud S. Agnetem, extra portam Viminalem : altera, apud S. Sebaſtianum, extra Campenam : poſtrema apud S. Pancratium, extra Aureliam : plena venerationis loca, quorum D. Hieronymus & Prudentius faciunt mentionem. De domibus nobilium, & purpuratorum palatiis nihil dicam : quæ ut ſplendida & ſumptuoſa ſint, tamen cum veteribus ruinis hæc nova magnificentia vix videtur comparanda.

FINIS.

JUSTI LIPSII

De Vetere Latinorum Scriptura.

TRACTATUS II.

UT de *vetere Scriptura* pauca præmoneam: differt ea ab recentiore, quæ hodie in usu est, vel *quantitate*, vel *qualitate* vel *utraque*.

Quantitas in *Additione* cernitur, vel detractione. *Additio*, aut *Vocalis est*, aut *Consonantis*. *Vocalis* additio, est in diphthongis EI & OU. Sic enim *Eidem Jous*, scripsere; pro *Idem Jus*. Sic *Leitem*, *Leimites*, *Meilitiæ*, *Opeima*, *Inveito*; pro *Litem*, *Limites*, *Militia*, *Opima*, *Invito*. Sic *Eito*, *Deixo*, *Seierit*; pro *Ito*, *Dixi*, *Sierit*. Item *Quei*, *Sei*, *Nei*; pro *Qui*, *Si*, *Ni*. *Nei* tamen etiam pro *Ne* usurparunt interdum, & quidem non raro. Sic *Utei*, *Ubei*, *Ibei*; pro *Uti*, *Ubi*, *Ibi*. Eandem diphthongum usurparunt *in Genitivis singularibus*; ut *Dolei malei*, pro *Doli*, *mali*. Item, *in Nominativis pluralibus*: ut, *Iei*, *Trevirei*, *Decumanei*; pro *Ii*, *Treviri*, *Decumani*. Item, *in Dativis & Ablativis pluralibus*: ut *Ieis*, *Tertieis*, *Ricineis*; pro *Iis*, *Tertiis*, *Riciniis*, Præterea, *in Dativis singularibus tertiæ declinationis*: ut *Mortei*, *Clientii*; pro *Morti*, *Clienti*. Item *Alterei*, *Sibei*; pro *Alteri*, *Sibi*. Et frequentissime *in Nominativis atque Accusativis pluralibus*: ut *Omneis*, *Civeis*, pro *Omnes*, *Cives*.

O vero ad U adjectæ, tum alia sunt exempla, tum hæc, *Jous*, *Jousta*, *Joudicare*; pro *Jus*, *Justa*, *Judicare*. Item *Souo*, *Louci*, *Doucito*; pro *Suo*, *Luci*, *Ducito*. In quibusdam utramque diphthongum conjunxerunt: *Soueis*, *Joudicei*; pro *Suis*, *Judici*. In nonnullis U geminum usurparunt, pro OU seu U: ut *Pluus*, *Secuus*; pro *Plus*, *Secus*. Sic *Comitatuu*, *Arbitratuu*; pro *Comitatu*, *Arbitratu*. Interdum O post U interseruerunt: ut *Queicuomque* pro *Quicunque*.

Consonantes quoque interseruerunt; ut *Quotiens*, *Quotienscunque*, pro *Quoties*, *Quotiescumque*. Sic *Exsigunto*, *Exsercere*, pro *Exigunto*, *Exercere*. Item, *Quips*, *Aliquips*, pro *Quis*, *Aliquis*. In *Jouxsta* vero pro *Juxta*, gemina est insertio, vocalis O & consonantis S.

In quibusdam integram syllabam interseruere: ut *in Postidea*, *Indetestato*, pro *Postea*, *Intestato*. Ejus generis etiam *Ævitas*, videri alicui possit: sed habet illud legitimam *ab ævo* derivationem: in *Ætas* vero, quod post usurpari cœpit, facta est contractio. Quibusdam à fronte Consonantes adjicere; ut *Silis* pro *Lis*. Nonnullis in fine: ut *Ead*, *Tuod*, *Plebed*, *Frauded*; pro *Ea*, *Tuo*, *Plebe*, *Fraude*. Sic in verbis, *Datod*, *Removetod*. *Luitod*, *Estod*; pro *Dato*, *Removeto*, *Luito*, *Esto*: In *Exsercetod* autem geminata est additio; semivocalis S. & mutæ D. Sic in *Leibertated*, additio est Vocalis E. & Consonantis D.

Detractio & ipsa, *vocalis* est aut *consona*. *Vocalis*, detractio est in monophthongis illis: *Fenus*, *Femina*, pro *Fænus*, *Fæmina*. Sic *Heres*, pro *Hæres*. Quamquam eam vocem non ab *hærendo*, sed ab *hero* deductam malunt erudítiores. Detractio etiam quibusdam videtur esse in verbis istis: *Adicito*, *Eicito*, *Deicitor*, *Conicere*, *Subicere*; pro *Adjicio*, *Ejicito*, *Dejicitor*, *Conjicere*, *Subjicere*. Quod si ita est, eadem ratione simplex *Icere*, contractum erit ex *Jacere*. Sic certe *Dis*, contractum ex *Deis*.

E *Consonantibus* etiam, quæ nunc geminari solent, omittebant alteram: ut *Osa*, *Clase*, pro *Ossa*, *Classe*. Item *Aceras*, *Conubia*, pro *Acerras*, *Connubia*: *Pelex*, *Tolito*, *Poluceto*; pro *Pellex*, *Tollito*, *Polluceto*.

Qualitas in commutatione potissimum cernitur. Ea quoque *Vocalis* est, aut *Consonantis Vocalis*: ut E pro I. Sic enim *Leber*, *Addecito* scripsere; pro *Liber*, *Addicito*. Item U pro I, *Æstumata*, pro *Æstimata*. Sic *Optumus*, pro *Optimus*. Eadem ratione *Postumum*, à veteribus dictum volunt eruditi: ut significet non tam eum, qui post inhumatum patrem est editus; quam eum qui postremus patri, seu vivo, seu mortuo, natus est. Item U & Y: ut *Æguptus* pro *Egyptus*, quemadmodum *Mus* quoque & *Sus*, & hujus generis alia, ex Græcis μῦς, σῦς. Frequentius O pro U: ut *Totela*, *Porporea*, pro *Tutela*, *Purpurea*. Sic *Osocapitor*, pro *Usucapitor*. Item *Soper*, *Quomque*, pro *Super*, *Quumque*. Sic in *Nominum* finibus: *Patronos*, *Servos*, pro *Patronus*, *Servus*. *Vitiom*, *Manom*, pro *Vitium*, *Manum*. Nec non in *Verborum* finibus: *Conseront*, *Meritor*, pro *Consernut*, *Moritur*.

In nonnullis geminatur hæc mutatio: ut *Piacolom*, *Fortom*, *Foratos*, pro *Piaculum*, *Furtum*, *Furatus*. In quibusdam hæc cum superiore conjungitur; ut *Leborom*, pro *Liberum*. Sic *Ædebos*, *Compedebos*, *Noctebos*, *Tibicinebos*, *Superstetebos*; pro *Ædibus*, *Compedibus*, *Noctibus*, *Tibicinibus*, *Superstitibus*. Inter-

Interdum diphthongo OE & OI pro U longo usi sunt: ut *Oetier*, *Oesocapio*, *Oesurpatum*; pro *Uti*, *Usucapio*, *Usurpatum*. Sic *Cœratores*, pro *Curatores*. OI pro U positum: in *Oitier*, *Oitile*, & consimilibus. Sic *Moinicipium*, pro *Municipium*.

Consonantes quoque non paucas inter se commutarunt. C pro G frequenti in usu fuit. Sic enim *Cenas* dixerunt pro *Genas*. Sic *Frucem*, *Lece*, pro *Frugem*, *Lege*. Itidemque *Lecere*, *Rocato*, pro *Legere*, *Rogato*. D pro L posuere, cnm *Dingua* dixere pro *Lingua*. Sic *Fedetrio*, pro *Feretrio*.

F pro B usurparunt sequente Vau: ut *Af viro*, pro *ab Viro*. Q pro C: ut *Pequnia*, pro *Pecunia*. S pro R: ut *Asa*, *Nesvo*, *Casmen*, pro *Ara*, *Nervo*, *Carmen*. Sic in Nominum flexionibus: *Majose*, *Minose*, *Arboses*, *Plusa*; pro *Majore*, *Minore*, *Arbores*, *Plura*. Sic *Fenose unciasio*, pro *Fenore unciario*. Item in Verborum flexionibus: *Arasit*, *Vocasit*, *Secuesit*; pro *Ararit*, *Vocarit*, *Secuerit*. T. pro D: ut *Quit* pro *Quid*.

In compositis, finalem Prepositionis consonantem plerumque retinuerunt: ut *Conlegium*, *Improbus*, *Adsignare*, *Adtribuere*. Interdum tamen etiam mutarunt: ut *Obsepito*, *Opturato*, *Optinere*.

In quibusdam geminata est commutatio, altera Consonantis, altera Vocalis; ut *Rocon*, *Flacitiom*, *Prodicos*; pro *Rogum*, *Flagitium*, *Prodigus*. Sic *Acrom*, *Acnom*, *Ticnom*; pro *Agrum*, *Agnum*, *Tignum*. Item *Fidios*, pro *Filius*: *Ofvagolatom*, pro *Obvagulatum*: *Poplicom*, pro *Publicum*: *Quoi*, pro *Cui*: *Ausom*, pro *Aurum*. Sic *Capiomtor*, pro *Capiuntur*.

In quibusdam duarum Vocalium, & unius Consonantis facta mutatio; ut *Contileom*, *Arvorsum*, seu *Asuorsum*, *Plusebos*, pro *Gentilium*, *Adversum*, *Pluribus*. In nonnullis gemina consonantis mutatio est: ut *Arcuesit*, pro *Arguerit*.

Interdum *quantitatis* metaplasmos conjunxerunt, additionem scilicet & detractionem: ut *Jousus*, *Jousit*, pro *Jussus*, *Jussit*. Sic *Poplei*, *Confisei*, *Demiseis*; pro *Populi*, *Confessi*, *Demissis*. Interdum ad *quantitatis* metaplasmum adjunxerunt ~~metaplasmum *qualitatis*~~: ut cum unum idemque vocabulum additione & commutatione transformarunt. Sic enim *Deicundo*, *Addeictos* usurpata; pro *Dicendo*, *Addictus*.

Sic *Maxsumo*, *Proxsumos*, *Fousiosis*, pro *Maximo*, *Proximus*, *Furiosus*. His adde, *Endo*, *Entera*, *Sopera*, *Continoeis*; pro *In*, *Intra*, *Supra*, *Continuis*: In quibus commutatio præcedit: additio sequitur.

Detractionem quoque & commutationem quandoque copularunt, idque commutatione interdum sequente: ut *Adecito*, *Poplos*, *Præsentebos*, pro *Addicito*, *Populus*, *Præsentibus*. Interdum præcedente: ut *Soricito*, pro *Subjicito*. Sic *Olo*, pro *Illo*: Item *Fasis*, pro *Farris*. In quibusdam triplicatus est metaplasmus: ut *Pupilei*, *Præseted*; pro *Pupilli*, *Præsente*.

In *Nominum flexionibus*, præter superiora, notabilem mutationem habent: *Fulminis, Ipsos, Im*; pro *Fulmen, Ipse, Eum*. Sic *Oloe*, pro *Illi*. In *Verbis* quoque varii, præter supradictos, metaplasmi a veteribus facti sunt: ut in verbo substantivo *Escit* & *Escunt*, pro *Erit* & *Erunt*. Itemque *Siet, Sient*, pro *Sit, Sint*: & in futuro perfecto, *Fuat*, pro *Fuerit*. Ejusdem futuri perfecti magna, in aliis quoque verbis est varietas: ut *Vindicit, Verbent, Prohibessit, Occisit*; pro *Vindicarit, Verberarit, Prohibuerit, Occiderit*. Item *Tagit*, pro *Tetigerit*; *Pacit* & *Pacont*, pro *Pepigerit* & *Pepigerint*; *Faxsit, Rupsit*, pro *Fecerit, Ruperit*: *Paret, Cepet*, pro *Pararit, Ceperit*; *Misfeit, Viverit*, pro *Miserit, Vixerit*. Item, *Duit, Adduit, Conduit, Transduit*; pro *Dederit, Addiderit, Condiderit, Tradiderit*. In passiva etiam forma: *Turbassitur*, pro *Turbatum fuerit*: *Fariator, Nancitor*, pro *Fari velit, Nactum fuerit*. Item, *Darier, Leibarier*, pro *Dari, Libari*. Sic *Oetier* & *Oitier*, pro *Uti*.

In *Conjunctis vocibus* facta interdum separatio; ut *En do, In do, In du*; pro *Endo, Indo, Indu*. Sic *Indo testato*, pro *Intestato*; *Endo ponito, Endo jacito, Endo manos jactio*; pro *Imponito, Injicito, Manus injectio*. Item *Queicuomque* pro *Quicumque*: & consimilia. Contra interdum conjunguntur, quæ alioqui separari solent: ut *Stato leberum*, pro *Statu liberum*.

Finis Tractatus II. De vetere Latinorum scripturâ.

JUSTI

JUSTI LIPSII

De Re Pecuniaria veterum Romanorum.

TRACTATUS III.

CAP. I.

Pecunia qua materia & quando primum signata.

ROmani primum usi fuerunt quadruplici moneta nempe, *Plumbea, Ærea, Argentea, Aurea.*

Plumbeæ usus quando cæperit, incertum.

Æs initio habuerunt rude, pondere distinctum, non nota. Primus Servius Tullius signavit æs, idque notat pecudis; unde pecunia dicta est: author Plinius, *lib.* 18. *cap.* 3. & *lib.* 33. *cap.* 3. Varro, *lib.* 2. *de re Rust. cap.* 1. & Plutarchus *in Publicola.* Quod tamen alii Jano tribuunt, ut Athenæus *lib.* 15. & Macrobius *lib.* 1. *Sat.* Quidam Saturno, ut Eutropius *lib.* 1. Verior tamen Plinii opinio: nec repugnat, quod in priscis nummis parte altera Jani effigies, altera navis expressa cernebatur, cum hanc notam Servius ipse, vel posteri usurpare potuerint bonæ memoriæ causa. Facit huc Ovidii 1 Fastorum.

At bona posteritas puppim signavit in ære
Hospitis adventum testificata Dei.

Argentum autem signatum est anno Urb. Cond. 484. F. Pictore, & Q. Oculeio Coss. ut Plinius voluit, quinque annis ante Punicum bellum: sive M. Æmilio Paulo, & Fulvio nobiliore Coss. ut Eutro. *lib.* 2. 15. annis posterius.

Aurum signatum anno 62. post argentum C. Claudio Nerone, & M. Livio Salinatore Coss.

nummi æreì nomina sunt ista.	As. Quadrans. Sextans. Triens.
Aurei nummi	Aureus.
Argentei hæc	Denarius. Quinarius. Sestertius.

CAP. II.

De Asse, Quadrante, Sextante, Triente.

ASses ex ære librales erant, & appendi plurimum solent, non numerari. Ex quo ritu & nunc in rationibus pecuniariis Expensum ferre, & Dependere, & Impendium dicimus. Inde æs grave appellatur, & pœna æris gravis: Æris cujus legitimo ponderi nihil deesset. Livius lib. 4. *Indicibus*, inquit, *dena millia æris gravis, quæ tunc divitiæ habebantur, datæ.* Et lib. 5. *Denis millibus æris gravis nos condemnavit.* Hæc primis temporibus. Postea tamen bello Punico secundo, pressus populus Romanus ære alieno, ex singulis assibus libralibus, Sextantarios fecit: id est, Ex uno asse, senos, qui tamen tantundem valerent, *Plin. lib.* 33. *cap.* 3. Sed & mox tertio bello Punico, Unciales facti. Postremo lege Papyria, Semiunciales. Assem libralem, ut dixi, primus signavit Servius. Tarquinius superbus cæteras Assis partes, ut Quadrantem, Trientem, Sextantem; ut colligimus ex Fragmento Festi in voce *Ratitum.* Quadrans (sive Triuncis) est quarta pars Assis, plurimum quidem ære cusus sub Imperatoribus, tum & plumbo. Martial. lib. 10. Epigr. 74.

Centum merebor plumbeos die toto.

id est, Quadrantes. Idem *lib.* 1. nigram monetam appellat plumbeam, istos ipsos quadrantes. Et fortassis antiquitus, quia Plautus in jocis aliquoties *nummuli plumbei* mentionem facit. Olim hæc merces legitima transvectionis erat, unde & quadrantes, *Ratiti* dicti, Festus & Varr. *lib.* 4. *de ling. Latin.* Postea præmium balneatoris. Horat. lib. 1. Sat.

—— *Dum tu quadrante lavatum Rex ibis.*

Et Cicero *pro Cæl.* Plutarchus in Cic. *Sextantes & Trientes à partibus assis dicti.* Sextantis meminit Livius lib. 2. *Plebs*, inquit, *Agrippam extulit, sextantibus collatis.* Trientis, Festus, *in Ratito.* Valet autem As, ad æstimationem nostram, nummulos plus octo: nummulos appello, sive denarios, qui 24. apud Belgas stuferum

ſertium faciunt. Quadrans valet nummulos paulo amplius duos. Quadrantes 4. Aſſem conſtituunt. Decem ſeſtertium unum. Quadraginta denarium. Simile judicium de Sextante & Triente.

CAP. III.

De Denario, Quinario, Seſtertio.

ARgentei nummi tres ſpecies, quas dixi, omnes Varro *lib.* 5. *de ling. Lat.* & *Plin. lib.* 33. *cap.* 3. complexus eſt. *Denarii*, inquit, *dicti qui dena æris*, id eſt, 13. *Aſſes valebant*: *Quinarii, qui quinos*: *Seſtertius, qui Semitertium.*

Denarium pondere & æſtimatione partem drachmæ Atticæ conſenſu, faciunt antiqui. Notæ ejus veteres R. omnes Galeatæ, imago Caſtoris in equis, bigæ & quadrigæ. Unde bigati & quadrigati nomen pro Denario frequens, ut Livius: lib. 22. *Pacti in capita Romana tricenis nummis quadrigatis.* Tacitus de morib. Germ. *Pecuniam probant veterem & diu notatam, Serratos, Bigatoſque.* Sed cum argentum ſimpliciter dicimus, intelligimus Denarium. Denarii dimidius, quinarius dictus; ideoque vulgo Victoriatus, quod victoriæ effigies in eo expreſſa ſit. Meminit hujus Cicero, *pro Fonteio* Livius, *lib.* 41. & Plinius *lib.* 33. *c.* 3. Seſtertius, denarii quarta pars eſt, idem alio nomine κατ' ἐξοχὴν Nummus, quia frequentiſſimus ejus in rationibus uſus. De hoc Vitruvius, lib. 3. cap. 1. *In denario*, inquit, *denos aſſes æreos conſtituerunt, & quartam ejus partem de duobus aſſibus, & tertio ſemiſſe, Seſtertium vocarunt.* Æſtimatio denarii hodie eadem fere, quæ Regalis Hiſpanienſis, id eſt, Stuferi 3. cum dimidio. Quinarii & Seſtertii pro proportione. Denarium nota ſtellulæ (*) in monumentis vetuſtis. Seſtertii nota ſic, (LLS: XHS: XSS:) At libralis eſt libræ nota, Quia ergo Seſtertius duos aſſes continet, & dimidium duo.

CAP. IV.

De Nummo aureo, ejusque æstimatione itemque de usu nummorum promiscuo.

AUreus sive Solidus (quem variis nominibus appellatum ab Imperatoribus invenio, *Flamium, Antonianum Valerianum*) valuit denarios apud Romanos 25. id est, *Coronatos nostrates binos*. Id clarum tum ex pondere, tum ex monumento Dionysii, *lib.* 55. cui accedit Suetonius, *in Otto. cap.* 4. qui ait, *Otthonem semper aureos singulos coborti excubanti dare solitum*. Quam eandem rem Tacitus *lib.* 17. narrans, *centenos nummos* dixit. Allusit ad hunc numerum egregie Martialis *lib.* 10. *epigr.* 24. in hunc modum:

Sed vitæ tribus aureis pactus.

Cum intelligat aureos circiter 70. Caute legendus T. Livii locus, libr. 28. *Pro argento*, inquit, *si aureum dare, mallent, dare conveni, dum pro argenteis decem aureus unus valeret*. De proportione enim auri ad argentum loquitur, quæ tunc decima erat, ut nunc vel hodie duodecima. Notæ aurei nummi, eædem fere quæ argentei, nisi quod crescente ambitione, Triumviri monetales, aut ii qui monetæ cudendæ præerant, sæpe gentis suæ insignia, aut honores, aut sacerdotia insculpebant, Sæpe & Imperatorum triumphos, res gestas & varia emblemata, quæ res quibusdam suspicionem fecit, nummos qui extant, honoris tantum causa excusos fuisse, & non publici usus, falso; quanquam non negaverim vetusta numismata & tunc quoque in precio fuisse, & interdum loco mercis divendita, qua de re Ulpianum lege, *lib.* 9.

De Ratione per singulas species supputandi.

RAtio supputandi apud Romanos usitatissima per asses & Sestertios: frequentissima per Sestertios, & illa intricatior; non tam sæpe per asses, & hæc facilior. De illa primo dicam. Per asses aut expresso nomine, aut ratio numerant. Expresso ut Livius, lib. 28. *Militibus quinquagenos senos asses*, id est 21. aureos *divisit*. Tacito: ut idem, lib. 33. *Tritici decies centum millia binis æris populo diviserunt*, quod est binis assibus æris. Sic centenos æris, & mille æris, & dena millia æris apud Livium frequentissime legimus, & ubique intelligendi asses.

Tabula

Tabula per asses supputandi hæc sit.

Terni æris	Valent	1 stuferum, & $\frac{1}{4}$
Deni æris		3 stuferos, cum $\frac{1}{2}$
Centeni æris		35 stuferos.
Centum 25. æris		51 coronatum nostratem.
Dena millia æris		100 coronatos.
Mille æris		10 coronatos Budæo.

Possunt & hæc nomina latine efferri per Philippicos denos, centenos asses, & sic deinceps.

DE SESTERTIIS.

PER Sestertios ut numeremus, duo præcipienda sunt: primum, discrimen esse inter Sestertios & Sestertia: ita, ut illo numero, nempe masculino, singuli nummi Sestertii: isto, nempe genere neutro, singula millia significentur, idque indubitatum perpetuumque est.

Utriusque discriminis tabula sit hæc.

Duo sestertii	Valent	Medium Regalem.
Duo sestertia		50 coronatos.
10 sestertii		2 Regales cum $\frac{1}{2}$
10 sestertia		250 coronatos.
20 sestertii		5 Denarios.
20 sestertia		500 coronatos regales.
40 sestertii		10 coronatos Budæo.
40 sestertia		1000 coronat.
50 sestertii		12 Regales cum $\frac{1}{2}$
50 sestertia.		1250 coronatos.
Centeni, vel um, sestertii		2 coronatos cum $\frac{1}{2}$
Centum sestertia		500 coronat.
200 sestertii		5 coronatos.
200 sestertia		5000 coronatos.
400 sestertii		10 coronatos.
400 sestertia		10000 coronatos.
1000 sestertii		25 coronatos.
1000 sestertia		25000 coronat.

Census Senatorum.

Alterum

Alterum præceptum eſt, quemadmodum cum à ſeſtertiis ad ſeſtertia fit tranſitus, numerus millies multiplicatur: ſic cum per adverbia demum enunciamus ſeſtertia ſingula centuplicata creſcunt. Ut cum dico decies ſeſtertium, intelligo decies centena ſeſtertia, ſive decies centena millia ſeſtertia. Ergo decies eſtertium, & mille ſeſtertium idem valent. Diſerte Plutarchus in Antonio.

Tabula adverbiorum brevis hæc ſit.

Decies	Seſtertium valent	25000 coronatos.
Qindecies		37500 coronatos.
Vicies		50000 coronatos.
Tricies		75000 coronatos.
Quadragies		100000 coronatos, Tonn auri.
Quinquagies		125000 coronat.
Centies		250000 coronatos.
Quadringenties		1000000 coronatos. *
Millies		2500000 coronatos. **
Decies millies		25. viginti quinque milliones.

* *id eſt, decies centena millia coronatorum.*
** *id eſt, vicies, quinquagies centena millia coronator.*

Hæc eſt ſumma rei nummariæ veterum Romanorum, quæ in hiſtoriis diligenter obſervanda eſt.

Finis Tractatus de Pecunia Romanorum.

JUSTI

JUSTI LIPSII

De Nominibus Romanorum.

TRACTATUS. IV.

Compendiose conscriptus.

NOminandi ratio intricata apud Romanos; quam ut distincte explicem, dicam quatuor capita. Primum ingenuorum hominum nominibus. Secundo, de libertorum & servorum. Tertio, de Fœminarum. Quarto, de Adoptivorum. Ingenuorum nomina Romæ aliter quam apud Græcos & Barbaros. Plerumque tria nomina: Prænomen, Nomen, Cognomen. Quo alludens Juvenalis, Sat. 5.

——*Si quid tentaveris unquam*
Hiscere, tanquam habeas tria nomina——

Ausonius, in Grypho.
Tres equitum turmæ, tria nomina nobiliorum.

CAP. I.

PRænomen est, quod nominibus Gentiliciis præponitur, discriminis causa inter fratres & Gentiles inventum, quod haud dubie respondet nostris nominibus, quæ appellamus, ut Petrus, Johannes, Jacobus, &c. Sed Prænomen natum est post nomen; & ideo servatum Romanis, ut nono quovis die qui Lustricus dicebatur, nomina imponerentur pueris. Prænomina (ut Epitoma Valerii ex Scævola refert) non ante diem togæ virilis; id quod in Ciceronis epistolis observare est, ubi Ciceronis pueri sine prænomine semper dicuntur. Post togam sumptam, Marcus filius, Quinctus filius. In imponendo servabunt, ut plerumque filius major natu prænomen ferret patris; secundus avi vel patruorum. Prænomina ætate sua

Varro

Varro scribit circa triginta fuisse, è quibus usitatissi-
ma 18. Quorum illa unica litera notantur; ut hæc
A undecem. A. id est, *Aulus*, sic dictus, quasi Diis alen-
C tib. nasceretur. C. id est, *Catus*, a gaudio parentum.
DK D. id est, *Decimus*, à numero nascendi. K. id est, *Cæso*,
qui ex utero matris cæsus esset, Prænomen gentis Fa-
L biæ. L. id est, *Lucius*, sive à Lucumone Hetrusco, sive
M quod prima luce natus esset. M. id est, *Marcus*, qui na-
tus mense Martio, ut Valerius vult, vel potius
M nomen Oscum, ut Mamers & Mamercus. M.
Manius, vel qui mane natus esset, vel à Sabina lingua,
N qui manum dicebant bonum. N. id est, *Nume-*
P *rius*, omnis causa à numeris dictus. P. id est, *Publius*,
Q vel à pube, quod gratus populo. Q. id est, *Quinctus*,
T ab ordine nascendi. T. id est, *Titus*, vox Sabina, vel ut
alii volunt, a tuendo, quod patriam tuerentur. Dua-
AP bus literis scribuntur quatuor. AP. ut *Appius*, Sabina
CN vox ab Atta Clauso. CN. *Cneus*, à nævo corporis
SP quasi nævus. SP. *Spurius*, a causa pudenda, quia Sabinis
spurium, dicta pars, qua fœmina est. Isidorus, *lib.* 4.
Etymol. & Plutarchus, *in causis.* Alias dicebatur *Favon-*
TI *ius.* TI. *Tiberius*, qui ad Tiberim natus. Tribus literis
MAM hæc tria. MAM. id est, *Mamercus*, prænomen gentis
Æmiliæ, dictum à Mamerte, quod Osca lingua Martem
SER significat, authore Festo. SER. id est, *Servius*, à Ser-
vo, quod qui primus id prænomen tulit in servitute
SEX natus esset. SEX. id est, *Sextus*, ab ordine nascendi. Et
hæc de 18. prænominibus, quæ maxime sunt in usu.
Sunt alia in veteri historia, aliquoties obvia, ut *Anchus*, *Arvus*, *Lar*, *Hostius*, *&c.*

DE NOMINE.

NOmen dicimus, quod perpetuum est in aliqua gente, & Prænomen statim sequitur. Respondet Patronymicis Græcorum, notante Prisciano, *libr.* 2. Et ut illi *Æacidas* ab Æaco, *Thesidas*, a Theseo: sic Romani *Julios* ab Iulo: *Antonios* ab Antonio dixerunt. Itaque res digna nota, exceptis admodum paucis, omnia nomina gentilicia apud Romanos in *jus* desinere. Pauca quæ excipio sunt, *Peducæus*, *Poppæus*, & fortassis *Norbanus*, quanquam verius sit hujus familiam ignorari, quam ut Norbanus fuerit nomen. Nomina omnia gentilicia ducta vel ab hominibus, vel ab animantibus, vel à locis, vel ab eventu.

DE COGNOMINE.

COgnomen eſt, quod familiarum diſcernendarum cauſa tertio loco poſt nomen ponitur, id repertum a variis cauſis, quas omitto. Hoc noto, cognomina hæreditaria fuiſſe, ſed ita, ut mutari à poſteris, & nova ſumi fas fuerit. Noto hoc amplius, præter cognomen, & tribum ſolere addi ſemper auferendi caſu, ut C. Verres Romulea; & Servius, Sulpitius Lemonia.

CAP. II.

De Libertorum & Servorum nominibus.

QUÆ dixi, pertinet ad ingenuos, addam de ſervis & libertis. Servi antiquitus non à ſuo nomine, ſed Prænomine domini vocabant; ut Lucipor, Publipor, Marcipor, id eſt, Lucii Puer, Publii puer, Marci puer. Quintilian *l.* 1. & Plin. *lib.* 33. *c.* 1. Exolevit ille mos & obtinuit, ut uno ſaltem nomine, ſeu Græco ſeu Latino vocarentur. Et plerumque à patria, ut Davus, Syrus, Geta, iidem manumiſſi, in nomina Dominorum veniebant, cognomine excepto; loco cognominis vetus ſuum nomen retinebant; ut Marcus, Tullius, Tyro, Ciceronis libertus. Marcus Lucius Antonius. Quod idem ſocii & extranei ſervabant, ut cujus beneficio in civitatem Romam veniſſent, nomen ejus ferrent, & prænomen, & apud Ciceronem exempla, & hiſtoricos obvia.

CAP. III.

De nominibus fœminarum.

VEtuſtis temporibus & fœminas prænomina frequentaſſe, author eſt Varro, unde Caja, Cecilia, Lucia, Volumnina. Progreſſu temporis conſtat non uſas, ſed tantum gentis nomine, vel integro, vel molliter inflexo appellatas, nec cognomen uſurparunt, ſed diſcriminis cauſa, ubi duæ ſorores eſſent, ſervatum, ut altera Major diceretur, altera Minor. Ubi plures, Prima, Secunda, Tertia, Quarta, Quinta. Vel per diminutionem Secundilla, Quartilla, Quintilla.

CAP.

CAP. IV.

De Nomine adoptivorum.

NEC aliud in nomenclatura Romana intricatum, præter adoptionem, per quam qui alterius familiæ fiebant, in omnia nomina transibant adoptantis, in Prænomen, Nomen & Cognomen; tantum ut priscum genus testarentur. In fine cognomen addebant, aut nomen; si cognomen, integrum servabant; si nomen; mutatum & inflexum. Exemplum servati cognominis, Marco Junio Bruto, quem adoptavit Q. Servilius, Cepio, Agalo: dictus igitur post adoptionem, C. Servilius, Cepio, Agalo, Brutus. Exemplum inflexi nominis, in C. Octavio, qui quoad adoptionem dictus C. Julius Cæsar Octavianus.

Finis Tractatus IV. de Nominibus Romanorum.

JUSTI LIPSII,

De Ritu Conviviorum apud Romanos.

TRACTATUS V.

CONvivandi mos apud Romanos, ut illustretur, tria sunt dicenda, Tempus, Locus, Modus. Ad tempus pertinet, quoties sumpserint cibum, & quando. Antiqui, si Festo credimus, ter sumpsisse cibum in die videntur; unde jentaculum sive prandiculum, cibus qui mane; prandium sive merenda, qui medio die; cœna sive Vesperna, qui sub Vesperam capiebatur. Si Nonio Marcello, quater, qui merendam a prandio distinguit, & post meridiem collocat. Sed equidem nomina potius ista usitata Romanis crediderim, præsertim Comœdiis Palliatis, quam rem ipsam. Bis enim tantum sumpsisse cibum videntur, prandio videlicet & cœno. Excipio pueros, & si qui erant dissoluti luxus: quanquam & prandia ipsa modica erant, & semper solitaria sine convivis. Salustius, ad C. Cæsarem de Repub. ordinanda. *Oratione*, id est, *asperis verbis*, notat eos; *quibus bis die*, inquit, *ventrem onerare, nullam noctem sine scorto quiescere mos erat.* Et Suetonius, *in Vitellio, cap.* 53. tanquam rem summæ luxuriæ observat, quod epulas trifariam semper, interdum quadrifariam dispartiebat, in jentacula, prandia & cœnas, commessationesque. Sed ne Celsus *lib.* 1. *cap.* 3. quidem prandium ut ordinarium agnoscit, & tenue id fuisse indicat his verbis. *Hyeme*, inquit *si quis prandet, utilius est exiguum aliquid, & siccum sine carne, sive potione sumere: Æstate vero & potione & cibo corpus sæpius eget. Ideo prandere quoque commodum est.* Cœna igitur præcipua convivii pars, cujus hora eadem fere quæ moribus nostris merendæ, scilic. hora nona. Cic. Epist. ult. lib. 4. ad Famil. *Accubueram*, inquit, *hora nona, cum ad te exemplum harum literarum, &c.*

TEMPUS

Martial.

Imperat exstructos frangere nona thoros.

A qua

A qua hora cœnæ, dictam putant Grammatici annonam, res edules accommodatas ad nonam horam. Quanquam homines frugales sæpe expectabant occasum solis: contra, homines voluptuarii, horam nonam præcipiebant: ut illa apud Juvenalem, *Exul ab octava Marius bibit.* Quæ convivia festinata, nisi fallor, antiqui tempestiva dixerunt, tanquam nimium tempori inita, & in vitio ponebant, ut Cicero, *pro Muræn. pro Arch. lib.* 4. *Ad Attic.* & Seneca, *libr.* 2. *de tranq. cap.* 28. Sicut intempestiva illa, quæ protrahebantur in multam noctem, aut usque ad diem vel lucem. Hæc de tempore. Locus, in quo convivabant,

LOCUS. triclinium dictus, scilicet à numero lectorum, qui circa mensam vulgo sternebantur; etiam biclininm apud Plautum est, & ἑξακλίνιον in Athenæo,& Martiali legimus. *Et testitudineum mensus quater* ἑξακλίνο". *Ingemuit citro non satis esse suo.* Ubi tale ἑξακλίνον pro mensis ipsis positum videtur, ut triclinia apud Plinium, *lib.* 34, *cap.* 2. & 3. Pro triclinio posterior ætas cœpit usurpare Sigma, cujus forma videtur fuisse ἡμικύκλε, aut lunatæ testudinis Martial.

Accipe lunata scriptum testudine sigma.

Et alibi.

——Septem sigma capit, sex sumus, adde lupum.

Lampridius, in Heliogab. *Sigma de croco stravit cùm summos viros invitasset ad prandium.* Sydonyus.

Mos erat his Dominis hybernum sigma locare.

Errat Brodæus *lib.* 3. *Miscel. cap.* 4. qui mensam ipsam eo nomine dictam censet. Sed & locus in quo cœnabant, Diæta dictus est, διαιτάομαι, id est, vivo sive versor; vel ut Varro vult, quod in ea per diem edatur. Sueton. *in Claudio, cap.* 10. & Jurisconsulti sæpe, ut L. 43. de legat. L. penult. de donat inter vir. & uxor. Plinius in Epistolis, Lampridius. Zetam vel Zeteculam appellant, pro Diæta, more Græco scil. apud quos Dores ζ pro δι usurpant, ut ζαβάλλω pro διαβάλλω. Nec plura de loco: transeo

MODUS. ad modum. Romani initio sedebant ad mensam. Servius ad illud Virgilii.

Perpetuis soliti Patres considere mensis.

Majores, inquit, *nostri sedentes epulabantur, quem modum habuerunt à Lacombus & Cretensibus, ut Varro* in libro de vita populi Romani. *docet*: & similia Isidorus *l.* 20. *cap.* 2. qui idem apud Græcos antiquitus fuisse, ex variis Homeri locis apparet, & Athenæo *lib.* 8. *cap.* 13. Sed paulatim crescentibus deliciis exolevit sessio; & in ejus locum successit accubitus, non solum apud Græcos & Romanos, sed etiam Afros & Barbaros, discimus ex Livio, *lib.* 20. de Scipione Asdrubale, cœnantibus apud Sypacem. Porro forma accumbendi, præsentari sic potest. In cœnaculo mensa collocabatur rotunda; magni-

magnitudine circiter quatuor pedum, raro amplior: *ex Plinio lib. 13. cap. 15.* circa eam tres lecti, aulæis, purpura aut alia veste stragula intecti, pro opibus cujusque. In eos convivæ recumbebant, sed prius positis calceis, ne lectum conspurcarent, quos iterum sumebant abituri. Hinc illa apud Plinium in Epistol. *Quam multi, cum lector aut Comœdus introductus est, calceos poscunt, ut non minori cum tædio cubant?* Martialis.

Depositis soleis, ad fertur protinus ingens
Inter lactucas, oxygarumque liber.

In uno autem lecto terni aut quaterni jacebant. Hor.

Sæpe tribus lectis videas cœnare quaternos.

Si plures, sordidum id habebatur & Plebejum, Cicero, in Pison. *Nihil apud hunc lautum, nihil elegans.* Græci quini in lectulis stipati. Ita fiebat, ut ex una communi mensa raro plures quam 2. vescerentur; unde illa δωδεκάθεος cœna apud Sueton. *in Aug. c. 70.* Imo viri principes aut honestiores in uno lecto soli aut bini accumbebant. Et notat in Trajanum quasi novum Xiphilinus, quod sæpe quartus discumberet, id est, cum tribus aliis in uno lecto. Quod si plures quam 12. convivæ vocarentur, plures mensas & triclinia sterni moris erat, ut apparet ex Macrobio; *lib. 3. Satur. cap. 13.* & ex Plutarch. *in Cæsare*, qui ait: *Populum Romanum ab eo tricliniorum viginti duobus millibus exceptum.* Modus accubitus hic erat: jacebant reclinata superiore parte corporis in cubitum sinistrum, inferiori in longum porrecta & jacente, capite leviter erecto, dorso pulvillis modice suffulto. Et primus quidem discumbebat ad caput lecti, cujus pedes porrigebantur juxta dorsum secundi. Secundus pulvillo interjecto, decumbebat ad umbilicum primi, pedes extendebantur ad dorsum tertii, & sic deinceps. Ex hoc decubitu manavit summus locus, medius & imus, quorum frequens mentio apud Historicos & Poetas. Dignitatem si quærimus, dignissimus inter lectos medius: & ein eodem lecto, loco, item medius: Inde Virgilius 1. Æneidos.

—— *Aulæis jam se regina superbis.*
Aurea composuit sponda, mediamque locavit.

Seneca *lib. 2. de tranq. vit. cap. 10.* eleganter. *Sermonem meum irrisit, aut palam aversatus est, & non in medio me loco, sed imo locavit.* Et aliæ hujusmodi notæ. Post hunc honoratissimus locus summus: vilissimus, imus, & hæc quidem accumbendi ratio vulgata inter omnes fuit. Excipio pueros & servos. Pueri enim ad fulcra lectorum sedentes, vescebantur. Tacitus de more Britan *lib. 13. Ann.* Suetonius in Claud. cap. 32. & in Aug. c. 64. *Servi in subselliis juxta lectum.* Plautus in Stichio. *Potius in subselliis civium accipiemur, quam in lecto.* Et in Persa. *Scis tu me esse imi subsellii virum?* Donatus in vita Terent. *Jussus*, inquit, *Cæcilio recitare: ad cœnandum cum venisset, quod erat contemptiore vestitu subsell*

juxta lectulum residens, legisse dicitur. Post paucos vero versus, invitatus ut accumberet, cœnasse una. Seneca, *lib.* 2. *de tranq. vit. cap.* 15. Sed & Fœminæ antiquitus vetabantur accumbere. Valer. Max. lib. 2. cap. 1. *Fœminæ*, inquit, *cum viris cubantibus sedentes convivabant. Quæ consuetudo ex hominum convictu ad Deos penetravit.* Isidorus, *lib.* 20. *cap.* 1. Qui tamen mos jam ante Ciceronis tempora exolevit, ut apparet ex libro quinto, ad Attic. *Epist.* 20. Ex Ovidio, Propertio & Poëtis. Postremo etiam, viri in luctu aut militia abstinebant accumbere, Plutarchus *in Cato. Uticens.* observat, illum post bellum civile, nunquam nisi sedentem cœnasse. Et Spartianus *in Hadrian.* author est, illum triclinia omnia abstulisse e castris. Etiam Cæsar, *lib.* 3. *de bel. civil.* luxuriæ notam interpretatur quod in castris Pompei triclinia strata reperisset. Hæc de accubitu Romanorum. Addo corolarii loco, eundem accumbendi morem in Judæa fuisse, Christi temporibus. Apparet clare ex Joanne, *cap.* 13. scribentis, *recubuisse se in sinu* JESU. Et Lucæ, *c.* 7. de muliere peccatrice, quæ stans à tergo lavit pedes Christi. Et ejusdem *c.* 22. 18. *cænaculum stratum* nominatur, quod de lectis capiendum. Docent & verba ipsa, quibus in re convivali perpetuo utuntur Evangelistæ, τὸ ἀνακεῖσθαι, ϗ τὸ ἀνακλῖναι.

Finis Tractatus de Ritu Conviviorum apud Romanos.

JUSTI

JUSTI LIPSII

De Censura & Censu.

TRACTATUS VI.

CEnsum Censionemve distinguo proprie à Censurâ. Census enumerationem populi, æstimatione facultatum continet; Censura ad judicium & animadversionem in mores etiam pertinet. Census id fere est, quod Græcis ἀπογραφὴ dicitur. Censura, quod τίμησις. Ille sub regibus Consulibusque aliquandiu fuit; hæc cœpit Romæ Ann. Urb. demum 311. De utriusque origine & modo ordine videbo. Census à Servio Tullio institutus, anno regni sui 12. utilissimo invento, cujus tamen gloria penes Solonem, qui Athenis discriminandi populi causa quatuor classes fecit, sive, ut Plutarchus & Aristoteles appellant, τιμήματα, in quibus cives omnes pro opibus divitiisque ordine censerentur. De quibus Plutarchum omnino vide, *in Solone.* Id exemplum non dubie secutus Romanus Rex; numerum tamen classium auxit; sive quia major populi multitudo, sive discriminis subtilioris causa, & ut cujusque opes magis distincte apparerent. Fecit classes sex, ut Dionysius & vulgus numerant, etsi Tubero apud Angellium. *l.* 10. *c.* 28. quinque tantum recenseat, nulla ratione habita ultimæ classis; quam & Livius Centuriam tantum appellare videtur. His classibus eos tantum comprehendi, qui arma ferre possent, recte apud Livium Fabius Pictor notavit, apparetque ex classimum descriptione ipsa, in qua semper mentio telorum & armorum.

Classium Typus memoriæ causa hic esto.

Prima classis, quib. in Censu centum millia æris, aut supra, *i.* pecuniæ nostratis.

circiter coronati mille. { Arma iis omnia ex ære { *Galea.* *Clypeus.* *Ocrea.* *Lorica.* — Tela { *Hasta.* *Gladius.* }

Distributa hæc classis in Centurias 80. Quadraginta seniorum, totidem juniorum. Juniores intellige ex Tuberonis sententia ab anno 17. ad annum 45. supra Seniores. Adjicit huic Classi Livius centurias duas. Fabrorum, sine armis; qui machinas bellicas (eæ autem priscis è ligno) gestarent, fabricarenturque, à quo ritu in militia Romana semper Præfecti fabrorum. Dionysius paulo diversus, centurias eas secundæ classi adscribit; ita tamen ut ad primæ Classis usum essent. Seniorum una; Juniorum altera.

Secunda Classis, quibus in Censu. 75. millia æris aut supra, usque ad 100000. id est, nostratis pecuniæ, coronati septingenti 50.

Arma his { *Galea.* *Scutum.* *Ocrea.* } Tela. { *Hasta.* *Gladius.* }

Quod Livius ait, *Scutum pro Clypeo imperatum*, videtur, pugnare cum eodem scriptore lib. 8. ubi clypeos Romanis attribuit diu post reges exactos. *Clypeis*, inquit, *antea Romani usi, deinde, postquam facti sunt stipendiarii, scuta pro clypeis fuere.* Sed loqui eum necesse est de prima classe, quæ sola clypeos habuit Servii instituto, & posuit postquam stipendia militi è publico data. Ann. Urb. 347.

Distributa in Centrurias 20. Decem Seniorum, totidem Juniorum.

Tertia Classis quib in Censum 50000. æris, nostra pecunia coronati 500. { Arma — Tela. } { *Galea.* *Scutum.* *Hasta.* *Gladius.* }

Distributa in Centurias 20. eodem discrimine, quo prior.

Quarta

Quarta Classis quibus in Censu 25000 æris, nostra pecunia coron. 250.	Arma.	*Scutum.*
		Gladius.
	Tela.	*Verutrum.*

Distributa in Centurias 20. Seniorum, Juniorumque.

Quinta Classis quibus in Censu 10000. ær. nostræ pecun. coron. 110.	Arma iis *nulla*. Ideoque velati dicti. vide Festum.

Tela, Funda, & Lapides, ut Livius ait. Vel ut Dionys. σαύνια καὶ σφενδόνη. Distributa in Centurias 30. Seniorum Juniorumque. Huic autem Classi Livius accenset 3. Centurias ; Cornicinum, Tubicinum (male in Livio Tibicinum) Accensorum. Dionysius contra in quartam rejicit, Centuriasque tantum facit duas, ut opinor, recte. Itaque in Livio corrigendum.

Sexta, non Classis re vera sed Centuria tantum fuit. In ea censi omnes quibus infra 11000. æris, cum discrimine tamen aliquo, ut quibus 1500. aut supra æris esset, id est, 15. coronati, Proletarii dicerentur, quibus infra. Capite censi, Hi à Tribunis & milita diu immunes. Vide Agellium, *lib.* 16. *cap.* 10. Hæc classium divisio, ac telorum armorumque quod ad pedites quidem attinet, nam ad primam classem adiecti etiam equites, quorum Centuriæ 18. iis dena millia æris data, id est, 100. coronati, Livius ad equos emendos scribit, nec satis definit in Centuriasne, an in equites singulos, Ejusdem hæsitantiæ quod in eodem sequitur, viduas iis esse attributas, quæ bina millia æris in annos singulos penderent. Varro *lib.* 7. *de ling. lat. sub extr.* certe equum publicum mille assium fuisse clare indicat, non bis mille. Ista ad Livii mentem (nam Dionysius ab eo in summa pecuniaria leviter dissentit, itemque Plinius *lib.* 13. *cap.* 3. & Agellius *lib.* 7. *cap.* 13.) de classibus sint dicta, quarum institutio magnæ prudentiæ, magni usus in Rep. fuit. Primum ad tributa, quia ut noster Livius ait, hac ratione à pauperibus onera in dites inclinata, quod facile intellectu. Cum enim essent in universum Centuriæ 193. ex iis prima classis quæ divitum erat, 98. habebat. Itaque tributo imperato, & æqualiter in centurias diviso, plus quam media tributi pars, à prima sola pendebatur. Reliquæ enim omnes classes Centurias tantum habebant 95. & in Centuriis ipsis capita plura. Alter classium usus ad Comitia,

id eſt, ad ſummam Rempub. fuit, ad leges ferendas, ad bella ad pacem, ad Magiſtratuum creandum, &c. Ita ut vis omnis (ut, ait Livius) penes primores civitatis eſſet, Cum enim ſuffragia non viritim, ſed per Centurias numerarentur, vinceret autem Centuriarum numero ſola prima claſſis omnes reliquas; clarum, penes illam ſummam Reipub. fuiſſe, plebe callide & ſenſim ab adminiſtratione excluſa. Claſſibus ergo, Centuriiſque ita diſtributis, ne quis extra eas dolo malo remaneret, legem tulit de Incenſis: uti quicunque civis Romanus nomen opeſque ſuas ex fide non retuliſſet, ipſe & bona ejus publice vænirent, quod etiam, præter Dionyſium Zonoras obſervavit, ſolum pœna, ſed etiam religione Cenſum ſanxit firmavitque. Inſtituit enim ut poſt Cenſionem certo die, in ſuis quiſque claſſibus Centuriiſque cives omnes ornati inſtructique in campo Martio addeſſent. In campo Martio dico: ſemper enim luſtrum conditum ibi, etſi Cenſus ipſe interdum in foro habitus, vel in villa publica plerumque. Ibi ſolenni ſacro, triplicique victima (ſuem, ovem, taurum fuiſſe convenit, unde *Suovetaurilia* vel *Solitaurilia* dicta) exercitum luſtrabat cum precationis carmine, *Ut, Dii. P. R. res meliores ampliorsque facerent*. Etſi ea verba verecunde poſtea P. Scipio Africanus Cenſor immutavit. Valerius *lib.* 4. *cap.* 1. Deæ Luæ id facium factum, quam purgationibus expiationibuſque præfectam ex eo ſuſpicor, quod Servius Tullius Rex, primus templum huic Deæ condidit, uti apud Tacitum *lib.* 15. *Ann.* ego quidem lego: nam vulgo ibi Lunæ, male, ut doceo in loco. Is in cenſendo finis, & à luendo ait Luſtrum Varro appellatum. Nam Livii certe locus in etymo parum integer ſanuſque. Quod pro quinquennali deinde ſpacio uſurpatum, quia in mutatione hominum facultatumque, opus iterata Cenſione ſæpius fuit: inſtitutumque ab eodem Rege, ut in quinquennali ſingulo Cenſus repeteretur, atque ita ipſe deinceps quater luſtrum condidit, authore Valerio *lib.* 3. *cap.* 3. Habes rationem quæ ſub Servio, regibuſque & Conſulibus fuit (ii enim Cenſum egerunt loco Regum) donec proprius huic rei inventus Magiſtratus; quem & utilitas ſuaſit & neceſſitas; quia populus, ait Livius, *lib.* 4. per multos annos incenſus fuerat, nec Conſulibus, cum tot bella imminerent, operæ pretium erat id negotium agere. Ita creati Cenſores Anno urb. 311. ſic dicti, quod ad eorum Cenſionem, id eſt, arbitrium populus cenſeretur. Varro *lib.* 4. *de ling. lat.* Neque enim primo morum diſciplinæque regimen iis, ut opinor, datum, ſed tantum cenſendi populi jus, uti ſub regibus factum. Paulatim dignitas accrevit, & cenſura animadverſioque in mores iis permiſſa, æterno Reip. bono. De tempore tamen tantæ rei nihil acceptum, niſi quod ſtatim à creatis Cenſoribus id obtinuiſſe facile colligas ex

Camilli

Camilli & Posthumii Censura apud Valerium *lib.* 2. *cap.* 9. quæ incidit in Ann. urb. 350. Munera Censorum præcipua quatuor, *Populi censio, Animadversio, Vectigalium locatio, Templorum, locorumque publicorum tuitio.* Censio eadem quæ sub regibus deque forma ejus, & solennibus verbis Censorum aliquid Varro *lib.* 5. *de ling. lat.* Animadversio, nota dicta proprie, quam inurebant jurati Censores, cujus quæ vis fuerit, ex Cicerone *lib.* 4. *de Rep.* colligas. *Censoris judicium*, inquit, *nihil fere damnato adfert, nisi ruborem.* Itaque omnis illa judicatio versatur tantummodo in nomine. Animadversio illa ignominia dicta est, quod tamen capies κατὰ τὸ πλεῖστον. Nam mulctam etiam interdum imposuere Censores, uti Cœlibatus, ut apud Valerium *lib.* 2. *cap.* 9. & apud Festum *in uxorium æs.* Animadversio hæc in tres ordines, triplex. Cuique enim ordini adimebant quod ei summum esset: Senatori curiam: Equiti, equum publicum, Plebejo suffragium. Id factum hac ratione. Censores numero & facultatibus populi cognitis, in Curuli sella sedentes Senatum primo legebant; in ea lectione, palam omnium, tam veterum quam novorum Senatorum nomina, à Scriba recitabantur. Cujus nomen primo recitabat, magno id honori habitum, dictusque eo lustro *Princeps Senatus*: cujus nomen omissum, Ignominiæ isque motus Senatu intelligebatur. Neque enim aliud, de qua agimus, Motio quam Præteritio & nota quædam tacita Censoris, quæ tamen per id lustrum Senatorum omni munere & dignitate Senatoria privabat. Paulo aliter in Equitibus obtinuit, qui singuli citati ad Censores, equum manu sua tenentes, accedebant: uti ex Plutarchi Pompejo, Suetonii Augusto, *cap.* 28. & Claudii nummis discimus: atque ibi, si omnia recta, traducere equum Censor jubebat; sin quid commissum, equum adimebat, id est, mille asses, ad equum alendum è publico attributos, itemque annulum aureum, & insignia ordinis equestris. At Plebeium noxæ alicujus compertum, aut tribu movebant, aut inter ærarios referebant, sive in Ceritum tabulas, id est, jure suffragii ferendi, & honore omnium civium privabant, oneribus tantum relictis. Tributum enim & æra ex censu nihilominus dabant, tanquam cives. Quo jure & Cerites olim erant, ex Agillio *l.* 13. *c.* 23. hæc discrimina plerumque interdum enim si culpa gravior, pluribus notis aliquis affectus reperietur: puta, ut Senator præteritus sit, & tribu etiam motus, item equis equo privatus, & in ærarios relatus, quod ex Livio Valerioque facile observabit non incuriosus lector. Causæ notarum, Cœlibatus, orbitas, perjurium, æs alienum, infames libidines, aliaque probra, quæ suis legibus non vindicabantur. Vide Suetonium *in Clau. cap.* 16. Superest de vectigalium locatione, & cura templorum locorumque publicorum, quæ munera satis clara, & passim de iis

apud

apud Livium; de creatione Censorum, & Ciceronem in Verrinis, & secundo de legibus, aliosque. Censorum autem imperium primum quinquennale fuit, sed decennio post, quia nimia potestas ea visa, lege Mamertii Æmilii Dictatoris annua, & semestris facta est: quod postea servatum. Mansere in Republica Censores ad tempora Imperatorum, qui intermiserunt, aut ipsi munera Censorum, ut libitum, obierunt. Tentavit reducere Decius Imperator; ut Author Trebellius Pollio, *in Valer.* frustra, nec post eum amplius Censorum in Republica nomen aut honos.

Finis Tractatus de Censura & Censu.

JUSTI LIPSII

De Anno, deque ejus diversitate: item Ratione intercalandi,

Ad histor. Num. Pom. Liv. l. 1. Dec. 1.

TRACTATUS. VII.

ANnum varie derivant Grammatici. Sextus Pompeius à voce ἔνν☉ deduci vult. Athenæus capit à circuitu temporis, quia priscis annus *Circum* significat. Quidam ab annovando, quod suo itu redituque cuncta novet, Verior Varronis opinio, qui annum quasi circulum dictum vult, *quia*, inquit, *ut parvi circuli annuli sic magni dicebantur anni*. Et bene Varro. Antiquitus enim unico N fuit scriptum *anus* & *anulus*, significavitque etiam eam partem, qua sedemus,& quam honeste silemus,ut Græce δακτύλι☉. Allusit ad id etymon Virg.

Atque in se sua per vestigia labitur annus.

Sunt Ægpptiorum Hieroglyphica, qui annum Draconi caudam suam mordenti assimilant. Annus autem duplex; *Naturalis*, & *Civilis*. *Naturalem* dicimus, cujus initium ad cursum Solis congruit, duodecim signa peragrantis. *Civilem*, quem aliæ gentes alium atque alium constituerunt, quædam ultra Solarem cursum, multæ citra. *Naturalis annus*, unus est & uniformis & æternum sibi constans. *Civilis*, pro instituentium arbitrio varius fuit. Apud Ægyptios initio menstruus annus fuit, & unius mensis; ut Plutarcho *in Numa*, & Plinio *lib.* 7. *cap.* 48. placet: aut ut Censorino, bimestris: postea quadrimestris, ut Solinus author, *cap.* 3. Denique Solaris dierum 365. quem κυνικὸν sive canicularem vocabant,quia initium ejus mensis est *Chanas* quo caniculæ sydus exoritur. Apud Arcades annus trimestris, juxta quatuor temporam vices. Apud Cares & Arcanates Semestris. Apud Hebræos mensium duodecim, ad Lunæ cursum, falluntur que profani homines, qui spacia longioris vitæ in sacra historia tradita referunt ad Ægyptiacos annos. In Italia apud Alaros annus decimestris. Apud Labinios mensium tredecim, quoniam constabat dies ter centum septuaginta quatuor. Nec anni solum diversi; sed & anni initia fuerunt, de quibus elegans Symplicii locus, in 5, Phys. *Non natura*, inquit, *sed*

sed positione principia sunt, quæ facimus anni principia. A solstitio æstivo, ut Athenienses. Ab æquinoctio Autumnali, ut qui nunc vocatam Asiam tenent. Vel ab Hyberno solstitio, ut Romani: vel ab Æquinoctio verno, quemadmodum Arabes & Damasceni. Hæc fere consensu traduntur. At de Romanorum annis, deque horum principio, non levis controversia est. Alii decimestres eos volunt; argumento originis, exemplo ab Albanis argumento item nominis, quia ultimus mensis December, quasi decimus dictus; Januarium enim & Februarium posterius adjectos. In hac sententia Livius, Varro, Ovidius, Censorinus & pleraque turba scriptorum. Nec prorsus abhorret à vero, quoniam & Græci plerique decem mensium annum habuerunt, ut Æoles, de quibus apud Ausonium illud ænigmaticum, in Epist. ad Theonem.

Aut Ver, aut Æolii, menses tenet ignicomus Sol.

Nec alium Homericum annum fuisse ut veteres Grammatici volunt, aut illud Neptuni, Nympham à se compressam aloquentis. *Odyss.* λ.

Χαῖρε γύναι φιλότητι περὶ πλιμένε δ' ἐνιαυτε
Τέξεις ἄγλαα τέκνα———

Alii contra ab initio jam inde duodecem mensium annum Romanum faciunt: nec movet eos argumentum ab Albanis aut Decembri: quia Albanos censent, uti oriundos ab Asiaticis, duodecem menses habuisse, & Decembrem ideo sic dictum, quia decimus ordine. Primus enim Maximus fuit in honorem Creti prioris, decimo loco December, post Januarius & Februarius. Nec menses illos adjectos à Numa volunt, sed tantum confusum ordinem anni digestum collectumque. Tamen de ordine mensium qui nunc obtinet, iterum certamen est. Sunt qui Numæ id tribuant, qui januarium ab agmine ad principia reduxerit, in honorem prisci Latinorum regis Jani. Sunt qui Tarquinio prisco: ut, Junius, Gracchanus. Alii Decemviris, ut Ovidius, 2 Fast.

Postmodo creduntur spatio distantia longo
Tempora bis quini continuisse viri.

Quidam Consulibus primis, inter quos Plutarchus, quasi Januarius primus factus mensis, honoris & omnis causa; quia tunc Consules primi creari restituta libertas. Abeo ipse; quanquam in re ambigua, in sententiam Ovidii, aut certe Junii Gracchanii. Nam de Numa, ne credam, facit mensis intercalaris, quem rejicit in Februarium quasi ultimum anni; (ut dicam) Et Plutarchum erroris aperti damnat refugii dies, qui omnium consensu vel in sextum Calen. Martias, vel in septimum Calend. Junii incidit. Cæterum quomodocunque ea res se habuit: & sive duodecim Romuli; sive decem tantum menses (cujus sententiæ esse me haud pœnitet) illud constat, Romuleum annum, mensesque turbatos fuisse, parum cum Solis &

Lunæ

Lunæ congruentes. Ideo animum huic rei merito advertens Numa, sive suo, sive alieno ingenio doctior, ad Lunæ duodecim menses, ad numerum Græcorum fluctuantem reduxit annum, constituitque eum, ut Plutarchus censisse videtur, dierum ter centum quinquaginta quatuor: vel ut Censorinus, Solinus & alii, ter centum quinquaginta quinque: præter omnem rationem impari tantum, ut aiunt, numero motus. Ita subventum imperitiæ Romuli: sed tantum in parte, nam cum ille ipse annus Lunaris exorbitaret à Sole, futurumque in progressu esset, ut Hyberni menses in æstatem, æstivi in hyemem inciderent; quæsitum huic rei remedium est à Numa, & inventum, Remedium intercalario fuit: & ea ipsa à Græcis. Nam Græci, cum ex traditione Hiparchi didicissent, solem ambire suum circum diebus ter centum sexaginta quinque : (quadrantis enim, qui redundat, nec à Grecis, nec à Numa habita ratio est: idque notatum ad intercalationem volo) viderunt clare deesse suo anno dies undecim, quos appellarunt ὑπερβαίνοντα seu transcendentes, nec tamen aptum visum illis aut decorum, singulis annis dies illos inserere vel appendere: sed mensem potius novum repererunt ἐμβόλιμον, quasi insititium vel immissorium dictum, quem, diebus illis multiplicatis, adfinem tertii cujusque anni adjiciebant. Ita ut annus tertius mensium esset tredecim; & mensis ultimus ἐμβόλιμον dierum triginta trium. Ita enim de Atheniensibus elegantur & clare vetus Scholastes tradidit in argumento Orationis Demosthenis, *Contra Abrot.* Idque non paulo verius clariusque, quam quod Solino aliisque scriptum, solitos Græcos intercalare nonaginta dies, octavo quoquo anno Græcos igitur hic secutus Numa est: sed non vestigiis iisdem. Dupliciter enim dissentit. Primum, quod non tertio quoquo anno, sed secundo intercalavit dies viginti duos, ut clare discimus ex Plutarcho. Deinde qui non ad finem prorsus anni, sed adulto Februario intercalavit, inseruitque suum mensem post Terminalia, id est, Februarii viginti tres dies. Nam ne prorsus abiret à Græcis, ultimum anni elegit quidem Numa, sed novo exemplo mensem interrupit & divisit. Ita enim intercalabant Romani, ut inter vigesimum tertium & 24. Februarii diem, mensem interponerent intercalarem: eoque exacto, reliquos quinque Februarii dies adjungerent, retento nomine sui mensis. Credo religione aliqua moti, ut Februarius, qui mensis Lustrationum purgationumque erat, omnino clauderet annum. Eum mensem insititium intercalarem posterior ætas dixit: Numa Mercidinum vel Mercidonium. Ea enim lectio Plutarchi est, & firmatur a Festo: quanquam viri docti ambigant, ne Intercidinus in Plutarcho scribendum sit, quasi qui intercidat Februarium mensem, & diffindat. Et hæc è Plutarcho intercalandi ratio satis clara est. Manet tantum ille scrupulus in Livii verbis, quomodo vigesimo demum anno ad metam eandem Solis, unde exorsi essent,

ſent, plenis annorum omnium ſpaciis, dies congruerit; Vigeſimo, inquam, anno: Ita enim ex fide omnium librorum ſcribendum eſt, & quod in vulgatis legitur, *Vigeſimo quarto*, manavit à Sabellici mente. At ſi dierum tercentum quinquaginta quatuor. Numæ annus; & intercalavit biennio quoque dies 22. manifeſtum, non vigeſimo demum anno; ſed biennio quoque parem fieri Solis & Lunæ annum. Intricatus hercle Livii locus: Et quo magis magiſque cogito, labor illuc, ut cum Solino & Cenſorino cenſiſſe Livium putem, quaſi Numa conſtituerit annum ter centum quinquaginta quinque dierum, contra Græcos. Qui tamen idem Numa; cum parum perite undecim dies duplicatos intercalaret; eveniebat, ut ejus annus paulatim Solarem ſuperaret, nona quidem intercalatione octodecim diebus. Itaque remedium à ſe huic malo petens Numa, vigeſimo anno decimam intercalationem omiſiſſe videtur: ut hi anni tanto breviores eſſent, quanto alii longiores. Atque ita cum quaſi conſiſteret, ſtaretque per biennium Lunaris annus: facile intellectu, quomodo vigeſimo demum anno ſublata inter Lunarem Solaremque diſparitas, ut neuter vinceret aut vinceretur, Excipio tamen duos dies, qui adhuc ad plenum ſolarem annum deſiderabantur: quorum rationem non habuit Numa. Et inde fortaſſe orti errores in anno & Faſtis, quos Julius Cæſar cum ſtudio correxit.

JUSTI

JUSTI LIPSII

De Anno, deque Anni Intercalatione, declaratio alia.

ANnus apud Romanos triplex, *Romuli*, *Numæ*, *Cæsaris*. *Romuli*, qui annorum peritior quam sydera, neque ad Lunæ, (ut Græci) neque ad solis cursum (ut Ægyptii) annum accommodavit, in quo menses decem fuerunt, dies ter centum & quatuor. *Numæ*, qui vitii manifesti Romuli annum correxit, additis mensibus duobus (Januario & Februario) quem definivit diebus ter centum quinquaginta quinque: appositæ ad Lunæ cursum, nisi quod exuberat dies unus; nam Luna orbem suum diebus ter centum quinquaginta quatuor absolvit. Id Numam fecisse sive imperitiâ, sive studio potius numeri imparis creditum est. Ita ad annum Romuli priorem unus & quinquaginta dies addidit. Sed cum hic annus Lunaris, ad solis cursum minime convenirent, necessario, exemplo Græcorum, introducta est Intercalatio, id est, dierum aliquot interpositio, quibus annus longior fieret, & solis iter æquaret. Intercalabant ex institutione Numæ, Pontifices biennio quoquo, idque alternis, modo 23. dies, modo 22. ut undecim illas dies & quadrantem, quibus Lunæ cursus à solari vincitur, adæquarent. Quod conveniebat pro parte, cum more Græcorum, qui singulis octenniis dies 90. intercalabant: Non tamen cum veritate, quia Numa diem unum Anno suo temere & sine exemplo addiderat. Ita fiebat, ut octo annis redundarent dies 8. Emendavit hoc postea sive Numa ipse, sive Pontifices hoc modo, ut tertio quoque octennio, non dies nonaginta, sed tantum sexaginta intercalarent, atque eo compendio redirent quasi in viam Dies illos viginti tres sive viginti duos, vocabant mensem intercalarem, fiebatque omnis intercalatio mense Februario, post diem vigesimum tertium, id est, post Terminalia. Sed cum ne sic quidem confusio vitaretur,

vitaretur, vel fraude Pontificum (qui ut Publicanis gratificarentur, dies addebant & eximebant vel interdum omnis intercalatio, aut per religionem, aut per incuriam omitteretur. C. Cæsar Pontifex Maximus, tertio Conf. curam suscepit anni corrigendi. Isque adhibito in consilium Sosigene Ægyptio, astrorum perito, primum omnium ex Lunari solarem annum fecit, diebus decem ad Numæ annum additis: ita ut annus Julianus dies haberet ter centum sexaginta quinque. Non tamen intercalatio prorsus sublata, sed imminuta. Nam cum solus cursus constet diebus ter centum sexaginta quinque, & quadrante, id est, horis semis; fiebat ut quarto quoque anno, dies unus redundaret, quem (ne paulatim constitutionem anni iterum turbaret) placuit Cæsari, quarto quoque anno intercalari, mensis Februarii die vicesimo quarto: idque Bisextum vocarunt, quia bis numeramus sexto Calend. Martias. Dies decem, quos Cæsar addidit in menses septem sic distribuit, ut Januario, Sextili Decembri duos dies adjungeret: Aprili, Junio, Septembri, Novembri singulos. Cætera satis clara ex Suetonio ipso in Julio capit. 40.

FINIS.

---

fuit, in provinciis tantum terrarum habens, quantum nemo privatus. Quæsturam magnificentissime gessit. Ædilitatis suæ tempore populo Romano 12 munera, id est, per singulos menses singula, de suo exhibuit: ita ut gladiatorum nonnunquam 500 paria exhiberet, numquam minus 150. Feras Libycas una die 100 exhibuit, ursos una die 1000. & plura deinde animalium nominatim: quæ omnia populo rapienda concessit. Amplius de eo; in omnibus civitatibus Campaniæ, Hetruriæ, Umbriæ, Flaminiæ, Piceni, de proprio illum per quatriduum ludos scenicos & Juvenalia edidisse. Qui bene hæc tollit singula & pensitat, quique scit quid sit ludos olim edere; nescio quam trutinam reperiet ad tot illa ponderanda aut æstimanda.

LIBER III.

DE OPERIBUS ROMANIS.

AD Opera ducimur, quæ ordine sequuntur. Duplicia autem istà Romana Opera: *Temporaria*, & *Diuturna*. Illa, quæ subito & in breve tempus aliquod excitabantur, è terra aut ligno plerumque. Ista longum, & mansura, è latere, lapide, & materie firmiore.

DE OPERIBUS TEMPORARIIS.

T*Emporaria* iterum duplicia: *In militia*, & *extra eam*; atque utraque merentur justam admirationem. Nam sive Militiam videas, quis Fossas, Vallos, Aggeres, & talia terrea; iterumque Materialia, Turres, Testudines, Musculos, Vineas, legit, tam multa, tam crebra; & aut industriam, aut vires hæc patrantium, non æstimet & admiretur? Sive extra eam quædam in voluptatem aut splendorem structa; quomodo idem affectus non insinuet animo vel irrumpat? De Militaribus jam dictum in libris *De Militia Romana*, & *De Machinis*. Igitur pauca ex civilibus tangam.

Inter Opera civilia ludicra præcipue fuere; ut, Theatra, Amphitheatra, Circi, & magnæ ejusmodi moles, structæ sæpe in paucos dies, & pene ut dejicerentur. Duo exempla in Plinio, etiam cum ejus, qua tam multa admiranda viderat aut legerat, nimia admiratione. *M. Scaurus in Ædilitate sua fecit opus omnium maximum, quæ unquam fuere humana manu facta. Theatrum hoc fuit. Scena ei triplex, in altitudinem 360 columnarum. Ima pars scænæ è marmore fuit, media è vitro, inaudito etiam postea genere luxuriæ. Summæ tabulis inauratis columnæ; imæ 38.*

 pedum

pedum. Signa ærea inter columnas fuerunt 3000 *numero. Cavea ipsa cepit hominum* 80000. *Sed & reliquus apparatus tantus, Attalica veste, tabulis pictis, cæteroque choragio fuit, ut in Tusculanam villam reportatis, quæ superfuerant, quotidiani usus deliciis, incensa villa ab iratis, concremaretur ad HS bis millies,* id est, 5000000 Philipp.

Alterum exemplum ex eodem Plinio, qui jam dictis subnectit: *Aufert animum, & à destinato itinere digredi cogit contemplatio tam prodigæ mentis, aliamque connecti insaniam è ligno. C. Curio, qui bello civili in Cæsarianis partibus obiit, funebri patris munere, Theatra duo juxta fecit amplissima è ligno, cardinum singulorum versatili suspensa libramento, in quibus utriusque, antemeridiano ludorum spectaculo edito, inter sese aversis, ne invicem obstreperent scenæ: & repente circumactis, ut contra starent: postremo jam die, discedentibus tabulis, & cornibus inter se coeuntibus, faciebat Amphitheatrum & gladiatorum spectacula edebat, ipsum magis auctoratum Populum Romanum circumferens. Quid enim miretur quisque in hoc primum? inventorum, an inventum? artificem, an auctorem? ausum aliquem hoc excogitare, an suscipere? Super omnia erit populi furor, sedere ausi tam infida instabilique sede. Ecce Populus Romanus universus, velut duobus navigiis impositus, binis cardinibus sustinetur, & se ipsum depugnantem spectat, periturus momento aliquo, luxatis machinis.* Diserte ista Plinius, & culpans simul ac laudans.

Plura hujus generis passim, sed in circumfusa rerum copia, excerpimus pauca & eligimus. C. Caligula pontem struxit in ipso mari navibus impositum, magnitudine trium milliarium & quadrantis: id est, toto illo spacio, quantum est à Puteolis ad Baulos. Per hunc triumphantis ritu cum Senatu militibusque incessit, spectante toto populo; in eodem epulatos, noctem etiam pervigilem egit, inter lascivias & ludos. In paucis etiam diebus pontem hunc totum structum narrant; immensum opus perpendenti, sed cui laudem vanitas detrahit: nam quo fine structum, nisi ut destrueretur?

Caracalla, quem alterum Caligulam licet dicere, non suis solum, sed alienis opibus proterve abusus, cum adigeret homines Senatorii ordinis, quoties Roma egrederetur, domus & prætoria varia struere, item diversoria splendida, etsi in plerisque non solum non acturus hæsurusque erat, sed nec ea visurus. Amplius, ubicumque hyematurus erat, aut etiam putabatur hyematurus, cogebantur Amphitheatra & Circos struere, nec in sumptum quidquam ab eo capientes; & ea ipsa mox diruenda.

INDEX
RERUM & VERBORUM.

A.

C.

D.

D.

E.

K.

L.

Locus

P.

Sepulcra

T.

Theatrum

V.

FINIS.

